ANTIQVÆ LECTIONIS
Tomus I.
IN QVO XVI. ANTIQVA MONVMENTA AD HISTORIAM MEDIÆ ÆTATIS ILLVSTRANDAM,
NVNQVAM EDITA.

Alcuini Epistolæ ad Carolum Magnum & alios.
Tironis Prosperi Chronicon auctius vulgato & Pithœano, quæ etiam hîc adiuncta.
VVeingartensis de GVVelffis Principibus.
Eiusdem Chronicon ad an. 1197.
Heinricus Stero. auctior.
Eberhardi Altahensis, Ratisponensis Archidiaconi Annales à Rudolpho Habspurgio ad ann. 1305.
Sangallensis de gestis Caroli Magni libri duo.
Hermannus Comes Veringensis. auctior.
Concilia Salisburgensia tria & Viennense vnum.
Sancti Columbani. }
Salomonis Episc. Constantiensis. }
VValdrammi. } *Carmina.*
Metelli Tegernseensis Quirinalia. }

OMNIA NVNC PRIMVM E MANVSCRIPTIS EDITA ET NOTIS ILLVSTRATA,

AB

HENRICO CANISIO NOVIOMAGO IC. ET SS. Canonum Professore ordinario in Academia INGOLSTADIENSI.

Cum Gratia & Priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

INGOLSTADII,
Ex officina typographica EDERIANA, apud ANDREAM ANGERMARIVM. Anno 1601.

REVERENDISSI-
O DOMINO, DN. QVI-
NO LEONINO, SS. THEOLO-
Æ DOCTORI, PROTONOTARIO APO-
LICO, CATHEDRALIS ECCLESIÆ RATISPO-
ensis Præposito, Archidiacono, & Vicario. & Sere-
nissimis Bauariæ Ducibus à Consilijs, &c.
Domino & cognato suo obser-
uandissimo.

S*cite dicitur*, Reuerendissime Domine, *annos quotidie naufragium pati; vbi dies diem in obitum rapit: quo decursu, quid non simul inuol-ur, & interit? At verò, si quid è prisco æuo, riâ vetustatis victâ, saluum superest, id mi-lectat & afficit animum, adeò, vt cõmisera-e quadã insitâ gratuletur iis rebus, quæ tam-legem ineluctabilem pereundi protulerunt. c & profectam videmus voluptatem illam,* φιλαρχαῖοι *& admiratores antiquitatum, mi-*

rificè perfunduntur, & ptinaciter obhærent, ita vt inuenti fuerint, qui mille drachmas p lucerna Epicteti, & talentũ p baculo Protei Stoici dare cõtenderint. Mihi quidẽ omnia huiusmodi, quãtumuis pretiosæ antiquitatis, sordẽt præ monumẽtis ingeniorũ, illisq; libris, qui iniquitate temporũ, an incuria hominũ dicam, sepulti iacebãt, è latebris tandẽ eruuntur & in publicũ prodeũt. Vnde gratiæ, q̃ habẽdæ sunt ipsis auctoribus, qui rerum memoriã scriptis suis consignarunt, eædẽ meritò debẽtur ijs, qui eiuscemodi libros, altis tenebris immersos, in lucem vindicant & restituunt. Inter quos eminent hodie Marcus Velserus II.vir Augustanus, reconditæ eruditionis laude notissimus, eiusq; germanus Antonius Velserus, vir sine ambitione doctissimus; &, quem honoris causâ nomino, Georgius Lautherius, Præpositus ad D. Virginem Monachij, in omni disciplinarum genere versatissimus. Addo Iacobum Gretserum Societatis IESV *Theologũ, virum magnæ eruditionis & memoriæ. Horũ enim beneficio & humanitate manu scriptos Codices è varijs bibliothecis nacti hos auctores in publicũ proferimus, nunq̃ antehac editos, vel certè iam auctiores.*

res. Cæterùm Reuerendißime Domine, cùm sciam te delectari veterum auctorum monumentis, ita tamen vt recentiorum lectionem non reÿcias, imitatus exēplum Lāpridÿ Oratoris Burdegalensis, qui, vt testatur Sidonius Apollinaris, legebat auctores cum reuerentia antiquos, sine inuidia recentes; *volui tibi potißimū dedicare hos antiquos auctores, dignos luce, quâ tamdiu immeritò caruerūt. Vrgent, vt facerem, tua in me merita; postulat quodāmodo & hæc Academia Ingolstadiensis, in qua singulari exemplo, maximis tuis impensis, seminarium Clericorum excitasti & dotasti. Monebant & hi ipsi auctores, quos emittimus, quòd in ÿs frequens fiat mentio Ratisbonæ, cuius Ecclesiæ tu Præpositus & Vicarius es. Præsertim vero inscriptio Annalium Eberhardi Ratisponensis Ecclesiæ Archidiaconi; in cuius honoris titulum illi suffectus es. Accedunt vltimò Quirinalia à Metello Tegernseensi in laudem S.* QVIRINI *Martyris conscripta & hic inserta, quæ propter nomē quod refers, inditum tibi in baptismate in honorem & exemplum ipsius, iure quodam tibi vendicas. Stilus quidem totius huius operis pertenuis & ieiunus*

li. 8. epist. 11.

 est,

est, minimè accommodatus ad puriorem scribendi modum, prout illa tempora ferebant, sed res, ad illustrandam mediæ ætatis historiã, quàm maximè pertinent. Bene vale & me tuiobseruantißimum, vt facis, ama. Ingolstadij ipsis ferijs diui Bartholomæi Apostoli. ANNO M.DCI.

R. D. V.

Obseruantißimus

HENRICVS CANISIVS
cognatus.

Antiquæ Lectionis Tomus primus, ad mediæ ætatis historiam illustrandam, studio Clarissimi Viri HENRICI CANISII I C. è m. s. Codicibus in lucem vindicatus, & Notis illustratus; dignus omnino, qui typis excusus, historiæ publico bono prodeat. Ingolstadij 14. Calend. Maij ANNO M. DCI.

PETRVS STEVARTIVS SS. Theologiæ Doctor Professor, & Collegij Theologici pro tempore Decanus.

AD CLARISSIMVM ET CONSVLTISSIMVM VIRVM HENRICVM CANISIVM, I. V. DOCTOREM, AC SS. CANONVM IN ALMA INGOLSTADIensi Academia Professorem, amicum suum, &c.

PETRVS STEVARTIVS LEODIVS, SS. THEOLOGIÆ DOCTOR AC PROFESSOR INGOLSTADII, ET AD D. MAVRITIVM Parochus, Coloniæ ad SS. Apostolos Præpositus, &c.

MVSÆOS Canisi nunquam positure labores
Quis tibi feruor agit pectus? quis spiritus intus
Flammam alit, & doctam prohibet requiescere mentem?
Quot tibi nocturnæ vigilantur in Aöne curæ?
Quot Soles sine Sole trahis, suetisque tenebris
Abditus, insistis victuras pingere chartas,
Sacrarum interpres Legum? Cathedraque sonante
Plurimus auditor penetrali è diuite fusas
Doctrinæ exceptat gazas, & mente recondit;
Quod reliquum est lucis, Musæ librisque dicatur.
Et tamen interea, dictu mirabile, terras
Non abiens festinus obis, cæcisque latebris
Damnatosque situ libros è carcere profers,
Mittis & ignauas leuiora ad pabula blattas.
Quæ tibi debebunt ætate sequente Nepotes
Æterni pretia officij, quod vindice pennâ
xhæredatos antiqua in iura reponis?
am nos ingenij hæredes scripsere Parentes
voluêre annis monumenta illæsa futuris.
uasit quæ cuncta solet temerare vetustas:
licet ausa dies thesaurum hunc perdere nostrum,
populatrices tinearum inducere turmas,
rem restituis calamo, nomenque perenne
m pius es vindex alieni nominis, aufers.

ELEN-

EORVM, AD QVOS ALCVINVS EPISTOLAS SCRIPSIT.

FLAC-

AD LECTOREM.

ECce, amice Lector, tertium tomum Antiquæ, vel potius Nou-antiquæ lectionis. Imitatus enim scribam illũ doctum, *in regno cœlorum, similem homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera:* Noua & vetera hoc volumine iunxi. In nouis Ragusium & Carlerium numero: si tamen nouis accensenda eorum monumenta, quæ geminam annorũ Centuriam propè ferunt. Cum veteribus iure collocantur, qui hos antecedunt, Thaumaturgus, Germanus Patriarcha, Zacharias Pontifex, vterq; Anastasius, Hippolytus Thebanus, & Author Chronici Francici. Vt nouos publicarẽ, causam multiplicẽ habui. I. Quia merentur lucem, propter summam eruditionem. II. Quia argumentum, quod tractant, seruit nostro sæculo, quod nobis no-

Matt. 13.

uos Hussitas peperit. III. Quia Actis Concilij Basileensis fax accendenda erat, ne quò vetustiora fiunt, eò caligine æui magis inuoluerentur. IV. Quia pietatis & religionis auitæ aduersarij diligenter conquirunt, & in aspectum promunt, quidquid cartarum olim contra Sacrosancta fidei nostræ decreta, præsertim contra summi Pontificis authoritatem conscriptum est, Lectoribusq; plena manu propinant. Quo in genere mirificè excelluit olim nobilis ille hæreticus, Flaccus Illyricus, qui omnes propè Germaniæ Bibliothecas peruagatus, ne dicam, deprædatus, eò cunctas suas cogitationes conuertit, vt ex puluere, situque educeret, quicquid olim seu Poeta quispiam furiosus, seu hæreticus amens, seu alius impostor delirus, aduersus Ecclesiæ ritus & ceremonias, sedisq; Apostolicæ, ne ab inferis quidem expugnandam firmitatem euomuerat. Nec desunt hodie, qui indefessum impij sectarij studium pari conatu persequantur; quorum exemplo turpe fuerit non excitari nos; vt si quid superiori memoria pro defensione sacratissimæ fidei nostræ elucubratum est, tinearum dentibus eripiatur, & in publica, vt sic dicam, Ecclesiæ Bibliotheca ad communem omnium vtilitatem, reponatur. At

indi-

indiserti sunt, imò barbari scriptores isti. quasi verò plurimi ex illis, quos aut Illyricus, aut Illyrici similes euulgarunt, vel vno pilo eloquentiores censeri queant, quàm Ragusius, aut Carlerius noster. Nõ spectemus, amice Lector, arboris folia, sed fructus; nõ putãina, sed nucleũ, non vestẽ, sed corpus; nõ vasculũ, sed liquorẽ in vasculo cõprehensũ: qui hic saluberrimus, & quibusuis Hussiticis languoribus persanandis aptissimus. *Nunquid si quis aureo cochleari belleborum infundat,* inquit S. Cyrillus, *& altero non aureo, sed ex vilißima materia, apũ laborem, hoc est, mel imponat, & sorbere iubeat, quod placuerit: nunquid materiam inspiciens, palmam dabit deterioribus: vel rectè iudicans, vtile nociuo præferat, etiamsi in vilißimo proponatur vasculo?* Ergo consideratus rem considerabit, non verba in Ragusio & Carlerio, vt & in Henrico Kalteisen, & Ioanne Polomar, quos in quartum tomum (qui nunc cuditur) vnà cum alijs authoribus, hucusq; ineditis, conieci: magnæq; grates debentur admodum Reuerendo & eruditissimo seni, Doctori Georgio Lautherio, Monachii ad D. Virginem Præposito, cuius beneficio, quatuor isti

S. Cyrillus li. 7. contra Iulianum.

 Hussi-

Hussitarum debellatores ad manus meas peruenerunt, vt & Disputatio, cũ vafro illo, Bohemisq; pernicioso Rockyzana. Neglecti ordinis in Authorum dispositione nullus meritò diem mihi dixerit. Nullum enim ordinem profiteor, nec Bibliothecam condo, quam in certas classes digestam esse oportet; sed vt quęq; scriptorem adeptus, per otium exscribi, & ad prælum adornari curo; ita eum cum Lectore communico. Benè vale, candide Lector, & his laboribus nostris ad gloriam Dei vtere.

Ingolstadij 18. Ianuarij. ANNO M. DCIII.

NOBI-

NOBILI ATQVE EXCELLENTISSIMO VIRO DN. HENRICO CANISIO NOVIOMAGO, &c.

TU verò, quod adhuc magna cum laude, CANISI,
Voluisti saxum, facito, pòst sæpè reuoluas.
Tu tenebris, & operta situ, blattisq; relicta,
Clarorum monumenta virûm, quæ præpetis æui
Obtereret caries, in apertam protrahe lucem,
Manca licet, nec cuncta suis hærentia mẽbris.
Vtilis ille labos: ipsoq; ex vngue leonem
Discimus. Annales, seclorumq; acta priorum
Erudiunt animos; ac Relligionis auitæ
Perpetuũ monstrant, inconcussumq; tenorem.
Id gentilitium tibi nouimus esse, studenti
Antiquæ pietati, in tanto turbine rerum,
Et miseræ diris patriæ tot casibus actæ,

Communem tota complecti mente salutem.
Ergò age, sollicitent alios(vt plurima vitæ
Hoc immane salum, cæco sub gurgite, monstra
Intus alit) fastus breuis, & captāda per aulas
Gratia magnorum, cui non est fidere, regum,
Et gazæ malesuada fames: Nos puluis & vmbra
(hæc
Doctiloquos inter pluteos, Academicaq; ista
Inferiora iuuent. Grauior fit casus ab alto:
Nos humilis fortuna beet. Quid quærimus vltrà,
(mus inanes,
HENRICE? aut fumos quid honorum inhia-
In turba, & strepitu, fluct⁹ superāte marinos?
Parua mora est: tellus redituros mater alumna
Puluereā in glebam, nostræ primordia stirpis,
Expectat, manibus vacuis, & corpore nudo.
Effossa scrobs tātula humi, (memorabile dictu)
Septenos vix longa pedes, decus obruit omne
Humanum, & densa mersum caligine claudit.
Interea statio nostrûm sua cuiq; tuenda est
Iugibus excubiis. Vigilare, est viuere: somnus
Assimulat fratri mortalia corpora letho.

Phil. Menzelius Med. D.

Et

Et hic III. tomus Antiquæ Lectionis, ſtudio Clariſſimi viri Henrici Caniſii I. C. ex manuſcriptis Codicibus, bono publico edatur. Ingolſtadii 22. Ianuar. Anno 1603.

PETRVS STEVARTIVS
SS. Theologiæ Doct. Profeſſor, & Collegij Theologici pro tempore Decanus.

ANTIQVÆ LECTIONIS

Tomi tertij

PARS PRIMA,

VBI

OMNIA

NVNC PRIMVM EX MAnuscriptis edita

AB

HENRICO CANISIO NOVIO, MAGO SS. CANONVM PROFESSORE INGOLSTADII.

S.GRE.

FLACCI ALCVINI EPISTOLÆ.

EX M. S. MONASTERII S. GALLI NVNC PRIMVM EDITÆ.

EPISTOLA PRIMA.

Ad Edilhardum Archiepiscopum. *Cantuariensem.*

PIO PATRI ET SANCTÆ SEDIS PRÆsuli Edilhardo Archiepiscopo humilis Leuita Albinus salutem.

AVDIENS vestræ salutationis verba dulcissima, & prosperitatis vestræ sanitatem, multis pernecessariam, valde me gauisum esse fateor; Domini & Dei nostri IESV Christi deprecans tota mentis alacritate clementissimam pietatem, quatenus vestram longæuam custodiat prosperitatem, in augmentum sanctæ suæ Ecclesiæ, vt per tuam deuotissimam doctrinam verbum vitæ æternæ currat & crescat, & multiplicetur numerus populi Christiani, in laudem & gloriam Saluatoris nostri. In quo opere te, frater sancte, laborare tota virtute obsecro. Et quanto plus appropinquat dies remunerationis, tanto magis mercedis tuæ felicitatem accumulare studeas.

Cogita quales habueris antecessores, doctores, & lumina to-

na totius BRITANNIÆ. Inter horum sacratissima corpora dum oraueris, illorum precibus certissimè adiuuaberis, si ab illorum vestigiis te nec seculi caduca blandimenta subtrahant, nec vani terrores Principum formidantem efficiant. Memor esto semper, quòd guttur tuum tuba DEI debet esse, & lingua tua omnibus præco salutis. Esto pastor, non mercenarius; rector, non subuersor; lux, & non tenebræ; ciuitas firma fide murata, non domus pluuiis diruta; miles Christi gloriosus, non apostata vilis; pater prædicator, & non adulator. Melius est Dominum timere, quàm hominem; plus DEO placere, quàm homini blandiri. Quid adulator, nisi blandus inimicus? amos perdit, seipsum & suum auditorem. Isti sunt qui consuunt puluilos sub omni cubito, & oues Christi, morbidas faciunt, non sanatas.

Ezech. 13.

Virgam accepisti pastoralem & baculum consolationis fraternæ; illam ad regendum, istum ad consolandum, vt mœrentes consolationem habeant in te, & contumaces correctionem sentiant per te. Potestas iudicis est, occidere, tua verò, viuificare. Quid times hominem propter gladium, qui clauem regni accepisti à Christo? Recordare quia passus est pro te; & non metuas loqui pro illo. Pro tuo amore clauis confixus pependit in cruce; & tu sedens in sella dignitatis tuæ, ob timorem hominis tacueris? Non ita, frater non ita. Sed sicut ille dilexit te, ita dilige & illum. Qui plus laborat, plus mercedis accipiet. Si persecutionem patieris propter verbum DEI, quid beatius? ipso Domino dicente: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et: Ibant Apostoli à conspectu concilij, gaudentes, quoniam digni habiti sunt cōtumelias pati pro nomine IESV. Et: Non sunt condignæ passiones huius temporis,

Matth. 5.

Act. 5.

Rom. 8.

poris, ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Si corripueris delinquentem, & ad tuam increpationem corriget se, etiam tibi est merces apud DEVM, & sibi erit salus à DEO. Si te oderit increpantem, illi est damnatio, & tibi beatitudo.

Esto miseris consolator, pauperibus pater, omnibus affabilis, donec intelligas, quid cuique respondeas: & semper tua responsio sale sit sapientiæ condita: non temeraria, sed honesta; non verbosa, sed modesta. Sint tibi mores humanitate præclari, humilitate laudabiles, pietate amabiles: vt non solùm verbis, sed exemplis erudias tecum viuentes, vel ad te venientes. Sit manus tua larga in eleemosynis, prompta in reddendo, & cauta in accipiendo. Præpara tibi thesaurum in cœlis. Diuitiæ viri, deprædatio animæ illius. Quia beatius est magis dare, quàm accipere. Inuenimus vnam pretiosam margaritam, demus omnia quæ habemus, & emamus illam. Lectio sanctæ Scripturæ sæpius tuis reperiatur in manibus, vt & illa te saturare, & alios pascere valeas. Vigiliæ & orationes assiduæ sint tibi, eò magis, quo pro toto populo Christiano intercedere debes. Locus tuus, inter Deum & homines stare, vt Dei legationes deferas ad populum, & pro populi peccatis intercedas ad Deum.

Fac te, eius donante gratia, dignum, ab eo exaudiri. Dignitas est in vitæ castitate, & prædicandi fiducia, ipsa attestante veritate: Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris: in lumbis castitatis sanctitas; in lucernis prædicationis claritas designatur. *Luc. 12.*

Memor esto, quòd Sacerdos angelus Domini Dei est excelsi; & lex sancta ex ore eius requirenda est. Iuxta quod in Malachia Propheta legimus: Speculator quoque est in excelsissimo positus loco. Vnde & Episcopus dicitur, quasi *Malach. 2.*

ſpeculator, qui omni exercitui Chriſti, prudenti conſilio prouidere debet, quid cauendum ſit, quidúe agendum. Iſti ſunt luminaria ſanctę Dei Eccleſię, doctores gregis Chriſti. Iſti in prima acie vexillum S. Crucis non ſegniter ſubleuare debent, & ad omnem impetum hoſtilis exercitus intrepidi ſtare. Hi ſunt qui talenta, redeunte Rege noſtro Deo Chriſto cum triumpho gloriæ ad paternam ſedem, acceperunt; & reueniente eodem, magno iudici in die vltima diſcretionis rationem reddituri ſunt, quantum quiſque ex prædicationis labore lucratus eſſet in officio ſuo. Quapropter teipſum, cariſſime frater, idoneum prępara miniſtrum ſermonis Dei; alios quoque conſacerdotes tuos admone diligentiſſimè, in verbo vitæ cum omni inſtantia laborare, quatenus multiplici negotiationis lucro ante conſpectum æterni iudicis, glorioſi appareant. Eſtote vnanimes in omni conſilio pietatis, & conſtantes in omni iudicio æquitatis. Nullus vos humanæ dignitatis terror ſeparet, nulla adulationis blandimenta diuidant; ſed quaſi acies caſtrorum Dei firmiſſima vnitate vos coniungite. Sic tandem concordia veſtra terribilis apparet omni qui vult veritati contradicere, Salomone dicente. Frater ſi à fratre adiuuatur, ciuitas firma eſt.

Prouerb. 18.

Vos eſtis, dicente veritate, lux totius Britanniæ, ſal terræ, ciuitas ſuper montem poſita, lucerna ſuper candelabrum eleuata. Item beato Principe Apoſtolorum atteſtante: Vos autem eſtis genus electum, regale Sacerdotium. Per veſtræ verò prędicationis inſtantiam nos erimus, quod in eadem ſequitur epiſtola: Gens ſancta, populus acquiſitionis; quatenus per vos virtus annuncietur illius, qui nos omnes de tenebris vocauit in admirabile lumen ſuum. Qui aliquando non populus Dei; nunc aũt populus Dei.

1. Petr. 2.

Patres itaque noſtri, Deo diſpenſante, licet Pagani, hanc

hanc patriam bellica virtute primum Pagani possederunt. Quàm grande igitur opprobrium est, vt nos Christiani perdamus, quod illi Pagani acquisierunt! Hoc dico propter flagellum quod nuper accidit partibus insulæ nostræ, quæ propè trecentis quadraginta annis à parentibus inhabitata est nostris. Legitur in libro GILDI Brettonum sapientissimi, quod iidem ipsi Brettones propter rapinas & auaritiam principum, propter iniquitatem & iniustitiam iudicum, propter desidiam & pigritiam prædicationis Episcoporum, propter luxuriam & malos mores populi, patriam perdiderunt. Caueamus hæc eadem nostris temporibus vitia inolescere; quatenus benedictio diuina nobis patriam conseruet in prosperitate bona, quam nobis in sua misericordia perdonare dignatus est. Vt hoc ipsum omnipotentis Dei largissima efficiat pietas, vos qui clauem regni cœlestis, cum Apostolis, ligandi soluendiq; potestatem accepistis à Christo, aperite assiduis prædicationibus portas cœli populo Dei; & nolite tacere, ne populi peccata imputentur vobis. Requirit enim à vobis animas Deus, quas ad regendum accepistis; & subiectorum salute, vestra multiplicatur remuneratio.

Pusillanimes consolamini, humiles roborate, errantes in viam veritatis reducite, ignorantes instruite, scientes exhortantes, & bonis exemplis vitæ vestræ omnes confirmate, contumaces & veritati resistentes virga castigate pastorali, ceteros baculo consolationis sustentate. Et si vnanimes eritis, quis vobis resistere poterit? Vel quis cum Deo pacem habebit, si prædicatoribus suæ salutis non obtemperet? dicente ipsa veritate ad prædicatores verbi Dei: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit. *Luc. 10.* Item ad confortandos eos, illisque fiduciam ingerendam loquendi sermonis Dei, eadem veritas ait: Quodcunque *Matth. 16.*

ligaueritis super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; solueritis super terram, erit solutum & in cœlis: Diuisa est potestas secularis, & potestas spiritalis; illa portat gladium mortis in manu, hæc clauem vitæ in lingua. His dicitur: Ne timueritis eos; de illis dicitur: Qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt. De spiritalibus quoque dicitur: Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Si Deus pro nobis, ait Apostolus, quis contra nos? Si Christus in medio suorum, quis illis nocere poterit? Idcirco vos Sacerdotes fiduciam habere debetis prædicandi, ceteri verò humilitatem audiendi & obedientiam faciendi, quæ iubetis. Illi, id est, seculares, sint defensores vestri; vos intercessores illorum, vt sit vnus grex sub vno Deo Christo pastore; & fiat hæc patria à bello nobis nostrisque nepotibus conseruata in benedictione sempiterna; vt ex hac mereamur ad illam peruenire quæ finem non habet, & est perpetua pace beatissima.

Matth. 10. Matth. 18. Rom. 8.

Vt ad hanc peruenire mereamur, vos sæpius cum Moyse seruo Dei deuoto pectore dicite: Respice Domine de Sanctuario tuo & de excelso cœlorum habitaculo, & benedic populo tuo & terræ, quam dedisti nobis. Item cum Propheta Ioël Domini cum lacrimis clamate: Parce Domine parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium gentibus. Apostolo Iacobo præcipiente, orate inuicem, vt saluemini: multùm enim valet oratio iusti assidua. Item Petrus Apostolus: Omnes vnanimes in oratione estote, compatientes fraternitati, humiles & misericordes. Et vas electionis præcepit, pro omnibus orationes fieri, pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt positi; quatenus omnipotentis Dei gratia populo Christiano tempora cum prosperitate concedat pacifica in laudē & gloriam sancti sui nominis.

Deut. 26. Ioel. 2. Iacob. 5. 1. Petri 3. 1. Tim. 2.

Vrbs æterna Dei, terræ sal, lumina mundi,
Bis sex signa poli, menses & ter quater anni,
Atque diei horæ, lapidesque in stemmate Christi,
Vestra aperire polum poterit vel claudere lingua.
Doctores vitæ, magnæ & medicina salutis,
Vos fontes viui paradisi & flumina sacra,
Vos decus Ecclesiæ, populi spes, ianua lucis,
Inclita progenies, Salomonis nobile templum.
Per vos ô Patres, nostro sub tempore tota
Virtutum meritis fœcunda Britannia floret.
Vos simul vnanimes Christi defendite castra,
Et clypeo fidei tela exsuperate nefanda.
Pectore concordes, fortes virtute superna,
Iudiciis iusti, humiles pietate modesta,
Doctores populi, ductores & gregis almi.
Semper vbique Deo vos vos estote fideles.
Multiplicate pio percepta talenta labore,
Maxima quod summo capiatis præmia cælo,
Cum Christo & Sanctis cælestia regna tenentes.
Vosque mei memores Christus conseruet vbique.
Alchuine dicor ego, vestro deuotus amori.
O vos pastores patres sine fine valete.
Et tu sancte pater ô Ethelbarde sacerdos
Iam valeas, vigeas, Christo donante, per æuum.

EPISTOLA II.

Edilredo Regi & Principibus populoque Nordanhumbrorum gentis.

EXCELLENTISSIMO ÆTHELREDO REGI & amicis dulcissimis Osbaldo Patritio & Hosberdo Duci, & omnibus fraternæ dilectionis amicis Alcbuinus Leuita æternæ beatitudinis salutem.

SVAVITAS sancti amoris sæpius me cogit de antiqua admonere amicitia, de animarum vestrarum salute, & de fidei veritate, & de pacis concordia, quam habere debetis inter vos; quia amicitia, quæ deseri potest, nunquam vera fuit. Amicus fidelis diu quæritur, vix inuenitur, difficilè seruatur. Vos, quærens, inueni amicos, seruabo amicos. Nec dimittam, quos amare cœpi, & si lingua taceat vestra de me, literæ tamen meæ non tacebant de vobis, sed semper admoneo deuotionis studio, quorum semper desidero prosperitatis salutem. Cogitate quis vos de multiplici liberauit tribulatione, quoties præsentem eius misericordia euasistis mortē. Quoties de manu inimicorum erepti fuistis. Recordamini, quis vobis omnes perdonauit honores, quos largitus est: prosperitates contulit, sanitates largitus est, omnibus vos vestris fecit sublimiores. His omnibus bonis nolite ingrati esse, quia eorum gratia bonorum vitam merebitur sempiternam. Nec hæc felicitas huius seculi vobis æterna esse poterit.

Studete diligentissimè, vt post hos honores terrenos cœlestes habere mereamini. Omnia huius seculi delectamenta velut volatilis fugiunt vmbra; & solummodo manet in remuneratione bona, quod pro DEI amore egistis. Grandis enim via de terris videtur esse in cœlum; firmissima debet esse scala, per quam ascenditur. Facilis est casus ad

ad inferna. Sed hæc facilitas magnam habet difficultatē, sempiternum siquidem ignem; qui vrit inextinguibiliter, cadens in illum. Difficultas verò ascensionis in cœlum magnum habet gaudium, dum peruenitur, quo ascendit, beatitudinem siquidem sempiternam.

Si fortè quæritis, quomodo quis ascendat in cœlum, vel quomodo cadat in infernum. Per mala igitur opera ruit homo ad inferna; per bona verò ascendit ad superna. Mala itaq; sunt opera delectatio carnalis, ambitio sæcularis, auaritia, & omnis concupiscentia mala, violentia, rapina, mēdacia, luxuria, fornicatio, inuidia, ebrietates, comessationes, inimicitiæ & superbia; dicente Apostolo: *Qui talia agunt, regnum* DEI *non possidebunt*, nisi in confessione & longa pœnitentia & eleemosynis multis emendentur. Vnumquodq; eorum, quæ enumeraui, regnum DEI claudere poterit & infernales pœnas aperire hominibus. Væ animæ, quæ ardentes flammas semper sustinere cogitur. Bona verò sunt opera, per quæ ascendere in cœlum possumus, charitas DEI, honor illius & timor, vigiliæ & orationes ad Dominum, dilectio hominum, & misericordia in homines, & remissio peccantibus in nos; iustitia in iudicijs, veritas in verbis, patientia in aduersitatibus; nemini reddere malum pro malo; eleemosynæ in pauperes; benignitas in omnes homines, pietas ad amicos, fides recta ad Dominum, spes firma ad illius bonitatem; modestia in vestimentis & omni vsu seculi: temperantia, continentia, in cibo et potu, in mente humilitas, in moribus honestas, in omni vita æquitas. Hi sunt gradus per quos cælum ascenditur. Hi mores, qui faciunt homines laude dignos. Hæc opera, quæ gaudia merentur sempiterna. Hęc est sapientia vera, vt homo sibi præuideat, quomodo in æternum fæliciter viuat. Nullatenus homo perire poterit, sicut animal quod-

Gal. 5.

libet, ſed poſt hanc vitam victurus erit in æternum: bene propter bona opera; malè propter mala opera: quia DEVS vnicuiq; reddet ſecundum ſua opera.

Nolite iniuſtas amare diuitias, quia omnis iniuſtitia vlciſcitur à Domino. Et melior eſt benedictio DEI, quam omnes diuitiæ mũdi. Quidquid in ſeculo amatur, amittitur; quidquid pro DEO datur, habetur. Cui largus eris, ſi tuæ animæ tenax? vel quis tibi fidelis erit, ſi tu tibi ipſe infidelis eris? Cur in aliũ ſpem ponis, & tu tibi ipſe benefacere non vis? Morieris ô homo, & omnia dimittes, quæ habes. Hîc vis diues eſſe peregrinus, & parui temporis hoſpes, & non vis ibi diues eſſe, vbi ſemper eris? Præmitte tibi diuitias tuas, vt habeas in æternum, quod amas in ſæculo. Conſtrue tibi bonis operibus beatam domum. Quàm miſer erit, qui ſemper arſurus erit in igne, qui tenebris circumdatur horrendis, qui nihil audiet niſi voces flentium & ſtridentium dentibus, horroremq; qui nihil ſentit, niſi flammas edaces & frigora ingentia & vermium venenatos dentes? Vt hęc horribilia, ô amice, euadere valeas, nullus tibi labor durus videri debet; vt ad illam beatitudinem peruenire merearis, æterna pace iucundiſſimam, æterna gloria feliciſſimam.

Nulla ſecularis ambitio, nulla carnis delectatio, nulla inimicorũ vindicta impediat curſum tuum; ſed curre dum lucem habes, operare dum dies eſt, quatenus ad lucem peruenias perpetuam, vt cum Chriſto & Sanctis eius regnare merearis ad gloriam ſempiternam.

Non ſolum vos viri clariſſimi, & filij chariſſimi his meis admoneo litterulis, ſed & omnes dilectæ gentis principes, & diuerſorum nomina ſeu Eccleſiaſticæ pietatis ordines, ſeu ſecularis potentiæ ſublimitates, communi charitatis intuitu, quaſi alumnus veſtrę dilectionis deuotus deprecor,

precor, DEI diligentissimè obedire præceptis, prædicatoribus salutis vestræ subditos esse. Illorum est, (*id est, sacerdotum*) verba Dei non tacere. Vestrum est, ô principes, humiliter obedire, diligenter implere. Regis est omnes iniquitates pietatis suæ potentia opprimere; iustum esse in iudicijs, pronum in misericordia. Secundùm quod ille miseretur subiectis, miserebitur ei Deus. Sobrium in motibus, veridicum in verbis, largum in donis, prouidum in consilijs; consiliarios habere prudentes, Dominum timentes, honestis moribus ornatos. Oportet eũ non cupidum esse alienarum hæreditatum, non auarum, non violenter rapientem, dicente Apostolo, Neq; fures, neq; auari, neq; rapaces regnum DEI possidebunt. Et sæpe per rapinas propria amittit; quia Deus gemitum exaudit oppressorum.

1. Cor. 6.

Legimus quoq; quòd Regis bonitas totius est gentis prosperitas, victoria exercitus, aëris temperies, terræ abundantia, filiorum benedictio, sanitas plebis. Magnum est totam regere gentem. A regendo verò Rex dicitur, & qui bene regit subiectũ sibi populum, bonam habet à Deo retributionem, regnum scilicet cœleste. Valde feliciter regnat in terra, qui terreno regno merebitur cœleste. Orationibus verò & vigilijs eò instantius ad Deum insistere debet, quò non pro se solummodo, sed & pro totius gentis prosperitate Deum deprecari debet. Similiter principes & iudices populi, in iustitia & pietate populo præsint, viduis, pupillis, & miseris sint quasi patres, quia æquitas principum populi est exultatio. Ecclesiarum Christi sint defensores & tutores, vt seruorum Dei orationibus, longa viuant prosperitate. Ecclesia sponsa est enim Christi, & qui eam violare nititur, vel rapere quæ sua sunt, vindicat in eum Deus Christus sponsus sanctæ suæ Ecclesiæ.

Videtis quomodo perierint antecessores vestri Reges,

& principes propter iniuſtitias, & rapinas, & immunditias vitæ: nec ab huiuſcemodi műdi ſe peccatis criminũ capitalium, Deum timentes, abſtinuerunt; nec, quod peius eſt, immaniſſima ſcelerum vulnera pœnitentiæ medicamentis ſanare curarunt. Computruerunt in peccatis ſuis, donec repentino terrore cecidit ſuper eos iudicium Dei, & tàm infeliciter in conſpectu omnium perierunt, quàm impudenter ſine vlla reuerentia peſſimis ſe inuolui ſceleribus non metuerunt. Heu quàm miſerè præſentem perdiderunt vitam! Sed multò miſerabilius in æternis cruciantur tormentis. Timete illorum perditionem, & à talibus voſmetipſos impietatibus obſeruate, in quibus illi perierunt. Idem enim Deus ſuper veſtra vigilat opera, qui illorum non pepercit ſceleribus. Multi verò per rapinas & iniquitates colligere geſtiunt, & neſciunt, quòd vtrumq; propter auaritiam iniquam, & terrena cito perdunt bona, & cœleſtia nunquam adquirunt.

Illiuſmodi, viri fratres, vobiſmetipſis cauete iniquitates, quatenus Deum omnipotentē in præſenti vita propitium habere mereamini, & in futuro æternorum largitorem bonorum.

Pacem habete inter vos, & benignitatem, & miſericordiam, & iuſtitiam ad oēs homines; & caſtitatem corporis cuſtodite veſtri, vt Spiritus ſanctus veſtris habitet pectoribus; qui ſapiens vobis ſemp ſuggerat conſiliũ, vſq; ab omni defendat hoſte viſibili & inuiſibili: veſtroq; Domino fideles eſtote. Per veſtram concordiam regnum dilatetur veſtrum, quod ſæpe per diſcordiam minui ſolebat; dicente ipſa veritate: Omne regnum in ſeipſum diuiſum non ſtabit. Sicuti maxima imperia per diſſenſiones inteſtinas dilapſa decreſcebant, & è contrario minima quæq; ciuitatis cuiuſlibet vel prouinciæ; per pacificā concordiā regnum creſce-

Matth. 12.

Vide Notas.

crescebat & proficiebat, & fortioribus sibi tandem imperabat regnis.

Timete flagellum, quod venit super Ecclesiam S. CVDPERTI, locū scilicet sanctissimum & multorum sanctorum suffragijs diuitissimū, nunc verò miserabiliter à paganis deuastatū. Qui hoc non timet, & seipsum non corrigit, & pro suæ patriæ prosperitate non plangit ad Deum, carneum non habet, cor sed lapideum.

Episcoporum est monasteria corrigere, seruorum Dei vitam disponere, populo Dei verbum prædicare & diligēter plebem erudire subiectam; Laicorum est obedire prædicationi, iustos esse & misericordes, quatenus diuina benedictio per suam magnam misericordiam nobis nostrisq; nepotibus patriam in bona prosperitate conseruare dignetur, quam nostris parentibus per pietatis suæ dexteram perdonare dignatus est.

EPISTOLA III.

Domino Piissimo & Præstantissimo & omni honore dignissimo Dauid Regi.

FLACCVS ALBINVS VESTRÆ BEATItudini æternam in Christo salutem.

DVLCEDO sanctæ dilectionis vestræ omnibus horis etiam & momentis auiditatem pectoris mei abundanter reficit, & decoris vestri facies, qua suos amabiliter considerare solebat, totas memoriæ meæ venas, cum magna iucunditate desiderabiliter implet, & quasi multarum in corde diuitiarum species, vestræ bonitatis nomen, & aspectus reconditur. Ideo mihi magna est iucunditas, vestræ dulcissimæ prosperitatis audire lætitiam,

ad quam etiam cognoſcendam, hunc puerulum, vt ſcitis, paruitatis meæ clientulum direxi: quatenus in ſalute ſublimitatis veſtræ, in gratiarum actione lætus, laudem miſericordiam Domini noſtri IESV CHRISTI: non ſolùm ego vltimus ſeruulus Saluatoris noſtri congaudere debeo proſperitati, & exaltationi clariſſimæ poteſtatis veſtræ, ſed tota ſancta DEI eccleſia vnanimo charitatis concentu gratias agere Domino DEO omnipotenti debebit. Qui tam pium, prudentem & iuſtum, his nouiſſimis mundi, & periculoſis temporibus, populo Chriſtiano perdonauit, clementiſſimo munere rectorem, atque defenſorem; qui praua corrigere, & recta corroborare, & ſancta ſublimare omni intentione ſtudeat, & nomen Domini DEI excelſi, per multa terrarum ſpatia, dilatare gaudeat, & catholicæ fidei lumen, in extremis partibus incendere conetur.

Hæc eſt, ô dulciſſime Dauid, gloria, laus, & merces tua in iudicio diei magni, & in perpetuo Sanctorum conſortio, vt diligentiſſimè populum excellentiæ veſtræ à Domino commiſſum corrigere ſtudeas, & ignorantiæ tenebris diu animas obcæcatas, ad lumen veræ fidei deducere coneris. Nunquàm optimis voluntatibus, vel bonis conatibus remuneratio diuina deerit. Sed qui plus laborat in voluntate DEI, plus mercedis recipiet in regno DEI. Tempus huius vitæ velociter currit, fugit, & non reſpicit. Ineffabilis verò DEI pietas, humano præuidebat generi, breuiter laborare, & æternaliter coronari. Ideo precioſa nobis debent eſſe tempora, ne perdamus per negligētiam quod per bonæ vitæ exercitium habere potuerimus æternum. Nec tantum diligere aliquid potuerimus in terra, quātum amabitur requies in cœlo, quam qui tunc habere concupiſcat, bonis nunc operibus promereri contendat. Omnibus itaque communiter regni cœleſtis ianua pateſcit; ſed illis in-

trare conceditur, qui cum multiplici bonitatis fructu ad eam festinant.

Ego FLACCVS vester secundum exhortationem,& bonam voluntatem nostram, aliis per tecta S. MARTINI sanctarum in olla scripturarum ministrare satago. Alios, vetereantiquarum disciplinarum mero inebriare studeo. Alios, Grammaticæ subtilitatis enutrire pomis incipiam. Quosdam stellarum ordine, ceu picto, cuiuslibet magnæ domus culmine, illuminare gestio: plurima plurimis factus, vt plurimos ad profectum sanctæ DEI Ecclesiæ, & ad decorem imperialis regni vestri erudiam: ne sit vacua DEI omnipotentis in me gratia: nec vestrę bonitatis largitio inanis. Sed ex parte desunt mihi seruulo vestro exquisitiores eruditionis Scholasticæ libelli quos habui in patria per bonam, & deuotissimam magistri mei industriam, vel etiam mei ipsius qualemcunque sudorem. Ideo hæc vestræ excellentiæ dico, anne forte vestro placeat totius sapientiæ desiderantissimo consilio, vt aliquos ex pueris nostris remittam, qui excipiāt inde nobis necessaria quęq;,& reuehant in FRANCIAM flores BRITANNIÆ, vt non sit tantummodo in Euborica, hortus conclusus, sed in Turonica emissiones paradisi cum pomorum fructibus: vt veniens Auster perflare hortos Ligeri fluminis,& fluant aromata illius, & nouissimè fiat, quod sequitur in Cantico, vnde hoc adsumpsi paradigma: Veniat dilectus meus in hortū suum, & comedat fructum pomorum suorū,& dicat adolescentulis su's, Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini chariss ni. Ego dormio, & cor meum vigilat: Vel illud exhortatiuum ad sapientiam discendam, Isaiæ prophetæ elogium: Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentū, properate, emite, & comędite: venite, emite absq; argento, & absq; vlla commutatione vinum & lac.

Cant. 4. 5. 6.

Isaiæ 55.

Hæc

Hæc sunt quæ vestra nobilissima intentio non ignorat, quomodo per omnes sanctæ Scripturæ paginas exhortamur ad sapientiam discendã, nil esse ad beatam vitam sublimius adipiscendam, nil ad exercitium iucundius, nil contra vitium fortius, nil in omni dignitate laudabilius etiam, & secundum philosophorum dicta, nil ad regendum populum necessarius, nil ad componendam vitam in optimos mores melius, quàm sapientiæ decus, & disciplinæ laus, & eruditionis efficacia. Vnde & de laude illius, sapientissimus explanat Salomon; Melior est sapientia cunctis preciosissimis, & omne desiderabile, ei non potest comparari. Hæc est, quæ humiles exaltat, quæ sublimes honorat. Per illam, reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per illam principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. Beati, qui custodiunt vias eius; & beati, qui vigilant ad fores illius quotidie.

Prouerb. 8.

Ad hanc enim omni studio discendam, & quotidiano exercitio possidendam exhortare, Domine rex, iuuenes quosq; in palatio excellentiæ vestræ: quatenus in ea proficiant, ætate florida; vt ad honorem caniciem suam perducere digni habeantur; & per eam ad perpetuam valeant peruenire beatitudinem. Ego verò secundum modum ingenioli mei, apud seruos vestros, in his partibus seminare sapientiæ grana segnis non ero, memor illius sententiæ; Mane semina semen tuũ, & vespere non cesset manus tua; quia nescis, quid magis oriatur; hoc, an illud; & si vtraque simul, melius est.

Ecclesi. 11.

Multa florentibus per ætatem studiis seminaui in Britannia. Nunc frigescente sanguine quasi, in Francia seminare non cesso. Vtraque enim, Dei gratia donante, oriri optans. Mihique fracto corpore solatio est sententia S. HIERONYMI, qui ait in epistola ad Nepotianum: Omnes

mnes penè virtutes corporis mutantur in ſenibus; & creſcente ſola ſapientia, decreſcunt cetera. Et poſt paullum: Senectus verò eorum, qui adoleſcentiam ſuam honeſtis artibus inſtruxêre, & legem Domini meditati ſunt die ac nocte, ætate fit doctior; vſu tritior; proceſſu temporis, ſapientior; & veterum ſtudiorum dulciſſimos fructus metit. In qua epiſtola, de ſapientiæ laude, & veterum ſtudiis, plura poteſt, cui placeat, legere; & intelligere, quantum veteres in decore ſapientiæ florere, ſtuduêre.

In hac, veſtram Deo amabilem, & vitæ laudabilem, ſemper proficere & gaudere agnoui diligentiam, & nobilitatẽ ſecularis proſapiæ, maiore mentis nobilitate exornare. In qua Dominus noſter IESVS CHRISTVS, qui eſt virtus, & ſapientia DEI, te cuſtodiat, & exaltet, & ad gloriam beatæ & perpetuæ viſionis ſuæ peruenire faciat.

EPISTOLA IV.

Ad eundem.

GRATIAS agimus clementiſſimæ bonitati veſtræ, dulciſſime DAVID, quod noſtrę paruitatis memoriam habere digneris, nobiſq; innoteſcere, quæ famulus veſter fidelis inſonuit auribus. Nec in hoc ſolo gratias referimus continuas veſtræ pietati, ſed in omnibus bonis, quæ mecum ex die, qua paruitas mea vobis nota facta eſt, perfecit. Optimè incepiſtis, ſed melius conſummaſtis. Quapropter continuis precibus Domini noſtri IESV Chriſti clementiam deprecor, quatenus qui tibi optima quæque in terrena felicitate conceſſit, longè meliora, æternæ beatitudinis regna tibi æternaliter concedere dignetur.

Plurima veſtræ venerandæ dignitati præſens ſuaderem,

ſi vel vobis oportunitas eſſet audiendi, vel mihi eloquentia dicendi: qui calamus charitatis, cordis mei arcana inſtigare ſæpius ſolet de veſtræ excellentiæ proſperitate tractare, & de ſtabilitate regni vobis à DEO dati, & de profectu ſanctæ Eccleſiæ CHRISTI, quæ multimoda improborũ perturbata nequitia, & ſceleſtis peſſimorum auſibus maculata, non in perſonis tantum ignobilibus, ſed etiam in maximis, & altiſſimis; quod metuendum eſt valdè.

Nam tres perſonæ in mundo altiſſimæ hucuſque fuêre: id eſt, Apoſtolica ſublimitas, quæ beati Petri principis Apoſtolorum ſedem vicario munere regere ſolet. Quid verò in eo actum ſit, qui rector præfatæ ſedis fuerat, mihi veneranda bonitas veſtra innoteſcere curauit. Alia, eſt imperialis dignitas, & ſecundæ Romæ ſecularis potentia. Quàm impiè gubernator imperij illius depoſitus ſit, non ab alienis, ſed à propriis, & conciuibus, vbiq; fama crebreſcit. Tertia eſt regalis dignitas, in qua vos Domini noſtri IESV CHRISTI diſpenſatio rectorem populi Chriſtiani diſpoſuit, ceteris præfatis dignitatibus potentia excellentiorem, ſapientia clariorem, regni dignitate ſublimiorem.

Ecce in te ſolo tota ſalus eccleſiarum Chriſti inclinata recumbit. Tu vindex ſcelerum, tu rector errantium, tu cõſolator mœrentium, tu exaltatio bonorum. Nonne Romana in ſede, vbi religio maximè pietatis quondam claruerat, ibi extrema impietatis exempla emerſerunt? Ipſi cordibus ſuis excæcati, excæcauerunt caput proprium. Nec ibi timor DEI, nec ſapientia, nec caritas eſſe videtur. Quid boni ibi eſſe poterit, vbi nihil horum trium inuenitur? Si timor DEI eſſet in eis, non auderent. Si ſapientia, nunquam voluiſſent. Si charitas, nunquam feciſſent. Tempora

pora sunt periculosa, olim ab ipsa Veritate prædicta: quia refrigescet charitas multorum. Nullatenus capitis cura omittenda est. Leuius est, pedes dolere, quàm caput. Componatur pax cum populo nefando: si fieri potest, relinquantur aliquantulum minæ, ne obdurati fugiant, sed in spe retineantur, donec salubri consilio ad pacem reuocentur. Tenendum est, quod habetur: ne propter acquisitionem minoris, quod maius est, amittatur. Seruetur ouile proprium, ne lupus deuastet illud. Ita in alienis sudetur, vt in propriis damnum non patiatur. Olim vestræ sanctissimæ pietati de exactione decimarum dixi. quia fortè melius est, vel aliquanto spatio vt remittatur publica necessitas, donec fides in cordibus radicitùs inolèscat: si tamen illa patria, DEI electione digna habetur.

Matth. 24.

Qui foras recesserunt, optimi non fuerunt Christiani, sicut in plurimis notum est: & qui remanserunt patriæ, in fæcibus malitiæ permanserunt. Nam Babylon propter peccata populi, dæmonum deputata est habitatio, vt in prophetis legitur.

Nihil horum tuam latere poterit sapientiam, vt puta in sanctis Scripturis, vel secularibus historiis te apprimè eruditum esse nouimus. Ex his omnibus plena tibi scientia data est à DEO, vt per te sancta DEI ecclesia in populo Christiano regatur, exaltetur, & conseruetur. Quanta tuæ optimæ deuotioni merces exhibeatur à Deo, quis edicere poterit? quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit DEVS diligentibus se.

Mitis ab æterio clementer Christus olympo,
Te regat, exaltet, protegat, ornet, armet.
Mens mea congaudet, bonitas iam vestra fidelis
Optima quòd regem suscipit ipsa senem.
Hæc precor aspiciat clementi lumine nostras
Litterulas, scripsit quæ pietatis amor.
Sidera sancta poli, viridis vel gramina terræ,
Omnia conclament, DAVID vbique vale.
Terra, polus, pelagus, homines, volucresque, feræq́,
Concordi acclament voce, Valeto Pater.

EPISTOLA V.

Benedicto, atque omni sapientia decorato, præfulgido Dauid regi.

FLACCVS ALBINVS IN CHRIsto salutem.

LICET proximè ad clementiam vestram, gemina scripta direxerim: quorum vnum debitum salutationis impleret officium; aliud, cuiusdam responsionis iura teneret, tamen occasione vestræ beatitudinis literarum accepta, respondere vtrisque conuenit, quas lumine & scientia & veritatis indagatione plenas veneranter accepi; & magno gratiarum actionis studio Dominum benedixi, qui virtute fidei & rationis experientia, vestræ pietatis pectus abundanter implet: ita vt in eo prærogatiua sacerdotalis doctrinæ, voluntas pietatis, & regalis potentia splendescere comprobetur maximè. Quia fides catholica, quæ vbique debet esse vna, & in nullo dissimilis, per vestram sanctissimam solicitudinem, sopitis schismatum erroribus, prædicari, & pollere dignoscitur. Et quantum regni

gni potentia prælatus, tantum sapientiæ decore, & sanctæ religionis feruore omnibus præcelsus.

Felix populus, qui tali principe gaudet, in cuius prosperitate salus cunctorum consistit, in cuius hilaritate, omniũ animus gaudebit, vt dictum est: In hilaritate regis, vita. Cuius solium dissipat iniquitatem, cuius vultus reuerentia vsque conseruat ad æquitatem. Nam quòd olim Apostolici patres suis scriptis in confirmatione fidei catholicæ, diuersis mundi partibus peregerunt, hoc vestra sanctissima solicitudo implere non cessat.

Prouerb. 16.

Hoc mirabile, & speciale in te pietatis, DEI donum prædicamus, quòd tanta deuotione Ecclesias Christi, à perfidorum doctrinis intrinsecùs purgare, tueriq; niteris: quanta forinsecùs à paganorum vastatione defendere, vel propagare conaris. His duobus gladiis vestram venerandam excellentiam, dextra læuaq;, diuina armauit potestas. Victor laudabilis, & triumphator gloriosus existis. Vnde & ad interioris pugnæ genus, meæ paruitatis deuotionẽ prouocare voluistis, cuius certaminis sudori libenter succubui, vt in libello, quem vestræ nuper direxeram pietati, agnosci poterit: licet necdum vestræ auctoritatis sigillo eundem libelli tenorem confirmatum cognouerim: & hoc reor vel tarditate portitoris, vel angustia temporis gestum esse; nullatenus solita bonitatis vestræ consuetudo in pluribus hoc agere literulis recusat, quod in rarioribus fecisse compertum est.

Chartulas verò calculationis cursus lunaris, vel bissextilis pręparationis, quas nostræ deuotioni tradidistis explorandas; inuenimus erga mensurationes diligentissimè exquisitas, acutissimè inuentas, nobilissimeque prolatas, Et quod mea olim deuotio de bissexto paucis inchoauit ratiunculis, vestra sagacissima indagatio, copiosè compleuit.

Quamuis conſiderandum ſit cur in quibuſdam menſibus ad eoſdem dies in anno ſecundo, vel tertio, vel quarto, cō-putus curſus ſolaris non perueniſſet. Item facilior, & expeditior lunaris curſus ſupputatio poſſe inueniri videtur: licet hæc optima, & acutiſſima, vſque ad vnum ſcrupulum, vel ſiliculum diſtinctè, & cautè currere intelligatur. Direxi excellentiæ veſtræ ſtamen quarundam ſupputationum, de ſolis, lunæq́; per ſigniferum curſu, cui ſi veſtri acutiſſimi ſenſus ſubtemen addere placuerit, fortè pueris palatinis contra frigus imperitiæ, aliquod veſtimenti genus texi poterit, ſicut in prioris texturæ meæ etiam ordinatione feciſſe probaueras.

Teſtaris meum eſſe, de terræ gremio, vel glebis puluerulentis, auri effodere atomos: Veſtrum eſt, regale diadema gemmis ſapientiæ præfulgidum venerando geſtare in vertice, quatenus laudabilis potentia omnium floreat genere virtutum, & multiplici meritorum laude ad cœleſtis regni gloriam, Chriſto regente, atque donante, peruenire mereatur.

Viuere me terris, vix vix ſinit improba febris;
Et me cœleſte ſcandere vultis iter.
Per campos, colles, herbas, & prata, virentes
Quærere ſuggeſsit dum mihi cara ſalus
Veſtra, repente poli iuſsit me ſidera ſummi
Infirmis pietas ſcandere iam pedibus:
Signaque zodiaci diſtinguere partibus alto,
Et quis conueniat ordo, locus, numerus.
Hippocratis campos nonne eſſet, pollice, pluris;
Cum pueris Flacco iam peragrare ſuis:
Quàm radio Arati, cœli deſcribere ſigna:
Vel lunæ, & ſolis dinumerare dies?

Sed

Sed tamen, vt cecinit præclarus commate vates,
Omnia vincit amor: nos quoque vincat amor.
Descripsi paucis partes, & sidera cœli,
Te mandante, meo pectore magnus amor.
Nunc videat pietas, si quid sit, vestra, probandum:
Pumice radendum an, pagina quidquid habet.
Iudice te, nullum, si nunquam fallit imago
Iam metuens fugiam, DAVID, in orbe decus.
Hæc vestro fuerint forsan si digna fauore;
Mox maiora, reor, incipit ipse senex.
Si DEVS æternus vitæ superaddet & annos:
Est bonitas cuius, quidquid habemus opus.
Chartula percurrens colles, camposque liquentes,
Distichon hoc cantet semper in ore suo.
Augeat, exaltet vestram benedictio vitam
Aeterni regis, (Dauid) amate DEO.

EPISTOLA VI.

Domino piissimo, & præstantissimo DAVID Regi.

FLACCVS CHARITATIS CALAMO vulneratus salutem.

GRATIAS agimus venerandæ pietati vestræ, quod libellum secundum vestræ iussionis præceptũ vobis directum, auribus sapientiæ vestræ, recitari fecistis; & quod notare iussistis errata illius, & remisistis ad corrigendum, quamuis à vobis melius emendari potuisset. quia alterius iudiciũ, in quolibet opere plus sæpissimè valet, quàm proprij auctoris. Minus tamẽ quiddã fecistis, quàm plenũ postulasset charitatis officiũ: quod sensus nõ doctè prolatos, vel catholicè exaratos, similiter noluistis notare; dũ quædã suspi-

ſuſpicio mihi, ex ſerie ſagaciſſimæ chartulæ veſtræ, nobis innotuit; non omnia probanda eſſe, quæ ibi lecta fuerint: quia defenſores eidem operi veſtræ excellentiæ dirigere iuſſiſtis: dum nullum magis idoneum meæ paruitatis dicta habere poſſint defenſorem, vel emendatorem, quàm voſmetipſos. nam auctoritas præcipientis, obedientis induſtriam defendere debet.

Quod verò in literis, vel diſtinctionibus, non tam ſcholaſticè currit, quàm ordo, & regula artis Grammaticæ poſtulat; hoc ſæpe velocitas animi efficere ſolet. Dum legimus, intentio oculorum præcurrere feſtinat officium. Nec ego, capitis dolore fatigatus examinare poſſum, quæ ſubito caſu ex ore dictantis volant. Et qui ſibi alterius negligentiam imputari nolit, non imputet alteri.

Diſputationem itaque FELICIS cum SARACENO, nec vidi, nec apud vos inuenta eſt, imò nec audiui nomen illius. Antea tamen, dùm diligentius quæſiui, ſi quis ex noſtris famam illius audiſſet, dictum eſt mihi, quod apud Laidradum Epiſcopum Lugdunenſem inueniri potuiſſet. Quapropter ſub feſtinatione direxi miſſum noſtrum, ad præfatum Epiſcopum, ſi fortè ibi inuenire potuiſſet, vt citiſſimè veſtræ præſentiæ dirigeretur.

EPISTOLA VII.

Domino dilectiſsimo, atque omni honore digniſsimo Dauid Regi.

FLACCVS VETERANVS MILES PERpetuam in Chriſto ſalutem.

LITERAS proſperitatis veſtræ, & conſolationis noſtræ, magno amore, & digno fauore ſuſcepimus, omnipotentis clementiam collaudantes, qui vos, fideleſq;

deleſque veſtros proſperis ſucceſſibus pollere fecit, & inimicos ſui nominis, veſtræ potentiæ ſubdidit pedibus. Hoc enim faciat DEVS, & hoc addat, vt triumpho terroris veſtri inimicas vndiq; ſubiiciat gentes, & ſuauiſſimo ſuę dilectionis iugo, in Chriſtiana fide ferociſſimos ſubiiciat animos.

Quod verò veſtræ benignitatis literæ Flacco taciturnitatis culpam ingerunt, quem feruor anguſtiã deſidem, non voluntatis efficacia pigrum efficit.

De pueris verò noſtris, quos pedibus paternis Romam pergere præcipit, velim ſcire, quãdo, vel vbi, vel quibus comitantibus, beatitudini veſtræ occurrere debent. Sed & de hoc quidem mihi improperare voluiſtis, me fumo ſordentia TVRONORVM tecta, auratis Romanorum arcibus præponere. Scio veſtram legiſſe prudentiam, Salomonicum illud elogium: Melius eſt, inquit, ſedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigioſa in domo communi. Et vt pax dicta, Magis ferrum nocet oculis, quàm fumus: TVRONIS enim fumoſis tectis contenta DEO donante per veſtræ bonitatis prouidentiam, in pace permanet: Roma verò, quæ fraterna diſcordia initiata eſt, miſtũ diſſenſionis venenum hucuſq; tenere non ceſſat, veſtræq; venerandæ dignitatis potentiam, ad huius partis cognoſcendam perniciem è dulcibus Germaniæ ſedibus feſtinare compellit.

Prouerb. 21.

Nos verò lacrymis abſentiam, & precibus iter veſtrum continuis proſequimur, diuinam humiliter obſecrantes clementiam, quatenus ſuos, veſtroſque ſimul, cum omni proſperitate ſanos ducat, & reducat gaudentes. Veſtræ verò pietatis literæ, nullatenus conſentio, vt obliuiſcantur mei, ſed ſæpius venient in ſpiritu conſolationis, vt oſculentur iterum, iterumq; relegantur, & in cordis theſauro perpetua dulcedine conſeruentur.

Tempora concedat Christus felicia regni
Huius & æterni, Dauid amate, tibi:
Det tibi consilium pacis simul, atque salutis,
Dauid amor populi, Christus vbique pius:
Omnipotens cuius defendat dextera semper,
Victorem faciens teque, tuosque simul.
Nomen vt æternum toto laudetur in orbe
Illius ex vobis pro pietatis ope.
Aspice cunctorum vitæ spes, forma salutis,
Qualiter ad vosmet tota recurrat ouans.
Qui tristis venit, redeat iam lætus ad vrbem,
Per pia dona patris, consiliumque sacrum.
Quod petit inueniens, quidquid sperauit adeptus,
Hinc Christo laudes hymnidicas referens.
Qui mundo talem tribuisset tempore nostro,
Rectorem sacræ regmine iustitiæ.

EPISTOLA VIII.

Ad fratres Lugdunenses.

RELIGIOSÆ in Christo conuersationis vestræ per Laidradum electum Pontificem, laudabilem audiens solicitudinem, magno me esse gaudio delectatum fateor. Quia Christus fons totius bonitatis, tales adhuc in his diebus, quando multorum refrigescit caritas, sui sancti nominis habet confessores; qui onera secularium occupationum abiicientes, leue Christi iugum propriis imponere ceruicibus gestiunt; & veram, quæ foras timorem mittit, caritatem & pectoribus suauiter retinent, & operib. veraciter ostendunt. Sed nunc tota hilaritate mentis, cœpti itineris cursus peragendus est. Quia, qui perseuerauerit vsq; in finẽ, hic saluus erit. Quia si torpens pigritia clam boni operis irrepserit, mox malitia palam mali operis succrescit.

Matth. 10. & 24.

Origo

Origo est iniquitatis, amissio bonitatis: &, dum suæ voluntatis sequitur homo affectum; mox diuinæ seruitutis perdit effectum. Inde primi angeli ruina fuit, qui in sua gaudens potestate, à Summo se declinauit Bono. Et qui gloriosior fuit à ceteris in conditione, factus est miserior omnibus in perditione. Vnde se superba mens erigit, inde maximè deiicitur. Ideò præcipuè necessaria est DEO seruientibus humilitas, & obedientia. Per humilitatis grad⁹, ad culmen peruenitur sublimitatis. Christus suis parentibus legitur esse subditus, vt nos humilitatis suæ exemplo ad bonum informet obedientiæ. Quæ est Monachorum vita, nisi charitas, humilitas, obedientia? Hæ sunt semitæ, quæ ad æternæ arcem ciuitatis euntem deducunt in eis. Catholica fides, quæ per dilectionem operatur, comitatur currentem in istis.

Luc. 2.

Nouas verò fratres charissimi HISPANICI erroris sectas tota vobis cauete intentione: Sanctorum Patrum in fide sequimini vestigia, & vniuersali Ecclesiæ sanctissima vos adiungite vnitate. Scriptum est, Terminos patrum tuorum ne transgrediaris. Et Symbolo catholicæ fidei noua nomina nolite inserere; & in ecclesiastici s Officiis, inauditas priscis temporibus traditiones nolite diligere: per Apostolicæ doctrinæ publicā stratam, nec per diuerticula cuiuslibet nouitatis, ad dexterā vel ad sinistram à via regia declinate.

Prouerb. 22.

Sunt etiam versus beati AMBROSII Episcopi de ternarij numeri excellentia nobilissimi, quos ad confirmationē trinæ mersionis huic epistolæ inserere placuit:

Omnia ..... vigent sub maiestate Tonantis:
Tres, Pater, & Verbum, sanctus quoq; Spiritus, vnum:
Trinas scrutaris species crucis, vna redemtrix:
Tertia lux Dominum remeantem à morte, recepit.

Trina dies Ionam tenuit sub viscera ceti.
Tres pueri cernunt Dominum flagrante camino.
Ter Sabaoth Sanctum referens benedictio psallit.
Ter mergendus aqua est, cui gratia plena lauacro.
Testibus adstabilis constat tribus actio cuncta.
Terno mense suis redeunt sua tempora membris.
Tres sunt ætates, flos, & rubor, ægra senectus.
Tres medij in causis, Iudex, defensor, & actor.
Tres in secla gradus; ortus, transcursio, finis.
Tres spem quæ palpant, requies, lux, gloria vitæ.

De obseruatione verò sanctissimi sabbathi, quod Dominicæ resurrectionis diem præcedit, vnde interrogastis, dignum nobis videtur, vt omni veneratione habeatur iucundus. & quidquid aliis diebus in quadragesimalibus epulis, seu salutis causa, seu necessitate qualibet cogente, vtendum fiat, in eo die non respuendum esse, nobis videtur dignum: non ad satietatem gulæ, sed ad venerationẽ sanctitatis. Non itaque DEVS tantum requirit, quid manducemus, quantum consideret, qua facilitate abstineamus ab interdictis, vel qua modestia vtamur concessis. In omnibus his temporum ratio, & fraterni amoris conuenientia obseruanda est. Ideo Dominum in Euangelio legimus dixisse, dum de Ioannis abstinentia, parabolam angelorum proposuit dicens: Et iustificata est sapientia à filiis suis: id est, filij sapientiæ intelligunt, in omnibus rebus vbique modestiam rationabilem, & concordiam pacificam esse laudabilem. Quæ etiam cuncta, vestra sanctitas, fratres charissimi, in opere melius agnoscitis, quàm nos verbis proferre valeamus.

Matth. 11.

Vos verò cœptum salutis æternæ iter, magna deuotione mentis, & corporis peragite, quatenus ad perpetuam cœle-

cœlestis gloriæ coronam peruenire mereamini: meq; in sanctis orationibus vestris obsecro; vt familiariter habeatis. Multum valet deprecatio iusti assidua, iuxta Apostolum Iacobum; quantò magis multorum fratrum. Deus secretorum testis nouit, quantum vos proficere in omni bonitate desidero, & de huius mortalitatis ærumnosa miseria, ad æternitatis gaudia transire concedat. Huius verò epistolæ exemplar fratribus qui in insula LIRINA Deo deseruiunt, vt dirigere faciatis, deposco, quia illi meam paruitatem de eiusmodi quæstionibus interpellare curabant.

Iacob. 5.

EPISTOLA IX.

(Nomine Caroli Magni ad Nicephorum Imp. Constantinopolitanum.)

CVM in omni humanæ actionis initio Domini sit auxilium inuocandum, maximè in hoc, quod modo inter nos DEO mediante agitur, negotio, Domini & Saluatoris nostri IESV Christi omni modo sunt imploranda suffragia: vt qui nomine illius signati sumus, & in dispensatione passionis eius ab æterno mortis periculo nos redemptos esse confidimus, ea quæ ipso inspirante inchoamus, ad honestum, & vtilem perfectionis terminum perducere mereamur: in cuius nomine, atque honore legatũ fraternitatis tuæ, quẽ ad bonæ recordationis filium nostrũ PIPINVM regem misistis, ARSATIVM scilicet, gloriosum spatariũ ad nos cum verbis, & literis ..... tuæ, benignè atq; honorificè suscepimus. Et quamuis ad nos missus non fuisset, veluti ad nos missum, adhibita diligenti cura, & audiuimus, & cum eo, de his, quæ detulit, quia prudentem animaduertimus, colloquutionem habuimus. Nec immerito,

ritò, cum tanta esset, non solùm in literis, quas attulit, sed etiam in verbis, quæ ex ore illius nostris auribus insonuerunt, optatæ ac semper optandæ pacis copia, vt valdè nos, & quibuscunq; Deum amantibus huiuscemodi legatio placere potuisset: quæ vtique tanto fuit charitatis, ac pacis fauo respersa, vt in palato cordis cuiusque fidelis veram possent sapere dulcedinem; possetq; iudicari penitùs insipiens, cui talia videntur insipida.

Propter quod postquam illum in fines regni nostri peruenisse comperimus, veluti præscij optimæ, ac DEO complacitæ legationis eius, temperare nequiuimus; oportunè eum ad nostram præsentiam venire fecimus: maximè tamen, quod is, ad quem illum missum esse cõstabat, dilectus filius noster PIPINVS Rex, diuino iudicio iam rebus humanis excesserat; neque nos illum cum infecto negotio tanto, ad quod perficiendum directus erat, vacuum reuerti, pati potuimus.

Et non solum propter hoc, sed etiam quod ex tempore, quo primo imperij tui anno, MICHAELEM Metropolitanum, & populum, Assiduum Abbatem, Callistumque gloriosum candidatum, ad constituendam nobiscum pacem, & fœderanda, atque adunanda hæc duo in Christi charitate, longæua tua misit dilectio.

Veluti in specula positi, longa fuimus exspectatione suspensi, præstolantes, siue per legatum, siue per epistolam, quando meritorum scriptis nostris, amabilia fraternitatis tuæ responsa susciperem. Iamque, vt se habet humanæ mẽtis infirmitas, prope desperatio cordi nostro incipiebat oboriri: Sed fidentes, sperabamus in eo, qui nunquam deserit sperantes in se, quod secundum Apostolum, labor noster in ipso vacuus, & inanis esse non deberet: ac desideriũ nostrum, quod, vt confidimus, ipsius inspiratione concipimus,

1. Thess. 3.

mus,

mus, secundum diuitias misericordiæ suæ, complere, & quandocunq; ad effectum perducere deberet. Idcirco audito aduentu memorati legati dilectionis tuæ, Arsatij gloriosi spatarij, magnoperè gauisi sumus, confidentes, nos de rebus incertis ad optatam certitudinem peruenturos, & de his, quæ prædictis missis tuis ad te perferenda dedimus, responsum esse recepturos. Et re vera ita factum est. Sensimus enim ex parte mea, quod desiderabamus, ad completionem votorum nostrorum, diuini fauorem auxilij, & in verbis, ac literis, quæ per legationem memorati legati perlata sunt, quamuis ad filium nostrum scripta, & directa essent, non minimam nos desideratæ responsionis accepisse portionem. *Philip. 4.*

Proinde omnipotenti DEO, non quales debuimus, sed quales potuimus, gratias agimus, quòd cordi dilectionis tuæ, quam quæsiuimus, ac desiderabilē pacis voluntatem inspirate dignatus est, orantes secundum Apostolum, vt DEVS, qui vobis in hac pace, velle, tribuit, ipse perficere tribuisset. Propter quod nihil morātes, sed omni cunctatione, ac dubitatione penitùs abiecta legatos nostros præparauimus ad tuam amabilem fraternitatem dirigendos. *Philip.*

EPISTOLA X.

Domino desiderantissimo, & omni sapientiæ decore clarissimo, Dauid Regi.

FLACCVS ALBINVS, PERPETVÆ pacis, & gloriæ salutem.

SOLENT itaque de fonte charitatis sæpius verba fluere salutationis; vel, si longinquitas terrarū vocis officia neget, apices dilectionis atramento formati multoties recurrant.

Idcir-

Idcirco supplici voto deprecor, vt liceat nostræ paruitatis chartulam, ad vestræ auctoritatis præsentiam sæpius recurrere, ferentem quæ vel vestræ sapientiæ iocunda, vel nostræ paruitati necessaria esse arbitremur, & opportunâ têpori. Flaccus vester legatur in literis, qui quondam audiebatur in verbis.

EPISTOLA XI.

Domino dulcissimo, & verè dilectissimo DAVID magnifico, atque à DEO coronato Regi.

FLACCVS VETERANVS MILES PERpetuam salutem.

POETISSIMA mihi literarum vestrarum chartula occurrit, febricitantem refocillans, dormientem resuscitans, imò & inertiæ morbo torpentem, ad antiquas studens reformare vires, & dulcem versificationis melodiam, inter horribiles armorum strepitus, & inter raucos tubarum sonitus admonuit miscere: quatenus truces animorum motus, aliqua musicæ suauitatis melodia mulcerentur: etsi vestræ mentis nobilissima stabilitas, in vnâ eâdemq; soliditatis Archa secû perpetualiter permaneat, & in mediocritatis libramine incôcussa fortitudine vigeat; tamen vt puerorum sæuitia vestrorum, cuiuslibet carminis dulcedine mitigaretur, voluistis etiam, & hoc ipsum sapiêtissimo consilio præuidistis. Quia sæpe iratæ mentis asperitas, salubris consilij non inuenit affectum, sicut assidua quoque mollicies animi eneruare solet fortitudinem. Sed inter hæc morborum genera medio tramite prudens temperamentum consistit; inde tumentem furorem mitigans; hinc,

hinc, desidem animum erigens,& via regia, in pacis consilio cuncta componit. Quod, militantibus, virtutis genus maximè necessarium esse, in antiquis historiarum libris legimus: vt cuncta, sapiens temperantia, quæ agenda sint, regat, atque gubernet.

Nam tria videntur in hoste consideranda: Virtus, dolus, pax. Primò, an publica virtute vinci valeat aduersarius. Sin autem: ad fraudes, & ingenia, dolos, res referenda est. Et, si nec hoc proficit, tunc pacis consilio, inimicitiarum odia esse delenda videntur. Tamen si immites animos aliquid Flacciana valeat fistula mulcere, omni solicitudine esse reor, secundum oportunitatem temporis & personæ perficiendum. Ego verò Flaccus tuus interim vado perficere fideliter cum omni instantia, quod vestra dulcissima auctoritas mihi per MAGENFREDVM fidelem vestrum demandare voluit. Et sciat certissimè bonitas vestra, quod nullus, maius desiderium habet, sicut iustum est, vestri auxilij supplementum implere.

Igitur amicus dicitur; quasi animi custos, id est, qui animum amici sui, cum omni solicitudine fidei studet custodire integrum; quatenus nullatenus sacrum amicitiæ ius alicubi violetur. Et hoc, rari sunt, qui intelligunt. Pænè vnusquisque secundum animi sui qualitatem, non alterius animi, qui amicus est huius, satisfactionē, amicitiam custodire quærit. Et si hoc in amico, & coæquali diligenter obseruari debet, vt inuiolata animi integritas pmaneat illius, quantò magis in domino, & in tali persona, quæ suos subditos, omni honore exaltare, & gubernare amat? Veterum itaque prouerbialis fulget sententia; Amicus diu quæritur, vix inuenitur, difficilè seruatur. Et in sancta Scriptura: amico fideli nulla est comparatio. Nunc igitur, quam diu quæsiuimus inter martia tela, Martis stella subito effulsit,

Eccli. 6.

quam sol diutissimè tenuit, sed Nemeæi leonis terrore liqt, qui ob memoriam Herculeæ fortitudinis cœlo inditus esse refertur; traditaq; est cancro per menses tres: dierum hîc multum dimisimus.

Quod verò sanctissima vestra beneuolentia nos admonere curauit, Ægyptiacum puerum percũctari, de administrandis quibusdam supputationibus decem horarum, vel quadrantalis supputationis, omnino gratissimè accepit animus meus, vt liceat interrogare, à nobis ignorata, vel per vos corrigere errata. Nam inter familiares personas, & sacra charitatis nomina obseruari debet, vt in literis discurrentibus magis emendatio sonet, quàm reprehensio. Eo modo omnes, discere, intelligere, & ad veritatis viam peruenire valent. Equus quatuor habens pedes sæpe cadit: quantò magis homo vnam habens linguam, per vices cadit in verbo. Nec me piget percunctari, audire, consentire veritatis rationi.

Nulla ætas, vt ait Comicus, sera debet esse ad discendam sapientiam. Quapropter quæro, & quærens diligenter audire cupio, quid sit immutandum in supputationibus decem horarum, & dimidia per singulos menses: quid contra ratione naturæ inueniatur in supputatione, quam chartula nostra vestræ direxit auctoritati. Nisi fortè notaria manus verba, syllabas, vel literas immutasset, quod sæpe euenire solet, nõ solùm latinis, sed etiam Ægyptiacis pueris, sicut in priore chartula nostra, de saltus diminutione, per vestram deuotissimam inquisitionem factum esse cognoui, & ità error scribẽtis quodammodo dictanti deputabatur.

Sed obsecro, vt piissima bonitatis vestræ sapientia, meum magis emendare curet errorem, quàm scripta paruitatis meæ in manus mittere reprehendentium. Sunt enim qui sibi laudem quærunt ex alterius reprehensione: & hæc

est

est infirma laus, & non valde laudabilis. Melius est amicum emendare, quàm reprehendere: sapientem se ostentare, quàm mordaciter alterum notare. Nunquam scripsissem talia, si vestram bonitatem nostræ insciencia defensorem, vel emendatorem esse, non crederem.

EPISTOLA XII.

Domino desiderabiliter venerabili, & venerabiliter desiderabili DAVID REGI.

IN FIDE ET CHARITATE Albinus salutem.

LITERIS vestræ nobilissimæ pietatis acceptis, in quibus vestram nobis valde amabilem sanitatem, & cuncto Christianitatis imperio pernecessariam prosperitatem cognoscens, totum cordis mei affectum in gratiarum actiones Christo clementissimo Regi effudi. In quibus, laudabilibus quoque vestræ sapientiæ apicibus, meam, vt soliti estis, segniciem, per interrogationes prudẽtissimas sagaciter excitare velle inueni: imò per inquisitiones magis docere, quàm ignorata discere agnoui: quia sapienter interrogare, docere est; veluti in vestrę auctoritatis pagina scriptum reperimus, vbi post congruam sentẽtiam veridico sermone exaratum perspeximus.

EPISTOLA XIII.

Eidem.

OPTATA mihi, & diu desiderata vestræ bonitatis literarũ facies subitò effulsit, permulto tẽpore auidos videndi oculos, sanctissimi vestri nominis apices

 refe-

resecerunt. Et licet aliquid reprehensibile sequenti serie de meis cantitassent literulis, tamen omnia melliflua dulcedine hausi: dum hoc desiderabile, & multum mihi amabile in primo capite nomen apparuit. gratissimum mihi etiam fore fatebor, vt sic vel beatitudinis vestræ syllabas merear osculari; vt quod perpetua, & inuiolata nō potuit promereri dilectio, saltem reprehensionis materia subito extorqueret: sciens meliora esse vulnera diligentis, quā fraudulenta oscula odientis.

Nec mirum, si tarditas aselli sustineat in dorso flagellū. Ego, tardus, ego meimetipsius immemor, vestrorum forsitan dignè puerorum sustinui flagellum. Entellus senior effœto corpore dudum cæstus deposuit suos, & ætate florentibus cedit illos indui. Ideo aliquis illorum seniorem & ingenti pugno percussit: ita vt caligo obuersaretur oculos senioris, & vix resumptis viribus frigidus circa præcordia recaluit sanguis. Et, vt ad rem veniam, ac ignorantiæ fomentis caput percussi medicari incipiam. Ego imperitus, ego ignarus, nesciens Ægyptiacam scholam in Palatio Dauidicæ versari gloriæ......

Videtur finis deesse.

EPISTOLA XIV.

Det tibi perpetuam .... in secla salutem,
Et decus imperij, DAVID amate, Deus.

VENERANDÆ auctoritatis vestræ omni melle dulciores apices per aridos BELGICÆ latitudinis iter agenti campos occurrerunt mihi, in quibus dum vestræ beatitudinis prosperitatem legens intellexi, & fidelium vestrorū amabilem perspexi salutē, totum me in gratiarum actiones Domino DEO IESV CHRISTO contuli;

li; felicia Christiano populo tempora, in vestræ felicitatis exaltatione & salute, certissimè sciens, pro qua semper DEVM deprecari gaudeo, eandem semper audire desidero, & quasi optatum, à Deoq; destinatum munus, omnino gaudeo, vestram incolumitatem cupiens semper audire. Quis enim est, qui non gaudeat de sui capitis perfecta integritate, nisi fortè furibundus, vel insanus? Et si iuxta Apostoli *Ephes. 5.* sententiam, Nemo carnem suam odio habet, sed eam fouet, & nutrit: quantò magis in capitis sanitate, in quo est totius corporis perfectio & gloria, omnis membrorum cōpago congaudere debet?

EPISTOLA XV.

Sanctisimis in Christo fratribus, & beato Martino confessori Christi seruientibus.

HVMILIS LEVITA ALCVINI salutem.

EX quo vestram beatitudinem scire potui, semper amare volui. quia sanctitas vestra cordi meo amorem infundit vestri, optans vnus esse ex vobis, vt si meritis esse nequiuissem, charitate tamen fraternæ dilectionis coniunctus essem, quatenus in die magno resurrectionis omnium particeps essem eorum, quos tantus pastor suo Regi præsentabit. O felix familia, tali gaudens pastore, talem habens in die Domini ductorem. Felix, qui eius tota voluntate sequitur vestigia, vt illius inhærens præceptis, ipsius mereatur consociari gloriæ. Vt hoc fieri valeat, nulla vos seculi concupiscentia; nullum carnale desiderium abstrahat: nec vestræ salutis vosmetipsos negligentes esse

 decet:

decet: nec paratam vobis à Deo gloriam parui pendere. Habetis enim Dei gratiam auxiliantem vobis, & magnum intercessorem, S. scilicet MARTINVM, deprecantem quotidie pro vobis. quia, in cuius seruitio quotidie statis in domo sua, illum habetis in cœlis omni hora suffragatorem.

Quapropter, dilectissimi fratres, diligentissimè contendite, vt sæpius vos inueniat visitatio sui sanctissimi spiritus in laudibus diuinis vigilantes. In loco, in quo elegit sibi requiem dulcissimam, sic fundite preces vestras, quasi præsente DEO loquentes, & Sanctis eius: nec sit aliud in corde, aliud in ore. quia homo audit, quod os loquitur: DEVS inspicit, quod cor cogitat. quia cor contritum & humiliatum DEVS non spernit. Et omnis qui se humiliat, exaltabitur. Per humilitatem verò, obedientiam, & charitatem, monachus cœlum ascendit.

Non est igitur laudabile in vestimentis, habitum imitari patrum, sine obseruatione mandatorum, quæ illi statuêrunt DEO seruientibus. Qui foris in oculis hominum ouis in vestimentis videri cupit; intus ante conspectum DEI per cordis secreta esse contendat, quod foris ante homines putari cupit.

Charitas igitur quam DEVS præcepit, duplex esse debet, id est, DEI, & proximi. Vna, quæ supra nos est, id est DEVS. altera, quæ iuxta nos est, id est homo. DEVS ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota diligatur virtute: Proximos verò sicut nosmetipsos diligamus. Si quærit quislibet, qui sit proximus; omnem Christianum intelligere debet, veluti in Euangelio legimus de Samaritano, qui vulneratum adiuuit. Item obedientia duplex esse debet; id est, & mala non facere, quæ prohibentur: & bona facere, quæ iubentur. Et hæc duo, id est charitas, & obedientia, cum summa iubentur humilitate impleri. Hæc

Luc. 10.

sunt

ſunt tria præcepta, quæ aperient monachis portas cœli.

His itaque quaſi radicibus, aliæ ſuccreſcunt virtutes, quaſi ramorum fertilitas, quibus fructus vitæ naſcitur æternæ. Nec me, rogo, ſanctiſſimi patres & fratres, præſumtuoſum æſtimate, cur vobis hæc ſcriberem. Charitas mea compulit, in has prorumpere literas; optans vobis omnia bona à Deo donari, vt in ſeculo honorem habeatis cum hominibus, & in futuro ſeculo vitam æternam cum ſanctis Dei.

Vos verò ſeniores, in ſpiritu manſuetudinis, ſicut Apoſtolus præcepit, iuniores veſtros admonete. quia illorum ſalus, veſtra eſt merces. Illorum eruditio, veſtra eſt remuneratio. Quia qui arborem plantat, mercedem de fructu illius accipere cogitat. Habete adoleſcentes, quaſi filios, quatenus illi vos habeant, vt patres. Exemplis bonis illos inſtruite: admonete, vt chariſſimos: caſtigate, vt conſeruos: quia hæc eſt fraterna charitas, vt omnes, quaſi voſmetipſos ad coronam ſupernæ beatitudinis perducere ſtudeatis. *1. Cor. 4.*

Adoleſcentes verò ſenioribus, quaſi patribus, ſubditi eſtote, ſicut de Domino Chriſto legitur in Euangelio, quòd ſubditus eſſet ſuis parentibus. Si verò DEVS homo, & dominus omnium, ſubditus eſſe non dedignatur hominibus: quantò magis & vos pueri, adoleſcentes ſubditi eſſe debetis magiſtris veſtris, vt per illorum bonam doctrinam proficere, & florere, & exaltari in Eccleſia CHRISTI, & ad vitam æternam cum illis, DEO donante, peruenire mereamini. *Luc. 2.*

Pro me ſemper intercedere dignemini, quatenus veſtris precibus veniam merear accipere peccatorum, & amabilē vobiſcū in die nouiſſimo Domini noſtri Ieſu Chriſti audire *Matth. 25.*

ſen-

ſentētiam: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratū eſt ab origine mundi.

Vos æterna DEI conſeruet gratia fratres.
Nominis atque mei memores ſine fine valete.

EPISTOLA XVI.

Ethelbreth Epiſcopo Haugustaldenſi.

Præcipuæ dignitatis paſtori Ill. Epiſcopo, & omni congregationi in Eccleſia S. Andreæ DEO ſeruientium.

ALCVINI VESTRÆ CLIENTELLVS ſanctitati.

PARVITATIS meæ literulas dirigere curaui, vt & pactum antiquæ familiaritatis innouarem, & me veſtris ſacratiſſimis commendarem orationibus. Viniuſcuiuſque in ſecreto oratio ad aures omnipotentis DEI. Et ſi vnius iuxta Apoſtolum, multum valet deprecatio iuſti, quantò magis & totius ſanctiſſimæ congregationis in Chriſto, quorum quotidie canonicis horis pacificæ vnanimitatis poſtulationes cœlum penetrare credendum eſt etiam, & ſingularius peruenire non dubitandum eſt. Quapropter cum omni petitionis humilitate, meipſum etiam vnicuique, & communibus omnium, & ſpecialibus ſingulorum, quantum ea valet apud veſtram pietatem deprecatio, commendo orationibus, vt per veſtræ ſanctitatis preces meorum catenis peccatorum abſolutus, fratres chariſſimi, vitæ ianuas ingredi merear.

Iacob. 5.

O nobiliſſima Sanctorum progenies patrum illorum honoris, venerabiliſque vitę ſucceſſores, & pulcherrimorum habitatores locorum, veſtrorum ſequimini veſtigia patrū, vt

vt de his pulcherrimis habitationibus, ad eorum, qui vos genuerunt, æternæ beatitudinis consortium, in cœlestis regni pulchritudinem DEO donante, peruenire mereamini.

DEI discite scire, & implere præcepta, illo dicente, Si vis vitam ingredi, serua mandata. Ideo necessaria est sanctorum lectio librorum: quatenus in eis quisque inueniat, quid sequi, vel quid cauere debeat. Maneat verò in vobis lumen scientiæ, & per vos aliis luceat Ecclesiis: vt vestra laus in ore resonet omnium; & vobis in cœlis merces maneat æterna. Vnusquisque proprij laboris mercedem accipiet. Pueros adolescentesq́; diligenter librorum scientiam in via DEI docete, vt digni vestri honoris fiant successores etiam, & intercessores pro vobis.

Matth. 19.

Suffragia verò viuentium, prosunt morientib. vel ad veniã peccatorũ, vel ad maioris glorię augmentũ. Qui non seminat, non metet: & qui non discit, non docet. Et talis locus sine doctorib⁹, aut nõ, aut vix saluus fieri poterit. Magna est eleemosyna, pauperem cibo pascere corporali; sed maior est, animam doctrina spiritali satiare esurientem. Sicut pastor prouidus gregi suo, optima prouidere pascua curat: ita doctor bonus, suis subiectis perennia pascua vitæ omni studio procurare debet. Nam multiplicatio gregis gloria est pastoris: & multitudo sapientium, sanitas est orbis.

Sap. 6.

Scio vos, sanctissimi patres, hæc optimè scire, & voluntariè implere. Sed caritas dictantis ab ore rapuit verba, credens vos pia velle humilitate legere, quæ sobria in DEI dilectione dictaui deuotione. Iterum iterumq́; obsecro, vt mei nominis inter familiares vestros memoriam habere dignemini.

Almitatem vestram pro tota DEI intercedentem Ecclesia, ipse Deus Christus exaudiat: vosq́; ad æternæ beatitudinis gloriam peruenire concedat charissimi fratres.

EPISTOLA XVII.

AD PONTIFICEM RICBODVM TREVErensis ciuitatis & Conuentum.

. . . .

EPISTOLA XVIII.

Pio patri, & amico charissimo Maçario monacho, & Pontifici.

FLACCVS ALBINVS, IN CHARITAte Christi salutem.

QVOD DEVS coniunxit, seculum non separat. Ecce qui venit ignem mittere in corda suorum, ille faciat ardere, quod incendit: nec flumina infidelitatis obruent ignem, qui in altari DEI diu noctuque ardere præcipitur. Nec alienum quislibet audeat ignem portare in tabernaculum spiritale: ne occidatur ab eo, qui suum semper ardere iussit. Quis est ignis DEI, nisi charitas: & quis alienus, nisi amor seculi? Ideo duo seruati sunt ex filiis Aaron, propter duo præcepta charitatis: & duo perierunt, propter seculi amorem, & amatorem illius.

Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea. Amemus, quod non auferetur: fugiamus, quod auferri potest. Impium est, diligentem non diligere, & retribuenti non retribuere. Quid retribuit nobis DEVS? retribuit nobis pro malis nostris bona sua. retribuemus ei pro bonis suis, bona nostra. Quæ sunt bona nostra nisi vt diligamus eum, & mandata eius obseruemus? Quæ sunt mandata illius? vt diligamus inuicem. In his duobus præceptis tota lex pendet, & prophetæ,

Cur

Cur ista tàm longo repetita principio, nisi vt scias ardorem cordis mei? Penè mihi melius esset, te pauperem habere præsentem, quàm diuitem absentem. Quid mihi diuitiæ, si non habeo, quem amo, si non considero, quem desidero? Tua potentia, mihi est miseria. Vbi est dulcissimum inter nos colloquium? Vbi sacrarum literarum studium desiderabile? Vbi læta facies, quam conspicere solebã? Vbi communio charitatis, quam fraternus amor hinc inde exercuit? Vbi saltem memoria nominis nostri? Ecce totus præteriit annus, quo nec literarum cõsolatio oculis aduenit: nec salutationis officium auribus insonuit. Quid peccauit pater, vt à filio obliuisceretur? Quid magister, vt discipulus neglexerit eum? Fortè exaltatio seculi dedignata est nomen magistri in illo. Aut peregrinatio mea viluit in oculis tuis, aut amor Maronis tulit memoriam mei. O si mihi nomen esset, VIRGILIVS, tunc semper ante oculos luderem tuos, & mea dicta tota perscrutareris intentione, & iuxta prouerbium illius, essem apud te,

Tunc felix nimium, quo non felicior vllus.

Quid faciam? an meam doleo infelicitatem, qui nõ sum, quem diligis? an tuam laudo sapientiam, quia diligis illũ qui non est? Filius recessit, Virgilius accessit: & in locum magistri nidificat Maro. Hoc dolens dictaui, vel propter obliuionem mei, vel propter absentiam tui: paululum ferociori pumice chartã terens, vt vel iratus aliquid rescriberes. Quia bos læsus fortius figit vngulam. Incipe vel defendere te, vel me offendere: vt intelligam studium, quo otium istius anni exercuisti. Et quo thesauro cor impleris tuũ, pande nobis, vt tecũ gaudeamus in bono tuo. Vtinã Euangelia quatuor, nõ Æneidos duodecim pectus compleant tuũ, & te auehat quadriga ad cœlestis regni palatium, vbi est honor indeficiens, & regnũ sempiternũ: vbi pro me intercedere credo memor eris. quia, vt illuc venires, exhortari gaudebam.

EPISTOLA XIX.

Dilecto patri Machario humilis Leuita salutem.

CHARITATIS dulcedinem literarum officia implere non possunt: tamen qualecunque lumen illius ostendere nituntur. Sicut digito præsens homo ostenditur, ita literis, absentis charitas demonstratur. Fateor, meæ mentis dilectio, tui tædet absentiam: essetq; aliquod amoris refrigerium, si vel tui cordis affectum per alterius audirem os, vel cum literas legerem, quem ardentius cuperem, intelligerem. Non disiungit seculum, quos Christi charitas coniunxit: Et veniat per eum optata dies viuendi, qui omnes dies creauit ad videndum. Multa tecum habuissem conferre, si tuæ colloquutionis familiaritate vti valuissem. Veniet tempus, dum vult ille, qui disponit omnia tempora. Cum omni charitatis dulcedine valeas fili frater amice........

EPISTOLA XX.

Sanctissimis in Christo fratribus, †Iuuauensis Ecclesiæ,

†Salisburgensis.

HVMILIS LEVITA ALBINVS IN Christi charitate salutem.

AVDIENS laudabilem in Christo vnanimitatis vestræ conuersationem, multa animus meus lætitia gauisus est, multoq; anhelabat desiderio præsentaliter ordinem videre vestrum, & meipsum humili deuotione vestris sacrosanctis commendare orationibus. Sed quia hoc vsque prohibuit variarum euentus rerum, & prolixa terra-

terrarum longinquitas, meæ paruitatis literulas in hoc officium dirigere curaui, vt desiderium cordis mei in apicibus cognoscatis, quod & olim pro patri AQVILÆ Pontifici, germano meo, pastori vestro iniungere studui, cupiens spiritali pręsentia, vnus esse ex vobis, & vnum esse vobiscum, vt vestra me sanctitas à terrenis leuaret cupiditatibus, & in cœlesti vobiscum collocaret desiderio.

O quàm felix est vita monachorum, DEO placabilis, angelis amabilis, hominibus honorabilis. Qui hac fideliter viuit inter homines, haud dubium, feliciter regnat inter angelos. Hanc primitiua, per Apostolos in Iudæa, initiauit Ecclesia: quibus omnia communia fuisse leguntur: & nemo aliquid suum esse dicebat. Hoc non solum in seculari substantia seruandum esse arbitror: sed etiam in desideriis spiritalibus, vt omnes vnum concupiscant, & obedientiæ bonum magis exsequantur, quàm propriæ voluntatis affectum. Si Christus suam non venit facere voluntatem, sicut ipse in Euangelio testatur, sed patris: quantò magis monachus suam nō debet facere voluntatem, sed Christi: nec segnis in opere DEI, sed studiosus: nec tantum considerare quid iubeatur, sed quomodo perficiatur, quod iubetur. Nec vllatenus murmurationis malum crescat in aliquibus. Si aliqui ex populo DEI in eremo, propter murmurationis perierunt peccatum: quantò magis monachus monasterij spiritali plectatur vindicta, si murmurationis malo mentem insolescere non metuit.

Ioan. 5. & 6.

Quapropter cum gratiarum actione accipiat, quod ei pastoris cura præuiderit sufficere. Sit enim sanctæ pacis concordia inter cunctos; Vitæ castitas in adolescentibus; morum grauitas in senibus: feruor operis in iuuenibus: nec quisquam se canonicis horis, vel regularib. psalmodiis subtrahat. Melius est cum angelorum cœtibus Christum lau-

dare, quàm torpentem segnitia, somno delectari: vel vigilando, inania exsequi desideria. Et non solùm verba sanctæ lectionis resonent in ore; sed intima cordis compunctio sequatur verba legentis, vel cantantis: Et nullatenus horis competentib. sacræ Scripturæ lectio recedat de manibus; quia diuersæ nunc hereses, sicut audistis, catholicæ fidei puritatem maculare nituntur.

Quapropter armate vosmetipsos scientia veritatis, sententiis Euangelicæ auctoritatis, vt resistere valeatis contradicentibus veritati. Quomodo pugnat inermis? vel quomodo docere potest, qui discere noluit? Spiritales sunt diuitiæ, sapientia in corde, vt Salomon ait, Thesaurus desiderabilis requiescit in ore prudentis.

Prouerb. 21.

Sanctæ fidei veritatem diligenter discite, & agnitam cordis recondite thesauro, & spe firmissima vos retinete ad Dominum, & charitate feruentissima illum amate, honorate, & laudate. quia hæc est pars optima, quam Maria elegit, sedens secus pedes Domini; quæ non auferetur ab homine in æternũ. Sed tantò ardentius post hanc vitam amatur Christus, quantò perspicacius eius intelligitur bonitas.

Sed non est opus meæ paruitati, vos admonere de singulis, dum habetis sacræ institutionis libros notissimos, & pium patrem, pastorem vestrum præsentem: qui vos viua voce melius admonere poterit, quàm mea series literarum. Tamen, vt debitam vobis ostenderem charitatem, paucis vos apicibus appellare studui, ad cognoscendam in vos meæ dilectionis fiduciam. Præfato itaque patri cum omni humilitate obedite. Ille habet rationem reddere sollicitudinis suæ pro vobis, & vos obedientiæ vestræ in illum æqualiter rationem reddere habetis. Ille, pro vobis in magno positus est periculo: vos, pro illo magna charitate intercedere studete: vt mercedem pro vobis habeat apud

DEVM,

DEVM, & vos requiem cum illo habeatis in regno DEI. Filiorum eruditio, laus eſt magiſtrorum; profectus gregis, merces eſt paſtorum.

Diuina auxiliante gratia cuſtodite vos fratres in omni caſtitate, humilitate, concordia, & charitate: onera veſtra inuicem portantes. Omnis ſermo malus, & impudicus, & impatiens, & inutilis ex ore veſtro non procedat; ſed q̃ ſunt ſancta, pia, & iuſta, & veſtræ condigna ſanctitati, ad exhortationem audientium loquimini. Et ſemper Deus honorificetur in ore veſtro, & quæ ad pacem pertinent veram, tota ſectamini intentione, & DEVS pacis erit vobiſcum. *Epheſ. 4.*

EPISTOLA XXI.

Dilectiſsimis, & valde venerabilibus in Chriſti charitate, Eboracenſis Eccleſiæ fratribus,

VESTRÆ FILIVS PIETATIS Alcuinus ſalutem.

TOTVM meæ deuotionis pectus veſtræ charitatis dulcedine impletur, & ſi quid pleni amoris modio ſuperaddi poteſt, quotidie creſcẽdo accumulatur, ità vt ſolius memoriæ de vobis ſuauitas, ſuperuenientes ſecularis anguſtiæ tribulationes longè à ſecretis mentis meæ cubilibus depellat. Et hoc mihi ſingulare ſolatium in ſpiritu conſolationis ſancto Dñs IESVS perdonare dignatus eſt.

Vos fragiles infantiæ meę años materno fouiſtis affectu, & laſciuum pueritiæ tempus, pia ſuſtinuiſtis patientia, & paternæ caſtigationis diſciplinis, ad perfectam viri edocuiſtis ætatem: & ſacrarum eruditione diſciplinarum roboraſtis. Quid plus dicere habeo, niſi vt æterna regis pietas, omnia pietatis in me, famulum ſuum, per vos benefacta, perpetua ſummæ beatitudinis gloria remuneret?

Hoc

Hoc ſingulis vigiliarum mearum momentis,hoc quotidiana ſupplicatione requiro. In hac prece in conſpectu altiſſimi, intimas deſiderij mei lacrymas, per loca ſanctorum Martyrum, vel Confeſſorum Chriſti,quò me iter inſtabilitatis deducat,fundere non ceſſo.

Vos ſemper in corde, & primi inter verba precantia in ore. Vos piiſſimi patres, ſeu in commune ſanctæ orationis foris,vel in ſecretis, deprecationum veſtrarum interceſſio, Alcuinum filium veſtrum, per DEI deprecor charitatem, iugiter in corde habete,& in ore. Vos quoque, qui eſtis ætate filij, ſed meritorum ſanctitate, patres, per diuinam obteſtor clementiam, nunquam eruditionis veſtræ, in ſanctis orationibus obliuiſcimini magiſtrum. Teſtis enim cordis mei mihi eſt inſpector, quia deuotè veſtrum ſemper in eccleſiaſticis diſciplinis, & ſpiritali doctrina deſiderabat profectum. Et ſiquid minus accepiſtis, non meæ culpæ deputari poteſt. Et nunquam iſtius voluntatis meæ,ſiue abſens, ſiue præſens, de veſtro profectu,beneuolentiâ ceſſabo.

Omnes dilectiſſimi patres, & fratres, memores mei eſtote: ego,veſter ero,ſiue in vita,ſiue in morte. Et fortè miſerebitur mei, vt cuius infantiam aluiſtis, eius ſenectutem ſepeliatis. Et ſi alius corpori locus deputabitur,tamen animæ,qualemcunq; habitaturæ,erit per veſtras ſanctas, DEO donante,interceſſiones requies.

Vobis credo: quia ſicut puer noſter Seneca ſe vidiſſe teſtatur, noſtræ fraternitatis animas in eodem lætitiæ loco congregandas eſſe credimus: etſi meritorum diuerſitas alium beatius lætari faciet; tamen æternitatis qualitas cunctos feliciter viuere efficiet. Et ſicut vnus ſol omnibus lucet,non tamen propter oculorum diſtantiam,æqualiter ab omnibus videtur; ita æterna beatitudo omnibus in DEI regno iuſtis perdonabitur; licet meritorũ ſublimitas alios

maiori

maiori gloria coronet. Ad quam gloriam, chariſſimi fratres, tota intentione & voluntatis & operis voſmetipſos dignos peruenire præparate.

Nulla carnalis concupiſcentia, nulla ſecularis ambitio, beatitudinis iter vobis intercludat, ſed via veritatis, & ſanctitatis, per quam beati patres, prædeceſſores noſtri, ad regna peruenerunt cœleſtia, ſuperna vos comitante gratia, pari pietatis conſenſu, vno voluntatis affectu, quotidianis currite profectibus. Omnem auram ſancta conuerſatione repellite ſegnitiæ; luxuriam caſtitate mutate; ebrietatem, quaſi inferni foueas effugite; ſuperuacuos veſtimentorum ornatus nolite exquirere. Melius eſt, ſeruos DEI animas eccleſiaſticis ornare moribus, quàm corpus laicorum conſuetudine, pompatica veſtire vanitate. Et melius eſt, ſacra matris Eccleſiæ mundiſſima calcare limina, quàm lutulentas villanæ feritatis ſemitas frequentare.

Regularis vitæ vos ordinata diſciplina, & eccleſiaſticæ pietatis moderatio, venerabiles efficiet. Sanctæ humilitatis pedibus, & diuinæ charitatis gradibus per paſſus obedientiæ cœli conſcendite regna. Hæc enim caduca, & tranſitoria, fortitudinis euincite animo, quatenus ad amabilem cœleſtis gloriç patriam, diuina vos vbique (adiuuante) gratia peruenire mereamini.

EPISTOLA XXII.

Venerabilibus in Christo fratribus in Ecclesia S. Leodegarij Episcopi seruientibus.

ALCHVINE, DEVOTVS VESTRI PROFECtus in Christo salutem.

DEsiderabilem vestræ beatitudinis salutationem, quam meæ paruitatis auribus fidelis frater, ille, attulit, gratissimo suscepi animo: valde desiderans in vestræ sanctitatis orationibus, in huius procellosæ vitæ nauigio adiuuari: quatenus piissima Saluatoris nostri gubernatione ad portum perpetuæ quietis, vobis intercedentibus, peruenire merear.

Quod ad vos non veniebam, non alicuius (DEVS testis est) despectionis causa feci, sed ne scandalum religioni vestræ, meæ inordinatæ conuersationis vita generaret, cupiens ædificare, & non destruere; congregare, & non spargere. Nulla est ouibus Christi maior damnatio, quàm pastor errabundus, & seductor per deuias orbitas. quomodo sequens viator viam incedet regiam? Nonne hastile aciem lanceæ sequitur in ictu?

Vos verò, fratres charissimi, totis moribus sanctorum patrum sequimini exempla. Illorum vnanimiter obedientiæ pedibus intrate vestigia. Charitas, obedientia, & humilitas monachis cœli ianuas aperient. Non illa charitas, quæ in pleno potatur calice, sed illa, quæ in pectore sine simulatione versatur fraterno: non sua quærens, sed quę alterius sunt: omnibus prodesse, non sibi placuisse quærens. Non illa humilitas tantùm, quæ in capitis inclinatione foris ostenditur, sed illa, quæ in cordis consideratione ante

con-

conspectum summi iudicis, omnibus se inferiorem esse iudicat. Quid de obedientia loquar? Tota monachorum vita in simplicitate consistit obedientiæ. Pater verò & pastor Deo rationem reddet, quid iubeat; & quibus ante eos viuat exemplis. Sicut & filij, & grex; qua deuotione paternis obtemperent iussis, omnium iudici rationem reddituri erunt.

Igitur pacem, & concordiam ex intimo cordis affectu inter vos habete. Quia nihil sine pace Deo placet; nec munus ad aram. Vnusquisque alium, iuxta Apostolum, præueniat honore. Seniores, in spiritu mansuetudinis, quasi filios admoneant adolescentes: Sed & illi patrum præcepta, quasi diuinitùs data, cum omni humilitate perficiant: seruantes in timore Dei, proprij castitatem corporis, vt Spiritus sanctus habitare dignetur in eis: dicente Apostolo, Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Et in sanctarum Scripturarũ lectione studiosi estote, vt possitis alterutrum ædificare, & consolari. quia qui non vult in iuuentute discere, in senectute scire non poterit. Et sicut seculi auarus quotidie sibi diuitias augere studet: sic seruus Dei sapientiæ gazas in sui pectoris saccos quotidie congregare studeat, vt sit scriba in Ecclesia doctus, proferens de thesauro cordis noua & vetera. Erudiens multos, sicut firmamentum stellis ornatum in perpetua fulgeat beatitudine.

Matth. 13.
Dan. 12.

Non me, obsecro, præsumptuosum æstimate fratres, ob huius admonitionis chartulam. Sed quod charitatis lingua dictaui, vos humilitatis perlegite oculis, meamq; fragilitatem orationum auxilio vestrarum roborate, vt Dei donante clementia, peccatorum meorum merear accipere veniam, ac vobiscum desiderabilem audire vocem; Venite benedicti patris mei: percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.

EPISTOLA XXIII.

† VViorensibus.

Sanctissimis in Christo fratribus, † humilis Leuita salutem.

SEMPER pietatis vestræ religionem, ex quo scire potui, amaui; magnamq; in vestræ vnanimitatis orationibus habens fiduciam: & modò licet corpore procul positus, animo inter vos semper assistens. Quia latitudo charitatis nulla diuiditur lōginquitate, nullis clauditur terminis. Sed quò magis ardet in pectoris antro, eò latius flammam suauissimi ardoris spargere adsuescit. Sicut fons paradisum irrigans quadrifidò tramite latum diffunditur in orbem: sic fons charitatis, pectus, virtutum floribus pullulans, in quatuor amoris riuos deriuatur, veluti S. AVGVSTINVS in libro primo de doctrina Christiana dixit.

Cum ergò quatuor sint diligenda; vnum, quod supra nos est; alterum, quod nos sumus: tertium, quod iuxta nos est: quartum, quod intra nos est. Deus supra nos est: proximus iuxta nos est: corpus nostrum infra nos est. De secundo, & quarto nulla præcepta danda erant. Quantumlibet enim homo excidat à veritate, remanet illi dilectio sui, & dilectio corporis sui. Ideo præcepit scriptura, vt DEVS diligatur, & proximus. Nullum rerum diligendarum genus in his duobus præceptis prætermissum est. Salus verò corporis propter seruitium DEI, amanda est: & integritas animæ, in DEO diligenda est: Proximus, id est, omnis homo, propter DEVM; & super omnia DEVS diligendus est. Diliges, inquit, Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; & diliges proximum tuum, sicut teipsum. Omnem verò hominem, proximum esse, exemplo vulnerati, & Samaritani disca-

Matth. 5.

discamus. Nullum autem exceptum esse cui misericordiæ denegetur officium, quis non videat? quando ad inimicos etiam porrectum est, eodem Domino dicente: Diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos. Si inimici diligendi sunt, quantò magis & fratres, qui vno ouili continentur. *Luc. 6.*

Vos verò fratres sanctissimi iisdem patribus spiritali doctrina congeniti; eisdem diu pastoribus per pascua vitæ deducti; similibus regularis vitæ institutionibus edocti, pacis & concordiæ vnanimitatem diligentissimè obseruate. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Non sint schismata occultę æmulationis inter vos. Quia Dominus Christus, Devs est pacis, & charitatis. Et, qui in charitate manet, in Deo manet. Dilectio verò proximi in officio misericordiæ, & doctrina salutis ostenditur. *1. Ioan. 4.*

Qui habet verbum Dei in corde, doceat proximum. Qui habet seculi facultatem, adiuuet proximum. Qui habet cuiuslibet ministerij scientiam, opituletur proximo. Ipso præcipiente Deo; Omnia quæcunque vultis, vt faciãt vobis homines, hæc eadem & vos facite illis. Regularis vitæ obseruationem, quam statuerũt vobis sanctissimi patres, Benedictvs scilicet, seu reliqui patres, diligentissimè custodite: quatenus cum illis æternam benedictionis mercedem mereamini. Hæc est laus vestra, iste honor vester apud homines, & retributio apud Devm.

Nolite conformare vos seculi hominibus in vestimentorum vanitate, in ebrietatis luxuria, in iocis, lasciuia, in societatis petulantia: sed cum omni modestia, & pietate conuersatio vestra Deo sit amabilis, & hominibus venerabilis, sicut decet filios sanctæ matris, & monachicæ vitæ alumnos.

Vos verò qui estis patres, & pastores sanctæ congregationis, docete Regulam sancti BENEDICTI. In conuentu fratrum propria exponatur lingua, vt intelligi possit ab omnibus. Ad cuius institutionem vnusquisque suam corrigat vitam: vt quod DEO vouistis ante altare, inuiolabiliter custodiatur à vobis, dicente propheta. Vouete, & reddite Domino DEO vestro. Displicet enim DEO infidelis promissio. Adsuescant pueri adstare laudibus superni Regis, non vulpium fodere cauernas, non leporum fugaces sequi cursus. Discant nunc Scipturas sacras, vt ætate perfecta veniente, alios docere possint. Qui non discit in pueritia, non docet in senectute.

Psalm. 75. Eccles. 5.

Recogitate nobilissimum nostri temporis magistrum BEDAM Presbyterum, quale habuit in iuuentute discendi studium: qualem nunc habet inter homines laudem? Multò maiorem apud DEVM remunerationis gloriam. Illius igitur exemplo dormientes excitate animos. Magistris adsidete: aperite libros: perspicite literas: intelligite sensus illorum; vt & vosmetipsos pascere, & aliis spiritalis vitæ præbere valeatis decus.

Quod in laicis laus esse videtur, id est, vestimentorum cultus, hoc in clericis, & maximè in monachis, reprehensio esse cognoscitur. Sed ipse princeps Apostolorum, etiam feminas à pretiosis vestimentis, & circulatis capillis prohibuit. Si hoc peccatum non esset, dicit GREGORIVS Papa, nunquam pastor Ecceslæ, à delicijs vestium feminas prohibuisset. Omnia vestra honestè, cum ordine fiat: vt laudetur DEVS in vestra bona conuersatione & honor vester apud homines crescat, & merces meritorum multiplicetur apud DEVM.

1. Tim. 2.

Breue est præsentis vitæ tempus, & vltima dies vnicuique

quę incerta, & cito rapimur ad iudicium. Qualis quiſque tunc cupiat eſſe, talem ſe nunc tota virtute exhibeat. Si quid peccati, pro fragilitate carnis commiſerit, abluat confeſſione, deleat pœnitentia; ne damnetur in pœna; ſed coronetur in gloria. Habetis ſanctos patres, qui vos genuerunt, adiutores; ſi illorum præceptorum eritis factores. ſed & angelicæ dignitates, & omnium Sanctorum agmina congaudent bonis veſtris: deſiderant vos ſocios habere ſuæ beatitudinis: imò & ipſe DEVS, qui vult omnes homines ſaluos fieri, vobis æterni regni præparatam habet gloriam.

Nolite vos propter deſidiam animi, vel carnales delectationes æternis fraudare bonis: ſed magis omni ſtudio intendite, vt Dominum hîc habeatis defenſorem; illîc, remuneratorem. Obſecro, vt pietas veſtra placidè perlegat, quod charitas noſtra deuotè conſcripſit. Meæ quoque paruitatis vt memores ſitis in ſanctis orationibus veſtris, per charitatis almitatem obteſtor, vt familiaritatem, quam donaſtis mihi, inuiolabili fide cuſtodire recordamini.

EPISTOLA XXIV.

Sanctiſsimæ congregationis, & dilectiſsimæ dilectionis Eboracenſis Eccleſiæ fratribus.

EIVSDEM PIÆ MATRIS FILIVS ALchuinus diaconus perpetui honoris in Christo pacem, & ſalutem.

VEnerabiles veſtrę dilectionis ab ENBALDO presbytero accepi literas. quarum pacificam inſcriptionis ſeriē, idem ipſe, qui portauit, mellifluis ſalutationis verbis valdè amplificauit; referens à vobis fraterni amoris, per-

perſeuerantiam in nos: ita vt inter lacrymas alloquutionis noſtræ, veſtras per ſingula verba voces me audire æſtimarim. quod & in literis apertiſſimè agnoui: in quibus legens, veſtras, viſum eſt mihi, facies cernere.

Quod vt verè fiat, omnium efficiat largitor bonorum, vt triſtitia veſtra, vertatur in gaudium, & gaudium noſtrum impleatur in illo; qui ſuis quoque ait diſcipulis: Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. In quo eſt gaudium indeficiens, ſalus perpetua, proſperitas beata, & beatitudo glorioſa. Vt hæc omnia nobis per ſuam concedere miſericordiam dignetur, illius tota dilectione, & tota virtute inhæreamus præceptis; ſanctorum patrum ſequamur veſtigia, qui nos genuerunt in Chriſto, & in hoc ſacratiſſimum ouile congregauerunt, & paternæ pietatis lacte enutrierunt. Horum animas in conſpectu ſummi paſtoris, ac redemptoris noſtri, æternis gaudiis ſemper adſiſtere credamus, & inde noſtris fauere precibus; ſi mandata vitæ, quæ nobis Spiritu ſancto inſpirante ſtatuerunt, concordi deuotione nos obſeruare agnoſcant.

Ioan. 16.

Recordemur omni hora, dilectiſſimi fratres, quales habuimus patres, & progenitores, quàm præclaros, & pios, Deo amabiles, & omni populo honorabiles. Nō ſimus degeneres illorum nobilitate filij, dum horum inter ſacratiſſimas conſtamus reliquias, eorum cogitemus imitari conuerſationem: quatenus eorum conſortes gloriæ effici mereamur. Non nos ſeculi ambitio, carnalis delectatio; non luxuriæ putredo: non ebrietatis venena à rectiſſimo vitalis vitæ tramite reuocent: per quem illi gradientes, gloriam cum Deo meruerunt ſempiternam.

Vnanimes eſtote, in omni bono conſilio: concordes in omni regularis vitæ diſciplina: Dei omnipotentis, qui cordis ſecreta conſpicit, honorem & voluntatem, pura primò

mò omnium quærite conſcientia: vt eius gratia, quæ optima ſunt, & ſaluti proxima, vos inuenire faciat. Fraternam, & pacificam ſemper habeamus charitatẽ, vt oues Chriſti, eiuſdem vitæ paſcuis epulantes, vnius ouilis muro manentes, in vna orationis domo, Dei nobis miſericordiam conuocantes.

Nec aliquis ſe canonicis horis à communione ſanctæ orationis, ſuæ negligens ſalutis, ſeparet. Melius eſt, vt Euangelica viſitatio, horis competentibus inueniat cum fratribus orantes, quàm diaboli ſæuitia, in aliqua negligentia, vel luxuria torpentes. Vnicuique ſecundum ſuum laborem merces manet in æternum.

Qui plus laborat, plus mercedis accipit. Nec labor ſalutis noſtræ durus debet videri. Sæpe auſteriora medicamenta exoptatam ſolent præſtare ſalutem. Videmus quàm anguſta porta, & arcta via ſancti Martyres vitã ingreſſi ſunt ſempiternam. Nos verò fratres, faciliori via, & leuiori curſu, ad eiuſdem vitæ poſſumus peruenire beatitudinem, ipſa dicente veritate: Multæ manſiones ſunt, in domo patris mei. Propter merita diuerſa, manſiones multæ: tamen omnibus beata æternitas, & æterna beatitudo erit. quia quiſquis ibi erit beatus, erit & glorioſus: vbi iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum. Sicut enim Sanctorum Martyrum perſequutores fuerunt, diabolo inſtigante, impij homines: ſic, noſtri perſequutores ſunt, diabolo ſuggerente, ſeculi concupiſcẽtia, & carnalis delectatio, & animi inconſtantia, & Dei negligentia mandatorum. Et veluti illi martyres ſancti, gratia adiuuante diuina, impios conſtanter vicerunt tyrannos, palmam æternæ acceperunt gloriæ. Sic & nos, ſi noſtros, Deo auxiliante, ſuperamus aduerſarios, & diabolicis viriliter reſiſtimus ſuggeſtionibus, coronam perpetuæ laudis, & palmam æternę beatitudinis accepturi erimus.

Ioan. 14.

Matth. 13.

mus. Vos fratres chariſſimi, mei habete, obſecro, memoriam in ſanctis orationibus veſtris, vt anima, perpetua proſperitate gaudeat in vobis.

Ego deuotus veſtræ paternitatis filius, nunquã obliuiſcor veſtri, ſed ſemper præ, & ſuper omnes alios diligo charitate Domini quotidie, cum intima cordis compunctione deprecans, vt vos æterna pietate cuſtodiat, regat, atq; protegat. Valete in Chriſto dilectiſſimi fratres.

EPISTOLA XXV.

Domini, & Saluatoris mundi ſanctiſsimæ congregationi, & pio patri.

HVMILIS LEVITA SALVTEM.

LAudabilem veſtræ beatitudinis conuerſationem, & condignam veſtro nomini vitam laudamus, & Dominum in vobis, qui tales ſui ſancti nominis dignatus eſt habere confeſſores. Nec enim fruſtra ſpeciali vocabulo monachi ſancti SALVATORIS vocamini: niſi quia eſtis meritis, quod nomine dicimini. Imò & tàm nobilis Rex, nobiles debet habere miniſtros, moribus egregios, in pace concordes, in corpore caſtos, in animo ſobrios: omni bonitate eximios: clariſſimis adſuetos triumphis: non fuga vitam defendere, ſed in acie firmiter ſtare, viriliter pugnare, fortiter vincere, quatenus cum glorioſa victoriæ palma, æterni Regis ciuitatem intrare mereamini.

Hoc conſiderantes, fratres, adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec cognominetur Chriſtus in vobis. Et ad finem firmum, cœptum iter beatæ conuerſationis peragite, vt vnuſquiſque cum Apoſtolo dicere dignus efficiatur: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fi-

1. Tim. 4.

ui, fidem seruaui. De reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex.

Vestræ petitionis, & voluntatis ad Dominum Regem, quantum valui, fui adiutor: secundum quod mihi fraternitatis vestræ missus suggessit: mihiq; adiutricem LIVDGARDAM, piissimam in DEO fœminam adduxi. Sed obsecramus, vt sanctissimis orationibus vestris, nostrum pro vobis laborem remunerare dignemini. Nam olim per ENGILRAMMVM Archiepiscopum, & sanctæ Capellæ Primicerium me ipsum vestræ commendaui sanctitati. Sed modò quasi singulorum pedibus prouolutus, obsecro, vt me in huius (vitæ) salo fluctuantem pietatis precibus ad portum perpetuæ quietis, diuina donante gratia, transportare dignemini: vt & ego animæ meæ salutem, fraternæ intercessionis iuuamine habere merear: & vos vitæ æternæ retributionis mercedem à DEO, pro charitatis officio digni accipere mereamini. Omnipotens DEVS exaudiat preces vestras, & multis prodesse concedat: vobisq; perpetuæ præmia gloriæ donare dignetur charissimi, & desideratissimi fratres.

EPISTOLA XXVI.

Dilectissimis viris fratribus, & patribus, in Prouincia Scotorum.

HVMILIS ECCLESIÆ CHRISTI VERnaculus Albinus diuinam salutem.

PLurima vestræ sagacitatis, & religionis laus nostris sæpius insonuit auribus: seu propter sacratissimam monachorum vitam; seu propter laicorum religiosam côuersationem: dum illi ab omni strepitu secularis inquietudinis, soli Deo vacare desiderant: & isti, inter mundanas occupationes, castissimã vitã degere dicuntur. Isti

intercessores suos præsentis vitæ solatiis sustētare gestiunt: quod quisque gratiam benedictionis sibi à DEO datam, sibi in alterutrum refundat. Vnde & nos vestræ pietatis exemplis edocti, nostri nauigij cursum orationibus vestræ sanctitatis ad portum quietis dirigi precamur.

Nos quoque mutuo charitatis officio vestræ sanctitati, aliquātulas pię admonitionis literulas dirigere curauimus; propter quasdam consuetudines, quæ vestris inoleuisse fertur regionibus. Dicitur verò, neminem ex Laicis suam velle CONFESSIONEM sacerdotibus dare, quos à DEO Christo cum sanctis Apostolis ligandi, soluendiq; potestatem accepisse credimus. Quid soluit sacerdotalis potestas, si vincula non considerat ligati? Cessabunt opera medicorum, si vulnera non ostendunt ægroti. Si vulnera corporis carnalis medici manus exspectant: quantò magis vulnera animæ spiritalis medici solatia deposcunt.

Matth. 16. & 18.

DEO vis, ô homo, confiteri, quem volens, nolens latere non poteris: Ecclesiæ Christi, in qua peccasti, satisfacere negligis? Cur ipse Christus leprosum, quem mundauit, sacerdotibus se iussit ostendere? Cur Lazarum quatriduanum resuscitatum alios soluere iussit? Nunquid fasciamēta mortui eodem verbo soluere non potuit, quo mortuum vitæ redditum de sepulcro prodire iussit? Cur interrogauit cæcos ad se clamantes, quid voluissent? An ignorare cordis eorum voluntatem potuit, qui optatum lumen oculis illorum reddere valuit? Fortè si DEVM latere, sicut hominem potuisses, nec DEO plus quàm homini confiteri voluisses. Superbiæ hoc genus esse videtur, sacerdotem iudicem despicere.

Matth. 8.
Ioan. 11.

Si dicis, Bonum est confiteri Domino. Sed bonum est huius confessionis te habere testem. Licet non semper cōfessio pœnitentiam significet, sed sæpissime laudem, vt in

Psalm. 91.

Euan-

Euangelio ipsa veritas dixit: Confiteor tibi pater cœli, & terræ, id est, laudo te pater cœli, & terræ. Et in Symbolo dicitur: Confiteor vnum baptisma, & cetera, quæ sequuntur ad idem respicientia verbum: quod verbum, id est, confiteor, in hoc loco confessionem fidei, non peccatorum designat. Erubescis homini in salutem tuam ostendere, quod non erubescis cum homine in perditionem tuam perpetrare? Ancillam tuam iniquitatis tuæ consciam vis habere; & Sacerdotem Christi, reconciliationis tuæ non vis habere adiutorem? Per inimicum corruisti, & non vis per amicum resurgere? Multùm offendisti Dominum, & alium nō vis habere reconciliatorem, nisi teipsum? Confidis per orationes tuas saluari? Spernis Apostolicum præceptum dicentis; Orate pro inuicem, vt saluemini. Et iterum: Si quis peccator est, oret pro eo sacerdos, vt saluetur. Quid ad hæc dicis, quæ in hac epistola leguntur: Confitemini alterutrū peccata vestra, vt deleantur delicta vestra? Quid est illud, Alterutrū; nisi homo homini, reus iudici, ægrotus medico? Ipsaq; sapientia per Salomonem dixit: Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: id est, non dirigetur in viam salutis, qui peccata sua celare studet.

Matth. 11. *Iacob. 5.* *Prouerb. 28.*

Nunquid DEO abscondi possunt scelera nostra, qui omnia videt, nouit, & considerat? Homini possumus abscondere, quæ agimus, at non DEO. Nonne Dauid, præsente Nathan Propheta, qui se arguebat pro suo peccato, dixit, Peccaui Domine? Ecce tantus vir testem confessionis suæ voluit habere prophetam. Et quia non erubuit confiteri, quod impiè gessit, statim audiuit: Ecce Dominus transtulit peccatum tuum. Homini patefecit vulnus suum & à DEO mox remedium accepit. Nam & in Leuitico sæpissime, Domino mandante, peccator ad Sacerdotem mittitur cum victima, quam offerens DEO, oret pro eo, & dimitta-

2. Reg. 12. *Leuit. 5. 9. 12. &c.*

tur ei. Quæ ſunt noſtræ victimæ pro peccatis, à nobis commiſſis, niſi confeſſio peccatorum noſtrorum? quam purè DEO per ſacerdotem offerre debemus: quatenus orationibus illius, noſtræ confeſſionis oblatio, DEO acceptabilis fiat, & remiſſionem ab eo accipiamus. cui eſt ſacrificium, ſpiritus contribulatus: & cor contritum, & humiliatum non ſpernit.

Pſalm. 50.

Chriſtus pro noſtris ſceleribus ab inimicis iudicari in hunc mundum venit, vt nos redimeret à diaboli ſeruitute: & nos dedignamur à ſanctis DEI ſacerdotibus iudicari, vt liberemur à vinculis peccatorum noſtrorum? Ille abſque omni peccato, hominum adſiſtere, & hoc, impiorum, iudicio, non renuit: & nos cum multis peccatis hominum iudicia, & hoc ſanctorum, ſubire contemnimus? Nonne in ſacro baptiſmate ſacerdotibus Chriſti noſtræ fidei confeſſionem, & abrenuntiationem ſatanæ dare debemus: & ſic ſacerdotali miniſterio, diuina operante gratia, ab omnib. ablui peccatis? Cur etiam & in ſecundo pœnitentiæ baptiſmate, per confeſſionem humilitatis noſtræ, ab omnibus poſt primũ baptiſma peractis, eâdem diuinâ miſerante gratia, ſacerdotali ſimiliter auxilio non debemus abſolui peccatis?

Si peccata ſacerdotibus non ſunt prodenda, quare in Sacramentario, Reconciliationis orationes ſcriptæ ſunt? Quomodo ſacerdos reconciliat, quem peccare non nouit? Si conſiliis, iuxta Salomonem, tractanda ſunt bella: quali audacia, ſine conſilio Eccleſiaſticorum ducum pugnare nos aduerſus diabolum confidimus? Item eôdem dicente, legimus; Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma eſt. Quem adiuuat Sacerdos Chriſti dux exercitus DEI, & rector caſtrorum illius: ſi nullus ab eo ſuæ ſalutis auxilium quærere dignatur? ſi nemo occulta diabolicæ frau-

dis

dis vulnera, illius medicinali dexteræ tractanda ostendit?

Inaniter itaque posita sunt in Ecclesiis remedia, & Synodali auctoritate literis mandata, contra omnium peccatorum nostrorum vulnera, quæ vel antiqui hostis versutia, vel negligentia mandatorum DEI spiritaliter, aut carnaliter nobis infligūtur, si non his, qui in Ecclesia Christi statuti sunt, ad sananda putrida scelerum nostrorum vulnera reuelantur. Corde enim creditur, dicit Apostolus, ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Non solum catholicæ fidei, sed etiam pura peccatorū confessio, cordis compunctione nobis ad salutem proficit sempiternam, dicente scriptura: Dic prior iniustitias tuas, vt iustificeris. Et iterum: Iustus in principio accusator est sui. Si iustus, quantò magis peccator? *Rom. 10.* *Isaiæ 43.* *Prouerb. 18.*

Si fortè dicis cum psalmista; Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meā Domino. Et ego cum eodem dicam: quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea. Et iterum cum alio propheta: Computruerunt iumenta in stercore suo. Quid est, iumenta in stercore suo putrescere, nisi criminosos quosq; in putredine peccatorum suorum iacere? Qui peccat, iacet: qui confitetur, surgit. Qui pœnitentiam agit, reuertitur ad patrem suum; sicut prodigus filius in Euangelio legitur dixisse: surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum, & coram te. *Psalm. 31.* *Ioel. 1.* *Luc. 15.*

Sed semel sacerdoti in præsentia diuinæ pietatis confessio facienda, sufficit. Semper autem Domino cum lacrymis, & cordis contritione faciendam esse arbitramur. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur eius opera, quia in DEO facta.

Vos igitur, viri fratres, filij lucis estis, & non tenebrarum: populus acquisitionis, & non perditionis: gens sancta, Christi sanguine acquisita. Ambulate, vt filij lucis in omni bonitate,& pietate,& castitate, exuẽtes veterem hominẽm, cum peccatis suis, & induentes nouum,qui secundum DEVM creatus est. Sit conuersatio vestra cœlestis, & non terrena. Diligite iustitiam, & odio habete iniquitatem.

Ephes. 4.

Qui sanus est, defendat se scuto fidei, ne clandestina antiqui hostis sagitta eum vulnerare valeat. Si quis verò propter fragilitatem carnis, vel propter negligentiam circumspectionis vulneretur, citius ad confessionis medicinã recurrat: ne per illecebram malæ consuetudinis vix eradicari valeat peccatum. Tres enim mortuos Dominum IESVM Christum Euangelica narrat historia suscitasse: filiam Archisynagogi in domo: filium viduæ, extra portam ciuitatis: Lazarum quatriduanum de monumento ad vitam vocauit. Qui sunt hi tres mortui, nisi tria peccantium genera? quæ modò quotidie diuina confitentibus suscitare solet gratia. Filiam suscitat in domo, dum consentientem in corde peccare,reuocat à peccati perpetratione. Filium viduæ,extra portam ciuitatis suscitat, dum peccantem foris in opere,ad pœnitentiæ medicamenta confugere facit. Fœtentem verò in mala consuetudine peccati, dum lacrymas pœnitentiæ elicit ex corde,suscitat; & ex ecclesiastica auctoritate soluere eum iubet, vt dignus sit communione Domini,& particeps sacri altaris efficiatur.

Marci 5.
Luc. 7.
Ioan. 11.

Hæc cogitate charissimi fratres, & in qualicunque horum trium mortuorum genere si quis iaceat, citius ad confessionis probatissima medicamenta confugiat, salutifero pœnitentiæ se abluat medicamine: vt non ad iudicium damnationis, sed ad salutem sanctificationis communicet corpo-

corpore, & sanguine Domini nostri IESV Christi. Et cum gratiarum actione semper rememorate, quomodo vos diuina misericordia, de terra tenebrarum, & frigoris, de regione ignorantiæ, & iniquitatis, transtulit in loca lucis, & lætitiæ, in tabernacula abundantiæ, & iustitiæ: & elegit vos sibi in filios pietate paterna, vt per vos nomen illius nuntietur in gentibus.

Sequimini vestigia sanctorum patrum, & nolite in Catholicæ fidei religionem, nouas inducere sectas. Cauete vobis venenosum erraticæ inuectionis fermentum: sed in synceritate, & veritate mundissimos sacræ fidei panes comedite: & vinum, quod diuina electis suis miscuit sapientia, bibite: & cantate DEO vestro in concordia pacis, & vnanimitate charitatis perpetuæ canticum laudis, & cum militia cœlesti, consona voce, laudate Dominum, & dicite, Gloria in excelsis DEO, & in terra Pax hominibus bonæ voluntatis. Diuina vos præueniat gratia, & subsequatur vbique clementia, & in omni opere bono florere faciat viri fratres dilectissimi, & sanctissimi patres.

EPISTOLA XXVII.

Domino beatissimo, atque omni honore nominando, Leoni Papæ.

HVMILIS LEVITA ALBINVS ÆTERNÆ in Christo gloriæ salutem.

SVscipiat obsecro sanctissima pietas vestra, Pater gloriosissime, benigno animo nostræ paruitatis literulas, & me deuotum vestræ dilectionis famulum agnosce.

Semper sanctæ Romanæ sedis beatissimos, quantum valui, Principes, & Pastores amaui: cupiens illorum sanctissimis intercessionibus, inter oues Christi numerari: quas Dominus Christus post resurrectionis suæ gloriam, beato Petro Principi Apostolorum pascendas commendauit: quod verè dignum esse fateor, omnem illius gregis multitudinẽ suo pastori, licet in diuersis terrarum pascuis commorantem, vna charitatis fide subiectam esse, & sicut pio pastori concedat magnam sibi commissi gregis curam habere, & sedula pietatis admonitione, & sanctitatis intercessione prouidere; ne aliqui ex illis per præcipitia errorum à via veritatis, vel perpetuæ pascuis vitæ exorbitare incipiant. Gregis sanitas, gloria est pastoris, & multiplicatio illius merces æterna.

Ecce tu sanctissime pater, pontifex à DEO electus, Vicarius Apostolorum, hæres patrum, princeps Ecclesiæ, vnius immaculatæ columbæ nutritor; in te fides resplendet, deuotio fulget, charitas abundat, congrega nos filios sanctæ DEI Ecclesiæ, & paternæ miserationis affectu, tuis sanctissimis orationibus, & dulcissimis sacrarum literarum exhortationibus intra firmissimum Ecclesiæ soliditatis ouile, ne aliquis ex nobis errabund⁹ lupina rapacitate foris inueniatur deuorandus. Nam splendentia cœlestis mandræ agmina, Natiuitatis Domini nostri IESV Christi gaudia, primò pastoribus, qui supra suos deuotè vigilârant greges, nuntiare venerunt.

Ecce tuis sanctissimis vigiliis, ac pastorali solicitudini, probatissime ARCHIMANDRITA, angelicas à supernis sedibus visitationes adstare non dubitamus: quarum auxilio quæcunque diuinam popósceris pietatem, impetrare te posse credimus: Vnde ego vltimus sacratissimi ouilis vernaculus, & morbida peccatis ouicula, spe, pace bo-

nitatis

nitatis vestræ, animatus, ante sanctissimos paternitatis tuæ pedes animo prostratus, suppliciter deposco, quatenus durissima peccatorum meorum vincula, per Ecclesiasticam Apostolicæ auctoritatis potestatem soluere digneris: & paternæ pietatis precibus cursum vitæ meæ, qui restat, ad perpetuæ portas ciuitatis dirigere studeas.

Grandia posco quidem, sed charitas grandia nouit dare. Poscentem pro filia viduam Christi clementia non spernit: Sed ait, O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Fides me hortatur, hæc poscere: spes confirmat, impetrare: charitas, credo, negare non præsumit. Christus pro nobis, cùm inimici essemus, mori non dubitauit: quantò magis, te, Pater sancte, pro amicis velle orare, credendum est?

Matth. 15.

Sub te pastore augeatur grex Christi. Tu consolator mœrentium, adiutor laborantium: spes, ad te clamantium: lux vitæ: religionis decus. Locus, in quo stas, omnibus te honorabilem facit, & morum nobilitas laudabilem: & pietatis deuotio amabilem. Et qui sedem Sanctorum tenes patrum, eorũ exemplis inhæreas semper, vt cum illis, multiplici laboris mercede, Domini DEI tui gaudia intrare merearis. Iste filius meus charissimus ENGILPERTVS, vobis patefacere valet nostrę paruitatis erga Apostolicam sedem deuotionem etiam & voluntatis nostræ petitiones: quem vestræ paternitati valdè fidelem esse agnoui: & ideo nostræ necessitatis causas illi iniunximus, vt per os illius, pietatis vestræ aures mei cordis audiant obsecrationes.

EPISTOLA XXVIII.

Beatiſsimo, & omni honore digniſsimo, & Pontifici magno Adriano Papæ.

HVMILIS OMNIVM SANCTÆ ECCLEſiæ filiorum Albinus æternæ beatitudinis ſalutem.

VEnerabilis, atque toto orbe laudabilis veſtræ bonitatis, pater optime, pietas, mihi vltimo ſanctæ DEI Eccleſiæ ſeruulo, quantulamcumque attulit fiduciam, veſtram deprecandi clementiam, vt me, licet indignum, paternæ pietatis amore, in gremium ſanctiſſimæ interceſſionis veſtræ colligere dignemini. Scio certiſſimè veſtræ deuotionem ſanctitatis pro populo iugiter totius orbis intercedere Chriſtiano: tamen ſpecialius aliquid pro his egiſſe, qui veſtræ almitati ſe ipſos obnixæ humilitatis obſecratione commendant: & maiore credulitate ad tantæ auctoritatis confugiunt ſuffragia.

Scio me per ſacri Baptiſmatis adunationem, de illius eſſe ouili paſtoris, qui pro ſuis ouibus animam ponere non dubitauit, quas etiam poſt altiſſimã ſuæ reſurrectionis gloriam, beatiſſimo Petro Principi Apoſtolorum, ob trinam magnificæ dilectionis confeſſionem paſcendas commendauit: cui etiam cœlo, terriſque æternam ligandi, ac ſoluendi poteſtatem delegauit.

Huius te excellentiſſime pater, vt vicarium ſanctiſſimæ ſedis agnoſco, ita & mirificæ poteſtatis hæredem eſſe confiteor. Ecce ego vna ſum regiminis veſtri ouicula: ſed valdè peccatorum maculis morbida. Quapropter me totum tuæ offero ſanctitati, paſtor piiſſime, ſanandum: & medicinali

cinali potentia, quæ tibi post longas sanctorum patrum series, hæreditaria successione à DEO Christo tradita esse dignoscitur, me iubeas salutiferæ pietatis verbo à peccatorum vinculis esse solutum. Nam mihi cum Euangelicæ humilitatis regula fas esse video dicendum: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum; dic verbo, & sanabitur puer meus. Qui mox, vt sperauit, inuenit: vt credidit, accepit.

Matth. 8.

O beatissima lingua oris vestri, in qua est æterna medicina salutis: per quam cæli aperiuntur credentibus. Nunquam, obsecro, sileat: semper admoneat, & sanet: semper aperiat perpetuæ beatitudinis ad se confugientibus, portas.

O Domine IESV fac eum longæua valere, & viuere prosperitate: & qui talem populo tuo dedisti pastorem: hunc pietatis tuæ dextera multis temporibus conseruare digneris: quatenus cum multiplici laboris sui mercede, ante thronum tuæ veniens gloriæ, audire mereatur: Euge serue bone, & fidelis: quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.

Matth. 25.

Iam aliquas petitiones propriæ necessitatis meæ, his quoque literis insererem. Sed quia electissimus Domini mei Regis missus, filius, equidem meus charissimus, ILL, ad beatissimam summæ auctoritatis vestræ dirigitur paternitatem, non esse necesse putaui, literis exarare quod ille vir fidelis & prudens melius viua voce secundum mandatum Domini Regis, auribus excellentiæ vestræ poterit intimare.

Nam inter cæteras, fidelissimæ dilectionis, quam ad vos habet, legationes, meæ quoque necessitatis postulationes eidem præfato regiæ volútatis secretario commendauit: quem omnibus amicis valdè fidelem esse probaui-

mus, maximè vobis, vt verè dignum est, sanctissime pater; qui vestram laudabili voce bonitatem sæpissime domno Regi sub præsentia multorum testium narrare solebat, & egregiè pietatis per vos gesta, puræ fidei verbis, de vobis proferre studuit: quatenus piæ dilectionis fidem ostenderet: & vestræ Almitatis amorem plurimorum mentibus ingereret.

EPISTOLA XXIX.

Dulcissimæ dilectionis fratri, & amico in Christi charitate salutem.

Eccles. 9.

AMico antiquo, nouus non est similis amicus. Qui fortunam sequitur, & tempora obseruat, qui iuxta loci qualitatem mutatur, nunquam verus fuit. O si vox ferrea esset, & omnes pili verterentur in linguas, vt vel sic ad aures tui cordis verba dilectionis meæ peruenire valuissent. Vel in tuo pectore, spiritus esset prophetiæ, vt perspicere cordis mei arcana potuisset. Crederes vtiq; quàm suauissimo sapore tui amoris pectus meum impleretur.

Sed nunc quod valeo, faciam; hos paruos apices, magnæ indices charitatis tibi dirigo, vt per hos intelligas, quod vix intelligi potest: sicut flamma potest videri, tangi autem non potest: ita charitas in literis cerni potest, sed vix in animo scribentis sentiri valet.

Quasi scintillæ de igne sparguntur; ita dilectio literarum officio volat. Sed plurimi sunt, in quorum corde extinguitur: ideo gratius lucessit, vbi vel aliqua eius flammula ardescit. Quia in te frater sanctissime, veram inueni charitatem, ideo nulla terrarum spatia me prohibent, secundum oportunitatē portantis, cupiens te in Christo per-

enniter

enniter frui; cuius amor nostra vtinam impleat corda, vt per eius dilectionem, nobis inuiolabilis permaneat fraternitas, cuius charitatem, sicut sacerdos DEI summi, sicut tuba cœlestis, sicut præco salutis, cunctorum ingerere cordibus studeas.

Quidquid illius respuit sanctitas, instantissimè prohibe; quidquid illius diligit bonitas, ardentissimè prædica. Non terrenæ fragilitatis terreat potestas; non secularis ambitio sacerdotalem seueritatem compescat. Nolite timere eos, qui corpus possunt occidere: animam autem non possunt.

Esto omnib. vitæ lucerna, præuius viarū DEI, exemplum honestatis. Esto miseris consolatio, medicina vulneratis, afflictis consolatio: pastor, non mercenarius; domus DEI, nō speluncæ latronum: palma florens, oliua semper virens. Noli columbas DEI vendere. Gratis da, quia gratis accepisti: Irreprehensibilem te ipsum in omnibus exhibe, vt vita tua doctrina sit populi: vt & bona conuersatione tua ædificentur plurimi.

Lege diligenter obsecro, Euāgelia Christi: libros quoque alios Canonicæ auctoritatis. Sed & Pastorale Beati Gregorij Papæ sæpissime perscrutare. His epulis animam tuam pasce, vt habeas, vnde alios reficere valeas. Mei quoque obsecro, vt memoriam habeas inter Missarum solennia, & sacras orationes tuas; vt diuina clementia veniam mihi peccatorum, & coronam tibi meritorum præstare dignetur.

EPI-

EPISTOLA XXX.

Domino omnium dilectiſsimo, æternam in Chriſto ſalutem.

AVdiens ab EANBOLDO famulo veſtro, optatæ proſperitatis veſtræ ſoſpitatem, valdè me gauiſum fateor. Quia charitas, & fides, quæ olim in pectore noſtro habitare cœpit, nũquam recedere poterit. Et quantò plus tempus remunerationis appropinquat, tantò magis obſeruare debet, vt qui prius tranſierit à ſeculo, amicum ſibi ſentiat reliquiſſe in ſeculo.

Me verò, filium tuum, febrium acerbitas, & Regis tardatio in SAXONIA retinuit, vt ad vos venire non potuerim, ſicut deſideraui. Concedat mihi clementia diuina faciem tuam, in lætitia videre, antequam moriar, vt in ea te honoris dignitate, ſi fieri poſſit, inueniam, in qua te pergens videbam. Tamen ſi aliud aliquid tuo placeat animo, rogo vt nullam violentiam ſuper Eccleſiam Chriſti vllatenus fieri permittas: ſed fratres libera electione in timore DEI, ſicut optimum, Deo donante eligant

Quia in ſanctis Canonibus terribile anathema legitur ſuper omnes, qui violentiam aliquam inferant ſuper Eccleſiam Chriſti. Scito ſemper dilexiſſe familiam noſtram, & plurima eis bona feciſſe: ſed nunc maximè indigemus: vt bene illis agamus, vt vbi nobis requies erit æterna; ibi ſint quoque interceſſores perpetui pro nobis.

EPISTOLA XXXI.

Pars mea, dixit Dominus animæ meæ:
Pars mea, dixit pater filio suo:
Cui sit pars cum Sanctis in æternum.

QVÆ beatitudinis perlectis literis, gaudebam de tuæ prosperitatis salute; cuius præsens quantum valui, fautor fui, etiam & nunc absens cupidus. Et vtinam, vt literis promisisti, memor sis antiquæ paternitatis, & dulcedinis inter nos, in Domino, qui semper nos in sua prouehat voluntate, & proficere faciat, in suis mandatis.

Memores simus, quòd nos de stercore erexit, & posuit inter principes populi sui: non nostris meritis, sed sua gratuita misericordia; cui semper gratias agimus in omni vita nostra, vt ille, qui exaltauit, etiam & conseruet. Omnes verò ecclesias, quas, Deo donante, ad regendum accepisti, diligentissimè in DEI laude exorna.

Sint in eis canonicis horis psalmorum melodia, orationum instantia, Missarum solennia, & intercessiones pro te, tuisq; amicis. Sint tibi filij minores cum honestate, & temperantia. Vestimentorum moderatus cultus: conuiuia nõ in luxuria, & ebrietate, sed in sobrietate, & congruentia temporibus, & personis.

Vbique DEI timorem ante oculos habeas. Humilitas te exaltet, & veritas honorabilem faciat, & misericordia amabilem. Sit tua manus pauperibus larga, amicis benigna. Esto fidelis dispensator domui DEI; esto forma salutis omnibus tecum habitantibus. Et quia DEVS te honore nobilem fecit, esto quoque & moribus nobilis. Luceat lux tuæ bonitatis coram omnibus. Glorificetur in te pater cœlestis; qui te & in hac præsenti vita custodiat, & in futu-

ra vita gloriam tibi cum Sanctis concedat æternam.

Pars mea, pars valeas; semper sit pars tua Christus.
Esto memor patris, pars precor alma tui.

EPISTOLA XXXII.

Dilecto fratri Illi.

ALCHVINVS SALVTEM.

DVLCES tuæ dilectionis accepi literas, mellifluis sensibus delibutas, apologeticam tenens rationẽ, quarum melius credebam veritati, quàm falsiloquæ aliorum narrationi. Nam fides amicitiæ corde constare debet, non linguæ versibilitate. Vtinam dignus essem, pacem prædicare, nõ discordiam seminare; & signum portare Christi, & non arma diaboli. Nunquã tibi scripsissem, si noluissem pacem tecum habere, & quod in Christo cœpimus, firmum permanere.

Verè OFFÆ Regi & genti Anglorum nunquam infidelis fui: sicut hos amicos, quos mihi DEVS donauit, fideliter quantum valeo, seruabo: sic & hos, quos reliqui in patria. Pauci sunt dies mei, & hos ipsos cum dolore flagelli suffero: ideo te obsecro, vt in Domino, quos valeas, mihi intercessores acquiras.

Multis miseriis turbatum est hoc seculum, & non est refrigerium in eo, nisi in misericordia DEI, & fide amicorum. Nudi venimus, & nudi recedimus: nisi qui bonis animam vestiat operibus. Vt tibi, charissime frater, tempus vel locus occurrit, semper DEI suade voluntatem omnibus personis; Regi suauiter, Episcopis honorificè, Principibus fiducialiter, omnibus veraciter. Nostrum est seminare, DEI fructificare.

Nec

Nec vlla tibi alicuius dissensionis inter nos remaneat suspicio. Nec simus ex illorum numero, de quibus dictum est: Non veni pacem mittere, sed gladium: sed ex illo simus numero, ad quos dictum est; Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: vt pax Christi, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, in charitate Christi, & dilectione fraternitatis. Paucis scripsi literulis: quia sapienti pauca sufficiunt. Sed te plurima DEI dona glorificent in æternum dilectissime frater.

Matth. 10.
Ioan. 14.
Philip. 4.

EPISTOLA XXXIII.

Dulcissimo dilectionis filio Ill. salutem.

Radoni Abbati.

DIlectionis vestræ venerabile sequutus præceptum, vitam S. Vedasti patris vestri, & intercessoris nostri emendare studui; non quòd aliquid illius excellentissimis meritis dignum dicere valuissem, sed quòd nihil tuæ reuerentiæ iussis denegare ratum putaui. Idcirco ad te maximè pertinet harum laus, vel vituperatio literarum. Vtinam tibi, & fratribus, qualescunque sint, placeant; deprecans, vt meum laborem, orationum vestrarum solatio remunerare dignemini: & vnus merear esse vestrum in charitatis communione; illius semper memores mandati, qui dixit: Hoc est * mandatum meum, vt diligatis inuicē. In hoc enim mandato omnium salus consistit.

*Vide not. *
* *In ȳ editio: p ac ptum.*
Ioan. 15.

Hoc cunctis pernecessarium esse cōstat, & maximè his, qui gregem Christi regendū accipiunt: quapropter tu, charissime fili, gregē, quem accepisti regendum, fraterno amore diligenter erudire studeto; & sanctis admonitionib. eum

* Sur. Habes.

per pascua vitæ deducere satage, * habens in omni opere bono Christum adiutorem, Sanctum quoque VEDASTVM intercessorem.

Sicut magno labore domum DEI optimè habes ornatam, & largissimis donis decoratam: ita tibi subiectos bonis moribus ornare contende; & eos in diuina laude * deuotissimè fac consistere. Et quod angeli semper agunt in cœlis, hoc fratres iugiter faciant in Ecclesiis. Tuum est præcipere; illorum, obedire: Tuum, præire; illorum subsequi.

* Abest in Sur.

Omnium itaque in seruitio DEI vna debet esse voluntas, vt vna fiat in regno DEI remuneratio. Nullus horis canonicis se diuinis subtrahat laudibus; ne propter aliquam neglgentiam cuiuslibet locus in conspectu DEI vacuus inueniatur.

Et verba DEI in Ecclesiis intimo cordis affectu proferantur, & cum magna reuerentia DEI omnipotentis Officia celebrentur. (* Omne verò ministerium Christi humiliter, & deuotè impleatur.) Omnis itaque obedientia in seculi necessitatibus fideliter & strenuè * peragatur. Fiat equidem inter omnes concordissima pax, & sanctissima charitas, & deuotio regularis.

* Abest in Sur.

* Sur. peragũt vitiosè.

Seniores bonis exemplis, & sedula admonitione, erudiant iuniores, illosque diligant, vt filios: & illi, quasi patres, eos honorificent: illorum, omni alacritate obediant præceptis. Tua verò venerande fili, conuersatio, omnibus sit exemplum salutis.

Caue vt nec minimus quis in tua scandalizetur vita, sed ædificetur; & roboretur in via veritatis. quia tibi ex illorũ salute merces iudicabitur æterna. Cani capilli extremum denuntiãt properare diem. Quapropter paratus esto omni hora in occursum Dñi DEI tui. Dilectio fraterna, & eleemosy-

mosynæ miserorum, & vitæ castitas præparent tibi gradus in cœlum. Diligenter elabora æternos tibi dies felices.

Honor secularis, quem habes, spiritalem tibi abundet in gloriam. Festiuis diebus, veniente in Ecclesiam populo, fac eis prædicari verbum DEI: & quocunque vadis, Clerici, qui seruitium DEI pleniter peragant, tecum eant: sobrietate ornati, non ebrietati adsueti: quorum honestas vitæ, aliis sit doctrina salutis. Curamq; vbique habeas, maximè pauperum, viduarum, & orphanorum, vt audias in die tremendo à Domino Christo, cum aliis eleemosynam facientibus: quàm diu vni ex his minimis fecistis, mihi fecistis. *Matth. 25.*

Esto miseris, vt pater, & causas ad te clamantium diligenter discute. Et parce in te peccantibus, vt DEVS tuis parcat peccatis. Esto iustus in iudiciis, & misericors in debitis, magister virtutum, moribus honestus, verbis iocundus, vita laudabilis, in omni opere * bono deuotus. Fratres quoque cohortare, vt sanctas diligentissimè legant scripturas. Non confidant in linguæ notitia, sed in veritatis intelligentia, vt possint contradicentibus veritati, resistere. ** Sur. Dei.*

Sunt tempora periculosa, vt Apostoli prædixerunt. quia multi Pseudodoctores surgent, nouas introducentes sectas, qui catholicæ fidei puritatem impiis assertionibus maculare nituntur. Ideo necesse est Ecclesiam plurimos habere defensores, qui non solùm vitæ sanctitate, sed etiam doctrina veritatis castra DEI viriliter defendere valeant. *2. Tim. 3.*

Has verò piæ admonitionis literulas, non quasi nescienti direxi, sed vt veræ charitatis in meo pectore fidem ostenderem. Quid facit amicus, si verbis scriptum non ostendit? Si diuites pauperum munuscula non spernunt, cur & vestræ flumina sapientiæ, nostræ riuulos intelligentiæ respuere debent? Nam & maiores amnes riuulis augentur influentibus. Et ipse Dominus viduæ laudauit duo *Luc. 21.*

minuta, quæ ex inopia suæ paupertatis, larga manu, DEO, quod habuit, obtulit. Et ego, quamuis scientia inops, * tamen fraterno fidelis amore, vestræ hæc munuscula direxi pietati, obsecrans vt tam humili ea fraternitatis intuitu respicere digneris, quàm nos pia deuotionis charitate, illa vobis dirigere studuimus.

*Sur. tamen fideli amore vestra.

Omnipotens DEVS te tuosque charissimos fratres in omni bono proficere faciat, & ad beatitudinem æternæ gloriæ peruenire concedat, filij, patres, & fratres, & amici charissimi.

EPISTOLA XXXIV.

Dilectissimo in Christo patri Petro Archiepiscopo,

Mediolanensi.

ALBINVS ÆTERNÆ BEATITVDInis salutem.

MEmor dulcissimæ humilitatis, & dilectionis vestræ, ingemisco absentiã illius, cuius charitatis flamma in corde ardescit filij. Quanta est huius seculi infelicitas, quæ tam charos disiungit amicos; quæ filium separat à patre! O si pennas aquilæ habuissem, vt altitudines Alpium, velocior Euro, transuolare valuissem: quam citò ante paternos stetissem pedes, vt refrigerarem ex paterna visione pectoris mei ardorem.

Sed quia hoc fieri nõ valet, induamur nos duplicis charitatis pennis: simus in Christo semper præsentes, qui sumus in seculo absentes. Quid est charitas, nisi vnitas animorum, dicente ipsa veritate, dum pro suis oraret ad patrem: Pater conserua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus? Ego vero filius tuus, obse-

Ioan. 17.

cro

cro te, per eius misericordiam, qui hæc dixit, vt in sanctissimo paternæ memoriæ thesauro filij tui Alchuini nomen habeas reconditum: & inter dignissimas Deo, oblationes orationum tuarum, vel semel ore proferas.

Quanta tibi, pater optime, apud pietatis remuneratorem Dominum Christum remanet merces, si me, peccatorum ponderibus prægrauatum, ab iniquitatis oneribus prægrauatum paternæ misericordiæ precibus subleuare coneris. Fateor, me tantæ auctoritatis degenerem esse filium: tamen iunioris filij, qui à patre in longinquam recessit regionem, roboratus exemplo, audeo dicere: Pater peccaui in cœlum, & coram te. Ideo non sum dignus vocari filius tuus. Et te credo paternæ memorem pietatis, lætis reuertenti occurrisse amplexibus; prudentiam quoq; tuam recordari beatissimi Iob, pro filiis deuotionis; qui quotidiè pro illorum prosperitate Deo sacrificia offerre studuit, valde desiderans, quos seculo genuit, Deo enutrire.

Luc. 15.

Iob. 1.

Ideo in omnibus tentationibus, tanquam aurum in fornace probatus inuentus est. Laus enim patris in salute extat filiorum: & merces pastoris in multiplicatione gregis adcrescit. Nam & ipse princeps pastorum, post resurrectionis gloriam, beato Petro, ob confessionis trinæ, in suo amore soliditatem, pascendas oues, quas pio redemit sanguine, commendauit.

Tuum est, pater sancte, absentes precibus adiuuare: præsentes, verbis erudire, exemplis confortare, vt paterna pietas, & pastoralis deuotio omnibus prosit in salutem. Patres igitur filiis thesaurizare solent. Tu verò beatitudinis thesauros tuis relinque nepotibus; vt per longas Ecclesiasticæ eruditionis series cœlestis regni gloria tibi semper augeatur.

Opto,

Opto, si fieri valeat, quatenus me tuæ paternitatis literis reficias, vt auiditatis meæ oculis legam, quod auribus audire voluissem, si fortè fieri valuisset. Concessum enim humano generi, pectoris arcana chartis mandare, & literis innotescere tacentibus, quod lingua non valet loquente. Nam & B. Paulus Apostolus absentes filios pietate admonitionis sępius erudire solebat; vt quotidiana literarum lectio æternam patris præceptorum, mentibus filiorum infigeret memoriam.

Sanctitatis vestræ auctoritatem diuina pietas ad exaltationem, & gaudium sanctæ suæ Ecclesiæ longæua prosperitate custodire dignetur, Pater dilectissime.

EPISTOLA XXXV.

Charissimo Hermano Aquilæ Antistiti. †

† *Iuuauensi, id est, Salsburgensi.*

ALBINVS SALVTEM.

Si mihi gerulus gratus occurrisset, sæpius tuæ scripsissem dilectioni, vt literis implerem, quod verbis non potui, & charitatis dulcedinem, lingua tacente, apices monstrarent. Hoc dedit DEVS absentibus in solatium, vt per chartas loqui potuissent, & necessaria proferre in cor alterius, dum animus graui carcere corporis circumseptus, suæ naturæ velocitatem explicare valet, indices literas fraternus amor sibi inuicem dirigeret.

Quid de gloria Sanctorum dicendum putas? vbi nulla tarditas sarcinæ corporalis piæ volūtati obsistit, quin quod placeat, impleat. Quid est hoc seculum nisi miseria, & velut vmbra fugax, & seducens delectatio?

Festinemus tota mentis intentione ad illam requiem, quam

quam nullus dolor perturbat. Aſcendamus per gradus charitatis ad illam ciuitatem, in qua DEVS ſolus rex regnat in æternum. In qua, tota beatitudo ſine vlla miſeria viget, & valet. Vt ad illam peruenire mereamur, eodem auxiliante rege, nos inuicem exhortemur, & velociore charitatis curſu, tardiorem admonitionis ſedulitate trahat. Tum etiam fraterna diligentia, ſocordiam caſtiga, vel tuæ ſanctitatis precibus iacentem releua, vt fraternæ dexteræ ducatu, non laſſeſcat in via veritatis, qui hucuſque ſe voluebat in ſeculi cœno.

Veniens veniebam ad ſancti AMANDI protectoris noſtri dulciſſimas manſiones, quærens amatorem meum, vt eius dulciſſimo alloquio refrigerarem animam meam: ſed quia necdum de nido IVVAVENSI auis optata euolauit, miſi hanc inuitatoriam obuiam illi chartulam, vt noſtram agnoſceret proſperitatem, vel ſuam nobis præſentiam deſignaret.

Fidelis amicus diu quæritur, vix inuenitur, difficile ſeruatur; cuius dulcedo omnes ſeculi ſuperat iocunditates. Quid diuitiæ, ſine amicis? Auarus aurum quærit. Et quid in auro niſi ſpecies vana? Nonne vnus panis eſurienti melior eſt, quàm mons aureus? Aurum prodeſſe poteſt danti, non poſſidenti. Ideo demus diuitias in præſenti, vt in futuro poſſideamus illas. Nam pauperis manus gazophylacium eſt Chriſti. Nullus melior cuſtos diuitiarum eſt, quàm Chriſtus. Proficientem te, chariſſime frater, diuina auxilietur gratia in æternum.

EPISTOLA XXXVI.

Filio meo chariſsimo Alta Petra,

ALBINVS SALVTEM.

Vtinam iuxta nomen tuum, fiat merces tua alta, & firma. Hoc verò, vt, DEO donante, fiat, labora inſtanter. Curre, dum lucem habes. Aſcende quotidie per ſingulos gradus virtutum, vt de te dici poſſit: Ibunt ſancti de virtute, in virtutem: vt, quod ſequitur, fieri poſſit hoc, vt à te videatur DEVS deorum in Sion.

Pſalm. 83.

Vigiliis, & orationibus inſta; caſtitate & humilitate, dilectione DEI, & proximi, & aliorum mandatorum obſeruatione te ipſum exorna. Quæ tamen omnia ad charitatis firmamentum reſpicient: in qua tota lex pendet, & prophetæ. Si nondum adhuc annis, ordine tamen ſacro miniſterio ſenior eſſe cœpiſti. Nam presbyter, ſenior in latina interpretatur, vt ſignificetur moribus eſſe ſenex, conſtantia perfectus, prædicatione verbi DEI intentus, ita vt opere impleat, quod ore doceat.

Tu verò, fili chariſſime, vigilanter tibi præpara bonis meritis domum perpetuam in cœlis. Modò tempus eſt laborandi, & promerendi Dominum: tunc erit tempus iudicandi, & promerendi DEVM. Quia tunc iudicabitur vnuſquiſque ſecundum opera ſua. Non tibi ſit ſeculi pompa ſuauior, quàm ſalus æterna: nec dilectio carnalis dulcior, quàm dilectio DEI. Qui hîc DEVM diligit, ibi cum Deo etiam lætabitur. Quàm iocunda eſt beatitudo æterna, & quàm miſera perditio ſempiterna. Qualis in vita futura fieri velis, talem te præpara in præſenti. Parui temporis hoſpes perpetuam tibi promereris manſionem. Hodie

te cogita cras esse moriturum. Omnis dies quasi vltimus est habendus. Ideo semper homo debet esse paratus, vt quacunque die iudex pulsauerit ostium, aperiatur ei. cum lætitia rapiatur ad iudicium anima dum ducetur de corpore.

Quid tunc ebrietas; quid luxuria carnalis; quid pompa vestimentorum: quid anulus in digito: quid aurum in sacculo? Diues moritur similiter sicut & pauper, & vna est amborum conditio. Nisi forte quis melior altero sit. Bonus vadit in vitam sempiternam: Impius tormentis traditur æternis. Esto filius vitæ, & non mortis. Esto hæres cœli cum Christo, non esca ignium cum diabolo. Per singulos dies semper esse melior studeto, vt cum DEO semper esse merearis.

Saluta meo nomine illos DEI famulos, amicos nostros, filios vitæ æternæ. Rogo eos, nostri esse memores in orationibus suis cum familia sua, quam diligenter in seruitio DEI erudiunt: quatenus mercedem ex illis habeant, & non pœnam: laudem, & non contumeliam. quia profectus subiectorum, salus est prælatorum: & pastor bonus, ex gregis multiplicatione coronabitur. Et tu, fili mi, memor esto mei, & tui in orationibus, vt diuina nos clementia perpetuo munere, in salute sempiterna conseruare dignetur. Vale, vale fili in æternum.

EPISTOLA XXXVII.

Dilectiſsimis in Chriſto amicis Ill. HVMILIS LEVITA SALVTEM.

SOLET charitas literis appellare, quos oculis cernere non valet. quia apices chartarum amoris magnitudinem exprimere conantur, vt oculis legatur in ſyllabis, quod videri non poteſt in mentibus. Ideo veſtræ, chariſſimi, memor germanitatis, hanc chartam vobis in cōmune direxi, vt cognoſcatis, quantam pro vobis habeo ſolicitudinem. quia nec terrarum longinquitas, nec temporum diuturnitas delere valuit, quo minus admoneam, quos magis diligam, deſiderans ſalutis veſtræ proſperitatem, & in DEO credere, & in ſeculo ſcire. Vt vtrumq; fiat, vnum eſt ſtudendum, id eſt, DEO placendum.

Præterit, quidquid amatur in mundo: & ſolum permanet, quidquid agitur in DEO. Ideo temporalia non tardent iter ad æterna tendentium, dicente diſcipulo, quem diligebat IESVS: Nolite diligere ea, quæ in mundo ſunt. Numquid ex vmbra panis eſuriens ſe ſaturare poterit? Vmbratica eſt ſeculi felicitas; vera tantūmodo in futuro ſpectatur.

1. Ioan. 2.

Nolite vinculis ſeculi teneri, nec laqueis diaboli ligari. Et vincula, quæ per confeſſionem, & pœnitentiam præcidiſtis, nolite reformare, vt liberas manus valeatis releuare ad Dominum, & puro corde deprecari, quem toto corde amare debetis. Vigiliæ, & orationes ſint aſſiduæ vobis. Beatus ſeruus ille, quem cum venerit Dominus eius, inuenerit vigilantem. Vigilandum eſt in bonis operibus, non dormiendum in delectationibus carnalibus. Et ebrietatem, quaſi perditionis foueam fugite, quia iuxta prophetam: Vinum & ebrietas aufert cor.

Luc. 12.

Oſee 4.

Pom-

Pompas vestimentorum non sectemini. Beatus homo, qui non respicit in vanitates, & in insanias falsas. Melius est, animam ornare, quæ permanet, quàm corpus vestimentis, quod putrescit in puluerem. dicente quodam PHILOSOPHO; Ridiculum est, in vanitate laudem quærere: volens, vestimentorum superuacuas curas, vanitatem intelligi. Quòd si plurimi hoc faciunt: scriptum est: Non sequeris turbam, ad faciendum malè. Melius, cum paucis saluari, quàm cum plurimis perire. *Psalm.39.* *Eccli.18.*

Scitote, cuius exempla diligentius sectamini, eius meritis maximè adhæreatis. Christus per humilitatem, viam nobis fecit in cœlum. Quid superbiam prauorum sequimur? Angelus per superbiam proruit è cœlo. Quid superbit homo terra, & cinis? Quis superbienti homini locus deputetur, si angelo superbienti infernales pœnæ præparatæ sunt?

Non est opus vos, quasi inscios, admonere: dum Euangelium Christi ante oculos habetis; legite, & intelligite, quid sit cauendum, vel quid obseruandum. Quod ibi scriptum, est necesse vt fiat, dicente ipsa Veritate, Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Item: Si quis diligit me, sermones meos seruat. Indiciũ dilectionis DEI est, mandata eius obseruare: & præmium dilectionis, visitatio diuinitatis; eo ipso promittente, quem diligere iubemur: Qui autem diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Pro me orantes valete viri fratres charissimi. *Matth.24.* *Ioan.14.*

EPISTOLA XXXVIII.

Ad quendam discipulum.

Dilectionis vestræ literas grata suscepi dextera, & læto legebam animo, intelligens in eis, vestræ vitæ prosperitatem, & literalis exercitij studium, ex quo dictantis eloquentia claruit. Hoc mihi maximum esse gaudium constat, vt filios florere videam, in conuersationis puritate, & profectus diligentia. Iste est ornatus, quem optaui meis. Istæ sunt deliciæ, quibus illos desideraui vestiri. Ista est munditia, quam concupiui in illis. Hæ sunt epulæ, in quibus illos iocundari amaui. His etiam anima reficitur esuriens, & sitiens iustitiam. Hoc est vinum, quod miscet sapientia inuitatis ad mensam suam, dum septem columnis subnixam sibi domum construxit. In hac diuina domo, frater charissime, te habitare semper obsecro; illius te epulis pasci deprecor: huius te calicis mero inebriari exopto. Non vanas seculi pompas, non noxias corporis delectationes exsequi, quæ non proderunt ambulantibus in eis: sed suos sequaces, in æternæ perditionis voraginem demerserunt.

Proverb. 9.

Tu verò, amor animæ meæ, si quid sordium ex his contraxisti, lacrymis laua pœnitentiæ, ablue, & vitæ melioris manu dele, memor tui, memorque mei; animam meam lætificans, tuæ parcens. Quia salus tua, consolatio mea est. Noli patrem sua mercede fraudare de te. Noli, filii nomen delere in te. Si pro te non vis, vel pro me fac. Si vel me non curas, & te negligis; DEVM time, dilige, honora. Ille est verus pater, ille redemptor, ille omnium largitor bonorum: suscita dormientem in deliciis animam.

Contra tres tibi quotidie pugnandum est inimicos: contra diabolum, contra seculum, contra carnem. Quomodo poteris securus dormire? Te verò dormiente, vigilant, qui te occidere quærunt. Quomodo non times flammas æternæ perditionis? Quid tu parui temporis hospes, patriam quæris in peregrinatione, & illam obliuisceris, in qua ciuis conscriptus es in baptismo? Cogita, quis pro te pependit in cruce. Huius latus lancea perforatum tuæ sanguinem redemptionis emanauit. Noli paruipendere precium tuæ salutis. Pro te traditus est, qui te fecit: imò omnium creator, ad redemptionis tuæ precium seipsum expendit.

Cur te ignobilem facis, nobilissimo emptus precio? Noli ex filio DEI, seruum facere diaboli. Quid pompaticis carnem induis vestimentis, & ornamenta animæ non quæris? Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius: qui non respicit in vanitates, & insanias falsas. *Psalm. 39.*

Melius est, collo, sapientiæ monile suspendi, quàm serico vanitatis inuolui. Melius est castitate lumbos circumcingi, quàm numerosis pomparum cingulis constringi; & ardentes bonorum operũ in manibus portare lucernas, quàm digitos anulis ostentationis radiare. Satius est pedes in Euangelium pacis expeditos esse, quàm longo fasciarum nexu ligari. Heu, quod corrumpitur, tanta diligentia ornatur; & quod permanet, tanta socordia negligitur? Illud, omni cura ornatur, pascitur, & vestitur; hoc, quasi vile subpellectile, nullo decore dignum ducitur? Terrenum colitur; & cœleste non curatur? DEI imago vilescit; & terræ species honoratur? Non ita, fili, non ita in te sit. *Eccli. 6. Luc. 12. Ephes. 6.*

Tu

Tu sacri altaris minister; tu summi honoris socius: tu sapientiæ vas: flos adolescentiæ; dignitatem tuam attende; & esto, quod nominaris. Cogita, corpus tuum in pulverem reuerti, & animam tuam ad iudicium rapi. Qualis tunc esse cupias, talem te nunc exhibe. Nunc, tempus est laborandi; tunc, remunerandi: nunc, promerendi; tunc, accipiendi. Qui plus laborat, plus mercedis accipiet. Curre, dum lucem habes. Qui hodie es, cras non eris, dicente scriptura: Noli tardare conuerti ad Dominum, quia nescis quid futura pariet dies. Omnis gloria seculi, quasi flos fæni decidet. Arescit fænum, & flos eius deperit.

Ioan. 12. *Eccli. 5.* *Eccli. 14.* *Esai. 40.*

Memento creatoris tui, antequam veniat tempus afflictionis. Pugnemus fortiter, & vincamus perniciter, vt coronemur feliciter. Illum habemus adiutorem, quem & remuneratorem. Ille, prior hostem vicit, vt nos vincere possimus: triumphauit in cruce, vt nos regnemus in cœlo: ad nos descendit in terram, vt nos ascendamus ad illum in cœlum: filius hominis factus est, vt nos filij DEI esse mereamur; cui laus, & gloria, in omnes æternitates, Amen.

EPISTOLA XXXIX.

Dilecto filio Ioseppo.

ALBINVS SALVTEM.

DOLEO de dolore corporis tui: sed gaudeo de felicitate animæ tuæ. Quia flagellat DEVS omnem filium, quem recipit. Occidit, & viuificat: vulnerat, & medetur. Spes præmij, solatium tibi sit laboris. Hi dolores cito finiuntur; præmia patientiæ nunquam. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturã gloriam, quæ reuelabitur in sanctis. Quapropter cum gratiarũ actione immola DEO sacrificium laudis. Non

Hebr. 12. *Iob. 5.* *Rom. 8.* *Psalm. 49.*

Non est hæc tribulatio pœnalis, sed propitiatio venialis. Aurum in fornace per ignem coquitur, vt purius exeat; sic anima, corporali tribulatione, vt mundior procedat ad vitam. Disciplina Domini non debet cuiquam esse disciplina: sed hilariter accipiat, quod pius medicus salubriter immittit. Inter flagella pietatis, orationes humilitatis ad Dominum dirigantur: vt, qui misericorditer castigat, clementer ignoscat, vt salus æterna patienti proueniat. *Prouerb. 17. Sap. 3.*

Nostri quoque memor, sedulas pro nobis fundere preces non cessa: quatenus diuina nobis prouideat clementia perpetuæ conuersationem prosperitatis. Adhuc dubio stamine pacis subtemine causa texitur: & dum plenum perficitur vestimentum, mox ad induendum vestræ dirigetur fraternitati.

Valde placet, quòd domum DEI renouare cœpisti. Stude, vt & istam perficias; & alteram de qua præsens dixi, facias consecrari: vt pro duplici DEI honoris labore, multiplicem merearis accipere mercedem. Viuas, vigeas, & valeas feliciter, fili charissime.

EPISTOLA XL.

Dilectissimo patri ill, illi salutem.

GRATIAS agamus Domino IESV, vulneranti, & medenti: flagellanti, & consolanti. Dolor corporis, salus est animæ: & infirmitas temporalis, sanitas fit perpetua. Libenter accipiamus, patienter feramus voluntatem Saluatoris nostri. *Iob. 5.*

Sed nunc noli tardare. Fac, quod facturus es: Curre, dum lucem habes. Festina ad eum, qui vocat te. Quod necessitas cogit, voluntas præueniat. Esto scriba sapiens, negotiator fidelis. Vende terrena, & eme cœlestia. Quid *Ioan. 12. Matth. 13. Matth. 3.*

ſpectatur diei craſtini incertitudo? Non ſit dilatio in ſalute animæ. Quod animo cogitatur, opere perficiatur: quod infirmitas optauit, ſanitas peragat.

Teſtis eſt, qui omnia nouit, mei cordis: hoc plena charitate, & fideli conſilio me ſuadere. Scio, me poſt te, in loco tuo talem non habere amicum: ſed magis te velim amicum habere in honore permanente, quàm pereunte; & interceſſorem apud DEVM gaudere, quàm largitorem in ſeculo. Petatur à DEO auxilium, vt amicorum confirmet cōſilium, & ſuis iter ſalutis oſtendat, & dirigat in viam pacis, quos proprio redemit ſanguine.

Ecce quali precio empti ſumus. Non amemus ea, quæ nos ſeparant ab eo: qui nos vſque ad mortem ſuæ carnis dilexit. Plurimos dies ſeculo ſeruiuimus ſatis: vel paucos, qui reſtant, viuamus DEO noſtro; vt digni efficiamur faciē illius videre, qui dixit; Beati mundo corde, quoniam ipſi DEVM videbunt. *Matth. 5.* Lætus lege, & conſtanter incipe, & feliciter perfice, & ſit Dominus tecum in æternum.

EPISTOLA XLI.

Flauio Damœtæ,

ALBINVS PERPETVÆ PACIS ſalutem.

DE veſtra valde gaudeo proſperitate, & de munere charitatis veſtræ multùm gauiſus ſum. Tot agens gratias, quot dentes in dono numeraui. Mirum animal, duo habens capita: & dentes ſinguli, non elephantinæ magnitudinis, ſed eburneæ pulchritudinis. Nec ego huius beſtiæ territus horrore, ſed delectatus aſpectu. Nec me frendentibus illa mordet dentibus. Timui: ſed blanda adu-

adulatione, capitis mei placare capillos arrisi. Nec ferocitatem in dentibus intellexi, sed charitatem in mente dilexi, quam semper fideliter in illa probaui.

Sed, quantum gaudeo in amoris dulcedine, tantum doleo in absentiæ longinquitate. Noluissem tanto tempore ab inuicem separari, quos eiusdem charitatis dulcissima colligant vincula. Quid faciam, nisi lacrymans sequar amicum; donec reueniat, quem animus optat habere præsentem?

O fili charissime, inter occupationes seculi, non obliuiscare tui: sed dum corpus epulis pascitur, anima eleemosynis reficiatur. Et dum fatigata ex itinere membra quiete refocillantur; mens in DEO, orationibus roboretur: & in diuersarum auditu causarum iustitia semper resonet in ore; & ex intimo cordis affectu, miserorum proueniat consolatio; & spes æquitatis non fallat aduenientes: nec pietatis desint suffragia confugientibus ad vos. quia pietas in pauperes gesta, æterna remuneratur beatitudine.

Hæc, fili mi, faciens, floreas in omni virtutum decore: & te, quocunque vadas, diuina comitetur protectio: euntemque vbique deducat prosperè, ac redeuntem cum omni prosperitate. Citius redeas ad nos, vt gaudeat amor patris in filio; & laudetur DEVS vbique, qui vos famulos sibimet inuicem præsentabit ouantes. Vigeas, valeas, & floreas dulcissime Damœta.

EPISTOLA XLII.

Dilecto amico Eada presbytero.

ALCVINVS SALVTEM.

DIlectionis tuæ munera magna deuotionis lætitia suscepi; desiderans donante Domino Christo prosperitatem vos & præsentem habere, atque futuram: agnoscens antiquæ in vobis munificentiæ largitatem. Quapropter & in nobis antiquæ fidei reformastis amicitiam.

Vtinam, vt diuina clementia in nobis vsque in finem vitæ perseuerare faciat, quod ab ineunte ætate in vobis operari dignatus est. Præterit enim figura huius temporis; idcirco necesse est, vt nos dies extrema in dilectionis geminæ sobrietate vestitos inueniat. Quia qui offenderit in vno, id est, in vno charitatis præcepto, factus est omnium reus.

1. Cor. 7.

Iacob. 2.

Habeto nos, obsecro, socios beatitudinis tuæ, sicut te cupimus socium habere prosperitatis nostræ: & orationibus deuotionis vestræ deduc nos in eundem paupertatis gradum, in quo, perficiente DEO, salubriter consistis. Tu tenes in manibus, quod nos olim tenere cogitauimus. Sed fluctus seculi nostram nauiculam procellosis ventis, in voraginem diuitiarum rapuerunt. Sed te precor, vt me pietatis....... in portum quietis reuocare studeas. Cupio, sed non facio. Tranquilla est paupertas, quam felix olim amasti.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Sed paupertas hæc, humilitatis gubernaculo regatur: & charitatis velo flante sancto Spiritu in eam, ad æternæ beatitudinis portum perueniat: vbi mei nominis memor intercedere pro mea infelicitate, te supplex obsecro,

Matth. 5.

ctro, vt duplicem habeas mercedem: vnam, tui ipsius; alteram, fratris tui. Vtinam, vt merear te videre cum lætitia illic, si hîc fieri non possit.

Diuina te gratia comitetur, & in omni bono florere faciat, vt multiplici bonorum operum fructu vitam merearis ingredi sempiternam.

EPISTOLA XLIII.

Pio patri Felici Episcopo.

ALCHVINI HVMILIS LEVITA salutem.

ALiquorum fratrum relatione, nobis notissimus es pietate, etsi non facie. quapropter præsumpsi per fiduciam charitatis, quæ est Christus, volens me ipsum tuis, tuorumq; fidelium, per te, sacrosanctis orationibus commendare: non meis meritis exigentibus, sed tuis bonis rumoribus instigantibus. Quapropter supplex obsecro, vt me ea charitate Saluatori nostro commendetis, qua ille omnes suos coniunxit. Charitas enim neminem spernit.

Per eum, & propter eum, qui venit in hunc mundum, peccatores saluos facere, & veniet ad iudicium, iustos coronare: vt tunc ego peccator, vel veniam per vestras orationes accipiam, vbi vos per DEI misericordiam, coronam accipiatis.

State fratres, & viriliter pugnate pro eo, qui fortiter pro vobis vincebat. Non quisquis cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit. Et proficiscimini de die in diem, sicut sancti DEI, qui ibunt de virtute in virtutem.

Plura ſcripſiſſem vobis, ſi ſuperfluum non videretur, eos admonere de virtutibus, quos rogare debeo, vt intercedant pro peccatis meis. Sed charitas, quæ neminem ſpernit, etiam ſuſtinet. Quid plus? Iterum, iterumq; obſecro, vt me in fraterno amore accipiatis in communionem orationum veſtrarum: quatenus DEVS charitatis remunerator vos accipiat in æternam gloriam regni ſui. Valete, & viuite felices in Domino IESV fratres chariſſimi.

EPISTOLA XLIV.

ACCEPTIS literis tuis frater ſancte, lætus de ſalute tua, ſed triſtis de tribulatione, & pſequutionibus, quas te pati à gente tua, in illis tuis apicibus agnoui. Attamen, beatos eſſe Domino dicēte, legimus, qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Quapropter ſuadeo tibi, frater venerande, vt viriliter in fide integra, & deuotione infatigabili, pro commiſſis tibi à Chriſto ouibus certare non ceſſes: ne mercenarius fugiens, & non paſtor firmus ab ipſo Domino, & Paſtore omnium deputeris.

Matth. 5.

Aſpice in eum, qui pro ouibus ſuis animam ſuam poſuit, qui omnibus generaliter præcipiens dixit: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Cui gregem Chriſti abiturus relinquis? Nec hæc dico, quaſi me excuſando ad benefaciendum ſeruis DEI: ſed magis te adhortando, vt bona, quæ incepiſti facere, ad finem æternæ ſalutis perducas. Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.

Ioann. 10.
Luc. 9.
Matth. 10.

Idcirco ſcripſi ad OFFANVM regem, vt te adiuuaret, & defenderet ſanctam Eccleſiam ſecundum ſuam poteſtatem, quatenus tibi liceat DEO ſeruire, & talentum tuum

multi-

multiplicare in loco, vbi accepisti eum; & mercedem exspectare perpetuæ beatitudinis, dicente Domino tuo: Euge serue bone, & fidelis. Lucæ 19.

EPISTOLA XLV.

Beatissimæ, & sanctissimæ DEI Genetricis semperque Virginis MARIAE congregationi, & pio patri Moroaldo,

VLTIMVS SANCTÆ ECCLESIÆ CLIentellus Alchuinus in Christi charitate salutem.

SÆPIVS vestræ sanctitatis audiens famam, & ideo me vestræ familiaritati adiungere desideraui: sed modò tempus opportunum occurrit per præsentem fratrem obnixis precibus me ipsum vobis commendare. Quapropter per sanctæ Virginis filium, vestram suppliciter obsecro vnanimitatem, vt me, licet indignum, vestris animis, atque manibus accipere dignemini, non quasi ignotum, sed quasi fratrem. quia licet oculis carnis non vidissem, tamen oculis cordis vos videre videor, & valde diligo; honestatemque vitæ vestræ animo complector, studiosè cupiens vestram beatitudinem vbique gaudere in Domino, & ad perpetuæ pacis peruenire lætitiam.

Orantes pro nobis, vos semper valete in Christo fratres dilectissimi.

EPI-

EPISTOLA XLVI.

Dulcissimo filio viro Ill.* salutem.

*Homero.

De abeunte, tentaui sæpius ad portum stabilitatis venire: sed Rector rerum, & dispensator animarum necdum concessit posse, quod olim fecit velle. Adhuc ex radice cordis nascentes cogitationum ramusculos ventus tentationum flagellat, vt consolationis flores, & refectionis fructus nutriri nequiuerint. Tota nocte laborantes nihil cepimus. quia necdum in litore IESVS stetit, præcipiens in dexteram nauigij rete mitti.

Luc. 5.

Patrocinia sanctorum non obliuiscere. Res Ecclesiasticæ pulcritudinis oculis occurrentes noli negligere, vt acquiras. Nostra rusticitas auara est de talibus: vestra nobilitas larga est de omnibus. Memor esto poëtici præsagij:

Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Hoc de te, tuoque itinere prophetatum esse quis dubitat? si Christum SIBYLLA, eiusq; labores, prædixit venturum, cur non NASO HOMERVM, eiusque itinera præcecinit? Paululum propter refectionem animi rhetorica lusi lepiditate.

Sed vt iterum ad seriem rugosa fronte reuertar: Te verè vnanimem deposcēs amicum, te custodem animi obsecrans, vt consilium salutis animarum nostrarum, cum suffragiis sanctorum Apostolorum à DEO depreceris. Nam nos ambos, vt recognosco quoq;, necessitatis catena constringit, & libero cursu voluntatis astra intrare non permittit: nec est qui compedes rumpere valeat, nisi qui inferni ferrea claustra contriuit: qui est via, & veritas, & vita. Via, pergentibus per illum: veritas, venientibus ad illum: vita, manentibus in illo.

Ioan. 14.

Quid

Quid habeo plus ſcribere? quia omnia neceſſaria noſti. iuxta opportunitatem portantis, ſemper dirige mihi literas, vt ſciam de proſperitate tua, & itinere tuo, quando, vel quò venias miſerante Domino.

Proſpera cuncta, precor, faciat tibi Chriſtus, HOMERE,
Qui te conſeruet ſemper, vbique. Vale.

EPISTOLA XLVII.

Flaccus Albinus,

FLAVIO DAMOETAE FILIO CHARISSIMO ſalutem.

TVÆ congaudeo dilectioni, & præfatæ fidei congratulor. quia ſemper vbiq; te fidelem inueni, & beneuolũ ergà me agnoui, ſicut filium in patrem; nec aliter inueni, niſi vt voluntas tua ſemper meam ſubſequuta eſt voluntatem. Ideo tædium habet animus meus de abſentia faciei tuæ: tamen in charitate cordis mei, te ſemper præſentem habeo, Dominumq; pro tua deprecor proſperitate, vt te mihi in gaudium, tibiq; in ſalutem longæuis conſeruare dignetur temporibus.

Sed valde ſolicitus ſum de itinere profectionis in hoſtem. quia plurima ſolent in talibus euenire pericula rebus. Tamen qui iuſtitiam habet eundi, & pro DEO decertandi, fiduciam poteſt habere de auxilio illius, pro cuius amore tantum ſubire laborem non formidat. Tu verò iter tuum confeſſione confirmare, eleemoſynis roborare, orationibus ſeruorum DEI vndique munire memento: vt angelus Domini te inter omnia aduerſa tueatur, & comitetur; quatenus cum ſecuritate vadas, & cum pace reuertaris.

Ego quaſi penè orbatus filiis remaneo domi. Damœta Saxoniam, Homerus Italiam, Candidus Britanniam receſſit:

N

cessit: Martinus in vico apud sanctum Iodocum infirmus remansit. pro cuius sanitate, vt DEI depreceris clementiam, obnixè flagito. De Mopso, qui apud S. Martinum, sicut audisti, infirmatus est, nihil audiui certum. nec te abeunte missos illius vidi. Sed pene tristitia totus absorptus fui in filia mea, quæ tres dies penè desperata fuit. sed modò donante diuina misericordia per preces seruorum DEI, & eleemosynarum largitatem, benè consolati sumus in ea. quia benè recuperata est.

Ecce qualibus pater tuus agitatus est fluctibus. Tu, fili charissime, cum tuæ reuerentiæ commilitonibus pro eo intercedere satage; quatenus spiritus consolationis hos eius animi motus tranquilla pace componere dignetur; & DAVID dilectum suum, & vos omnes victores cum gaudio reducat in patriam. Æternæ patriæ ciuem te faciat diuina clementia dilectissime fili.

EPISTOLA XLVIII.

Benedictio sancti Benedicti puero Mauro

ALBINVS SALVTEM.

LIBELLVM, quem me rogante scribere promisisti, rogo vt tua fiat promissio firma, & mea impleatur lætitia. Multis haurientibus fons non siccatur venæ viuæ: ita nec vestra minuitur sapiétia, tametsi si nostra inde hauriat indigentia. Noli spernere me rogantem, nec te promittentem abnuere, sed veritas tua, fiat satietas mea. Dilige diligentem te, & da petenti, vt omnia. Quia lex mandat parenti placere. Valeas feliciter cum pueris tuis, & in poculo charitatis orantes pro me fratres saluta.

EPI-

EPISTOLA XLIX.

Dilectißimo fratri Agino Episcopo.

ALBINVS SALVTEM.

RECORDETVR charitas vestra, quod præsenti colloquutione aliquas mihi Sanctorum RELIQVIAS dirigere promisisti, vt honorificetur Deus in illis, & nostra protegatur vita cum illis, & vestra accumuletur merces pro illis. Ecce adest gerulus fidelis; Filius equidem meus ENGILPERTVS: per cuius manum mittere poteris, quod vester animus nobis dirigere curauit.

Obsecro, vt veraciter perficias, quod hilariter promittebas. si quid enim benignitas vestra huius religiosæ petitionis peregerit, humilitas nostra gratissimè accipiet: vobisque, secundum temporis opportunitatem, & voluntatis vestræ agnitionem remunerare non desistet: & vbicunque sanctorum patrocinia perferuntur, ibi quotidie orationes pro vobis aguntur. Diuina te vbique comitetur benedictio sanctissime pater.

EPISTOLA L.

Probatißimo amico Damœtæ.

ALBINVS SALVTEM.

NIMIVM mihi longum videtur tempus, quod tuæ dilectionis faciem non vidi, verba non audiui. Et quantum ex præsentia tui gaudebat animus: tantum in absentia contristatur. Quid faciet mens, nisi lugeat, dum paucos habet amicos? Proh dolor: sed illi semper absentes. tamen, quod valeo, faciat. tamen orans ante Dominum, tibi prospera semper illius

concedere clementiam deprecans; cuius dilectione tuum semper impleatur pectus.

Hæ sunt veræ diuitiæ, quæ nunquam decipiunt habentem, nec in ipsa morte amittuntur, sed plus abundant, dum cernitur, quod amatur. Inter temporalia, & æterna hoc interest; aliquid plus diligitur, antequam habeatur; vilescit autem cum aduenerit: Æternum autem ardentius diligitur adeptum, quàm desideratum. Ideo plus amemus æterna, quàm temporalia, vt in æternitate beatè & feliciter viuere mereamur. Valeto in secula.

EPISTOLA LI.

Fideli amico, & venerabili Angilberto Primicerio.

HVMILIS LEVITA ALBINVS salutem.

MEMOR condictæ inter nos amicitiæ, has literas vobis dirigere præsumsi, deprecans, vt benignè harum portitorem literarum suscipere dignemini, & peregrinationis illius viis Domnum Pipinum regem subuenire deprecamini. Regum verò merces in miserorum iuuamine, & maximè peregrinorum, sacra sancti Petri principis Apostolorum limina petentium, magna, apud diuinam constat esse clementiam.

Insuper charissime frater, deuotissimè deflagito: vt dona dulcissima, & mihi multùm necessaria, id est Sanctorũ RELIQVIAS mihi vel aliquas transmittere curaueris. Hilarem enim datorem diligit DEVS. Qui te abundare faciat in omni bono, & inter Sanctorum gloriam constituat; quorum mihi reliquias tua beneuolentia dirigat. Floreas fili virtutum coronis, sapientiæ decore, & sancta dilectione ad DEVM, & bona fide ad homines in æternum.

2. Cor. 9.

EPI-

EPISTOLA LII.

Omnibus in Christi charitate amicis.

HVMILIS LEVITA ALCVINVS salutem.

VBICVNQVE iste presbyter NORBET nomine ad vestram perueniat præsentiam, obsecro, vt benignè eum suscipere dignemini, in quocunq; negotio, vel necessitate opus habeat. Certissimè DEVM habeatis bonitatis vestræ remuneratorem: qui dicturus erit in die iudicij; Hospes eram, & collegistis me.

Et si mea quid paruitas potest, vobis gratiarum actiones, in quantalibet causa rependere studiosè, & fideliter facere curabo. Hunc vero, vel alios, pro Christi nomine peregrinantes in suam mansionem suscipientem illum, diuina in cœlesti habitatione suscipiat clementia. Valete viri fratres in Christo.

EPISTOLA LIII.

Venerando viro Ærico Duci,

ALBINVS MAGISTER SALVTEM.

SATIS mihi sacræ lectionis intentio, & piæ humilitatis conuersatio placet in vobis, & quando meæ paruitatis mansiunculam visitare non spreuistis. Vnde & gratias agimus vestræ benignitati, DEVMQVE diligentissimè pro vestra deprecamur sospitate; quatenus suæ fortitudinis dexteram contra aduersarios sancti sui nominis victricem vbiq; faciat, & ab omni aduersitate diabolicæ fraudis, seu à cunctis inimicorum insidiis suæ magnæ pietatis potentia clementer custodiat: cuius sanctissimam volūtatē, in obseruatione præceptorum illius, quantū humanæ

possibile sit fragilitati, intentissimè efficiens, vt te in prosperis regere, & in aduersis protegere dignetur.

Plura tibi, vir venerande, de christianæ pietatis obseruatione fortè scripsissem, si tibi doctor egregius, & pius cœlestis vitæ præceptor PAVLINVS meus præstò non esset: de cuius corde emanat fons viuentis aquæ, & in vitam salutis æternam. Illum habeas tibi salutis æternæ conciliatorem: nec alicubi tuæ conuersationis pes impingat: sed recto itinere currens, diuina donante gratia, ad perpetuæ portas vitæ peruenire mereatur. Viue, & vale feliciter in æternum.

Ioan. 4.

EPISTOLA LIV.

Dilecto amico Magenhario comiti

HVMILIS LEVITA ALBINVS *salutem.*

AVDIVI vos, vir venerande, nostræ paruitatis optasse colloquia, & vt verè fateor, vestram valdè desideraui præsentiam, vt dulci colloquutione vestræ prudentiæ consolarer. sed quia rerum euentu hoc fieri non valuit, visum est mihi condignum, literis implere quod verbis non potui; & in eis in vos ostendere dilectionem; & vobis vtilia per chartam suadere, vt vester profectus, meus esset fructus: vt qui in sublimi dignitate positus es in terris, per opera iustitiæ & misericordiæ cœlestem tibi merearis honorem.

Cogita, quod transitoria sunt hæc omnia, quæ in hoc seculo habemus. Et quia necessarium est vnicuique hominum veniam sibi per temporalia benefacta promereri & gloriam. Quapropter vt ad perpetuam peruenias, DEO donan-

donante, beatitudinem; nulla seculi delectatio, nulla carnalis concupiscentia impediat; sed esto in iudiciis iustus; in operibus misericordiæ pius; viduis, & orphanis quasi pater: defendas eos ab omni violentia.

Esto quoq; Ecclesiis Christi, quasi frater, vt per orationes seruorum DEI, inter pericula hostium, fluminum, viarum, infirmitatum, diuina te protegat dextera, regat, atq; conseruet semper, vbique. Fac, vt quotidie pauperes de pane tuo comedant. quia miserorum consolatio, tibi erit æterna remuneratio.

Esto quoque in consiliis prouidus, sapiens in cogitationibus, modestus in sermone; Dominum semper habens præsentem: quatenus illius loquens veritatem, eius dignus efficiaris protectione. Corpus tuum in castitate, & animum in sobrietate conserua. Fidelis esto ad dominos, quos dedit tibi DEVS; ad amicos benignus; ad omnes homines æquus; & miseris largus. Debitoribus, vel in te peccantibus culpas ignosce, vt tibi ignoscat DEVS, si quid contra eius fecisti voluntatem.

Tuis quoque diligenter præcipe subiectis, vt iusti sint in iudiciis, misericordes in miseros, DEVM timentes, Ecclesiamq; Christi honorantes; vt illorum bonitas tibi in mercedem computetur. sæpe subiectorum peccata rectoribus implicantur, si minùs diligenter eos admonent Prælati, quomodo facere debent: sicut eorum bona dominis prosunt ad præmia, qui eos studiosè erudiunt, DEVM timere, eiusque obedire præceptis.

Obsecro, ne me pręsumtuosum arbitreris, hæc tibi scribentem. Charitas Christi, & vestræ salutis amor, & vestræ bonitatis fiducia, hæc monuit scribere; optans, vos & præsentem habere prosperitatem, & futuram promereri beatitudinem. Diuina vos gratia in omni bonitate florere faciat, vir dilectissime.

EPI-

EPISTOLA LV.

Charissimæ in Christo sorori.

Verè fateor, quod valde desideraui ad vos venire, propter aliquas necessitates, quas vobiscum conferre volui. Sed me impediuit acerbitas febrium, quæ me adhuc per vices fatigat. Quapropter citius ante hibernale frigus Regi obuiam properare curabo.

Placet mihi valde labor vester in sanctæ Dei genetricis Ecclesiæ exaltatione, & librorum consideratione. Vnde in his laboribus, quantum poterimus, vestram solertiam adiuuare gaudemus. Et puer ille, secundum temporis opportunitatem vobis ferat auxilium. Vester verò profectus in Domino, mei animi est magna voluptas. Ideo, quod cœpisti, perficere, Dei adiuuante misericordia, diligentissimè studeas. Vnusquisque secundum suum laborem præmium auditurus erit. Et, qui plus laborat, plus mercedis accipiet. Nunc tempus est operandi: veniet verò tempus remunerandi. Quales tunc esse optemus, tales nosmetipsos nunc præparemus. Sapienti pauca sufficiunt. Scio sagacitatem animi vestri hæc omnia melius intellexisse, quàm me scripsisse; & operibus implere, quod vix verbis explicare valeo.

Vtinam citò adueniat tempus, vt tecum cordis mei cōferam angustias, vt consoletur animus meus ex vestræ pietatis perfectione. Plurimum mihi placet Crvx, quam vestra mihi benignitas direxit. Et credo vos æternam habere à Deo mercedem pro illius opere; & assiduas sancti Lvpi intercessiones, & laudabiles gratiarum actiones ab eis, qui ad illius patrocinia confugere solent.

Nunc soror alma vale, soror ô charißima nobis.
Et nunc, & semper, dulcis amica, vale.

EPI-

EPISTOLA LVI.

Dilectissimæ in Christo sorori.

PRospera, donante DEO, his sanctissimis diebus habuimus solennia: & lætus fuit Domnus rex, & omne palatium in gaudio. Et ego frater vester magnum habui gaudium de prosperitate, & salutatione vestra, de gratissimo munere psalmodiæ, & missarum celebrationis, quod mihi magna charitate direxistis. Sed & cappa, quam mihi aptissimam misistis, valde animo meo placet. Veniente verò ANGILBERTO, fortè aliquid certius vobis demandare habemus. Vos animum vestrum firmate in seruitio DEI, & in salute animæ vestræ viriliter domum ædificate vobis sempiternam in cœlis, vt paratam habeatis beatitudinem cum Christo, & Sanctis eius: quod plurimi verbis optant, sed rebus nō perficiunt. Tu verò labora diebus, horis, momentis, vt abundanter habeas, quod feliciter diligas.

Credo te de orationibus EVÆ, sororis nostræ fideliter facere, sed ex mea petitione aliquid superadde. quia mihi fidelis fuit. Et vbi plus fides innotescit, quàm post mortem amicorum? Dic COLVMBÆ, vt memoriæ confirmet, quod accepit, donec veniat, qui superadiiciat. Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. *Matth. 5.* Desiderium vestrum impleat, & cor charitate illuminet, qui venit mundum illuminare, & ignorantiæ tenebras de cordibus in eum expellere credentium. Vita, & salus Christo donante vos comitetur in æuum.

EPISTOLA LVII.

Charissimæ in Christo filiæ Eugeniæ.

ALBINVS SALVTEM.

PLacet mihi, sæpius in paruis literis, non tamen parua officia salutationis tuæ dirigere germanitati, & tuis ingerere cogitationib. admonitionis meæ vel promissionis salutiferas collationes: quatenus nobilissimum virginitatis decus, integro conseruare corpore coneris, rememorans gloriosam castitatis mercedem. Ecce in cœlis per magna æterni regis palatia Agnum sequuntur, quocunque ierit. Quid hac gloria beatius; vel hac beatitudine gloriosius? Vbi naturæ victor, omnium conditori creaturarum consociabitur.

Apoc. 14.

Nec labor quotidianus deterreat, quem spes tantæ remunerationis consolabitur. Paucorum labor dierum, æternis remunerabitur præmiis. Sit quoq; virginitas eleemosynarum largitate fertilis: nec sibi caducas diuitiarum gazas auida congreget manu; sed larga mente, in membra sui distribuat sponsi. Geminis, charitatis scilicet, & castitatis pennis, ad alta cœlorum regna transuolet. Nec virgo, carnis concupiscentiæ vinculis libera, auaritiæ laqueis constringatur: sed sui ipsius victrix, etiam seculi, ignauiâ, cupiditati non succumbat. Sed sibi misericordiæ operibus, quasi ramis virentibus, in arcem cœlestis Hierusalem viam sternat: vbi laudibus excepta angelicis, magni Imperatoris thalamum æterna inducatur lætitia.

Vt hoc fieri valeat, vigilare debet huius inquisitor margaritæ, non inertiæ sopitus somno, dormitare: imò sæpius oratione nocturnis, vel diurnis (horis) pulsare ianuas perpetuæ ciuitatis. Et ianuas apertas inueniet, quas quisque

ab

ab hoc carnali carcere deductus nimium intrare cupiet: quòd antè summa diligentia præuiderit choros, obuiis suscipientes manibus animam, ad deducendum in cubiculum regis, æternis fruituram gaudiis. Perpetuumque laudis carmen decantabit, in præsentia sui sponsi dicens: Benedic anima mea Dominum: & omnia opera eius, in omni loco dominationis eius benedic anima mea Dominum. Viuas, valeas & floreas virgo nobilissima in Christo.

Psalm. 102.

EPISTOLA LVIII.

Paulino

DVM feruentis Cancri igneus sol sidus ascendit, & nimio, diurnoque calore arida tellus imbres exspectat: sic tua, pater optime, in refrigerium magni amoris, sitiens in meo pectore voluntas, tuæ beatitudinis diu desiderabat literas: iterum, atque iterum per singula horarum momenta æstuans hoc reuoluebat elogium. Quando venient desiderati mei dulcissimi apices? quando videam signa salutis dilectissimi mei? Quando mihi Ausoniæ nobilitatis pagina optati prosperitatem ostendet amici? vt videam, si aliqua fœderatæ in Christo amicitiæ, in illius pectore maneat memoria: si Albini sui nomen stilo charitatis in cordis arcano reconditum habeat; sicut suauissimum PAVLINI patris nomen perpetua dilectione in corde filij æternis viget literis inscriptum.

Ecce venit, ecce venit paternæ pietatis pagina, quam diu desiderabam, omni melle palato meo dulcior, omni obryzo oculis honorabilior. Hanc lætus ambabus accipiebam manibus, & toto amplectebar pectore: suspensus, quid mihi de meo nuntiaret Paulino: solutisq; sigillis, auidis

oculorum obtutibus, per ſingulas lineas iter aperui, deſiderabilemq; optatæ ſalutis ſoſpitatem patris agnoſcens; in illis mox ſingulis literarum apicibus, oſcula libabam: totumque me Domino Chriſto, in gratiarum effudi actiones, dicens: Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.

Pſalm. 50.

Et quia antè humiliatus fui in triſtitia, nunc exaltatus ſum in lætitia. Et ſi quid pleno charitatis modio ſuperaddi potuiſſet, cumularem vtique primam dilectionis plenitudinem, noua abundantia lætitiæ. Nouit itaque, quicunque mellifluo charitatis iaculo vulnera, omni fauo dulciera in corde accipiet, non me auctumnali frigore flaccentia verborum folia, in huius chartulæ exaggerare gremium: ſed dè viuo veritatis fonte, ad irrigandos veræ flores dilectionis, hæc prona pectoris mei dextera haurire: quatenus mei magni amoris ſtillicidium tuis infunderem viſceribus.

Plurima mihi de ſanctiſſimo tui cordis epithalamio, rorifluo nectare exundantia protuliſti exempla, vt verius ARISTOTELICVM illud in te videam impleri prouerbium: qui acutiſſimas perihermeniarum ſcriptitans argumentationes, dicitur in mente calamum tinxiſſe.

Te verò agnoſco de æterno charitatis theſauro affluenter noua proferre, & vetera, & in fide fraterni amoris pénam tinxiſſe pietatis. Tuum verò ſanctiſſimum cor terra eſt repromiſſionis, ſapientiæ melle manans, & ſuauiſſimæ charitatis luce redundans, in qua verus, & glorioſus Salomon, virtutum gemmis templum pulchræ habitationis ſuę maieſtatis conſtruxit; non calce, flamma periturum; ſed æterna pace permanſurum. In quo ſancta ſanctorum ſummo, & vero Pontifici ſoli Chriſto peruia, non ſemel in anno, ſed ſemper in æternum. Ibi arca ſapientiæ, & duorum

Matth. 13.

Hebr. 9

tabu-

tabulæ testamentorum. Et hæc omnia Cherubin in multitudine tegunt scientiæ. Horum subter alas diuina populis oracula respondent, & flumina viuentis aquæ ad salutem sitientibus salient æternam. Quò, qui sitiat, de aridis terrarum ignorantiæ partibus veniat, & bibat. *Ioann. 4.*

Quid in tàm affluenti tui cordis thesauro non inuenitur? cuius habitator ille agnoscitur esse, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi: qui habet clauem Dauid; aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit. Qui vel ad profectum aliorum perpetuæ linguam eloquentię charitatis claue aperit; & quæ vult in arcano pectoris tui thesauro claue sapientiæ claudit. *Colos. 2.* *Apoc. 3.*

Hæc sanctissima somniantis Iacob scala, per quam cœli secreta septenis spiritalium charismatum gradibus piâ penetrare solet intelligentiâ: & iterum, ad ædificationem subiecti sibi populi fraterni amoris passibus descendit; vt fiat doctor Ecclesiasticus diuinæ contemplationis cum Maria compos, & iterum cum Martha Dominicæ mensæ conuiua sedulæ administrationis solicitus. *Gen. 28.* *Luc. 10.* *Ioan. 11.*

His duabus alis Sanctorum animæ cum magna meritorum gloria ad cœlestis regni beatitudinem quotidiè feruntur. His etiam seculi huius procellosos gurgites transeunt nauigio, & ad portum perpetuæ quietis cum virtutum mercimoniis peruenient.

Sed vereor, quod sine maximo cordis dolore non dico, me vlterius in hac vita tuæ beatitudinis faciem non visurum. quia in via diuisionis iter agimus laboriosum, & per vallem lacrymabilem ad incertum properamus finem; & citò fragilis caro, vnde sumpta est, reuertetur: & omnis decor illius vrente percussa vento flaccescet, & ibit homo *Psalm. 103.* *Iob. 27.*

in domum æternitatis suæ. Et circa eum stabunt in domo plangentes; & spiritus reuertetur ad Dominum, qui dedit illum.

Vbi tunc illecebræ carnalium delectationum? vbi secularis pompæ superba ambitio? Nonnè hæc omnia veluti fumus ventosis procellarum in aërem dispersus gurgitibus euanescunt? Et quantò plus quislibet hæc vana delectabilia amabit in mundo, tantò magis ea, æterno præsentatus iudici odio habuerit. Beatus, qui necessitatem vertit in voluntatem; & ea, Christi amore compunctus, voluntariè amiserit, quæ debita cogente morte amissurus erit.

Hæc, meæ miseriæ memor, lacrymosis dictaui querelis; non vt te, quod opus non est, ex meis corrigeres dictis, sed vt mecum me ex meis plangeres iniquitatibus; & pascentem in regione longinqua omni in immundicie porcos, tuis, ô sanctissime adiutor, precibus subleuares, & ad paternæ pietatis epulas diu periclitantem reduceres.

Luc. 15.

Adhæsit itaque oculo cordis mei puluis cogitationum iniquarum: vt summum beatitudinis bonum nec videre, nec amare perfectè valeat. Si viderem, vtique amarem. sed à te, qui spiritum ab eo consolationis accepisti, qui vult omnes homines saluos fieri, assiduæ orationis suffragia flagito: quatenus æternæ pietatis medicus collirio suæ misericordiæ inungat oculum, iniquis obcæcatum cupiditatibus: vt verum perpetuæ bonitatis lumen videre valeat, & amare, quod videat.

1. Tim. 2.

Memento mitissimam Samaritani mentem, qui vulneratum, omniq́ue præsidio destitutum, oleo & vino fouebat, pietatis fascia ligauit, leuauit in iumentum, duxit in stabulum; duos pro eo dedit denarios, vt curaretur. Quid hac pietate mitius, quid hoc exemplo salubrius? Ecce creator

Luc. 10.

ator omnium in precium se ipsum tradidit hominum, vt eos liberaret, quos creauit. Fateor me vnum ex illis, quos redemit. sed dum alienæ auidus pulcritudinis Chananitidas ex paterno tabernaculo perrexi videre, lupi me vespertini inuenerunt, rapuerunt, lacerauerunt, vulneratum dereliquerunt. Tandem aliquando diuina præueniente gratia, in memet reuersus, dixi: Surgam, & ibo ad patrem meum, teque, mitissime pastor, in hoc iter, sicut prædixi, ductorem te posco. *Luc. 15.*

Potuit igitur idem Lazari soluere vincula, qui eum de monumento prodire iussit. sed vt potestatem soluendi, sanctos habere doctores demonstraret, circumstantibus dixit: Soluite eum, & sinite abire. Tu verò, egregie pastor, solue, iubente DEO, mortiferas mihi peccatorum catenas, vt liber, vitæq; redditus, & inter conuiuas Domini Christi in æternæ beatitudinis epulis recumbere merear. *Ioan. 11.*

EPISTOLA LIX.

Venerando viro Paulino † patriarchæ

† Aquileiensi.

ALBINVS SALVTEM.

ACCEPTIS sapientiæ vestræ apicibus, & charitatis muneribus per hunc, huius præsentis chartulæ gerulum, valdè gauisus, cognoscens prosperitatem vestram, & memoriam nostri, quam semper paterna pietate vt habeas in orationibus sacris supplex obsecro: memor semper benignæ deuotionis, quam Iob habuit in filios suos. Salus filij, merces est patris: & laus genitoris, filius sapiens. *Iob. 1.* *Prouerb. 10.*

Præ-

Præſens verò portitor literarum, veſtro auxilio, & patrocinio noſtræ ſit commendatus petitioni. Ipſe viuo officio linguæ, noſtras, vel ſuas vobis oſtendet neceſſitates. Maiorem noſtræ ſalutationis ſeriem ENGILBERTVS filius communis noſter ROMAM iturus, volente DEO, vobis dirigit: ſed nulla chartula ſufficit charitatis effari dulcedinem: quam pleno ore anima mea de tuo hauſerat pectore. Teſtis eſt veritatis ille ſpiritus, per quem charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris.

Rom. 5.

Viuendo felix, felix, pater optime; viue,
Atq; memor nati ſemper, vbique, Vale.

EPISTOLA LX.

Domino in Domino dominorum dilectiſſimo, & pio patri Paulino Patriarchæ ſalutem.

VIDEOR aliquod me refrigerium habere animi mei, vt flamma charitatis in corde abſcondita aliquam fortaſſe ſcintillam elicere valeat: ne totum torpeſcat, quod intus igneſcit, dum oportunum mihi tempus, aliquid tuæ ſcribere charitati, occurrit.

Quid? Cum beatitudinis veſtræ literas omni fauo dulciores intueri mereor, nonné videor mihi inter varios paradiſi flores totus conuerſari, & auida deſiderij mei dextera ſpiritales exinde carpere fructus? Quantò magis cùm ſacratiſſimæ fidei veſtræ libellum recenſui, catholicæ pacis puritate ornatum, eloquentiæ venuſtate iocundiſſimum, ſenſuum veritate firmiſſimnm: totius animi mei habenas in lætitiam laxaui. Vbi de vno lucidiſſimo, & ſaluberrimo paradiſi fonte, quatuor virtutum flumina, non ſolum Auſoniæ fertilitatis prata, ſed totius eccleſiaſticæ latitudinis

tudinis rura irrigare conſpexi. Vbi & auriuomos ſpiritalium ſenſuum gurgites gemmis ſcholaſticæ vrbanitatis abundare intellexi. Quamplurimis verò profuturum, & pernecesſariũ feciſti opus, in Catholicæ fidei taxatione, quod diu optaui, & ſæpius Domno REGI ſuaſi, vt Symbolum Catholicæ fidei planisſimis ſenſibus, & ſermonibus luculentisſimis in vnam congereretur chartulam, & per ſingulas Epiſcopalium regiminum parochias omnibus daretur presbyteris legendum memoriæque commendandum. quatenus licet lingua diuerſa loqueretur, vna tamen fides vbique reſonaret.

Ecce, quod mea optauit humilitas, veſtra impleuit ſublimitas. Habet apud ſalutis noſtræ auctorem, perpetuam ſcilicet & huius bonæ voluntatis mercedem, & huius perfecti operis apud homines laudem. Semper feruentisſima charitas veſtra caſtra perpetui regis vndique inuictisſimis fidei clypeis muniat: ne, antiqui hoſtis verſutia, aliqua ex parte aditum ſuæ nequitiæ inuenire valeat. Et ſi ille mille habet artes nocendi, multò magis nobis neceſſe eſt, mille habere artes defendendi: credentes in eum, qui ait: Confidite, ego vici mundum. *Ioan. 16.* Cuius pietas nobis præuidebat agonis tempus tranſitorium: & remunerationis eſſe perpetuum. Ille, prior calcauit caput leonis, & draconis: nobisq; dedit poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones; *Luc. 10.* & omnes hæreticas prauitates, quæ ſunt portæ inferi, ſuperandi.

Tu verò, vir DEI Apoſtolice, hac armatus poteſtate, viriliter pugna, fortiter vince, vt feliciter regnes cum Chriſto. Heu proh dolor, multi ſolent deſuper cõtextam Chriſti tunicam hæreticis ſcindere vnguibus, & in pace Ecclecleſiæ facere, quod milites in pasſione Chriſti non auſi ſunt

facere. Quapropter venerande pater, & doctissime athleta, & dulcissime doctor, simus semper in castris Christi cómanipulares, & in vna acie, sub vexillo S. CRVCIS concordi consilio, & virtute præliantes, vt suos aduersarios per nos vincat, qui vinci non potest.

Nunc iterum antiquus serpens de dumis Hispanici ruris, & de speluncis venenatæ perfidiæ contritũ non Herculea, sed Euãgelica claua caput releuare conatur, & priorib. nequitiæ poculis, nouæ maledictionis toxica immiscere. sed & frigidissimus Aquilo ventus alio de latere, solidæ Ecclesiæ impellẽs parietem, sacri baptismatis, catholicæ consuetudinis, regulam immutare nitens: & sub inuocatione sanctæ Trinitatis, vnam asserentes mersionem fieri debere: triduanamq; nostri Saluatoris sepulturam in baptismo imitari negligentes: cùm Apostolus diceret: Consepulti enim estis cum Christo in baptismo.

Rom. 6. Colos. 2.

Alij verò trinam volentes facere mersionem, & in vnaquaque mersione inuocationem sanctæ Trinitatis: ac per hoc totas tres personas nominare studentes, dum ipsa veritas præciperet: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij & spiritus sancti. Quid opus est tertiò replicare, quod semel dictum sufficit?

Matth. 28.

Est quoque in quibusdam clancula dubitatio, an animæ sanctorum Apostolorum, & Martyrum, aliorumq; perfectorum ante diem iudicij, in cœleste recipiátur regnum? His & huiuscemodi spiculis, de pharetris (vt æstimo) exemtis perfidiæ, vnitatem sanctæ & catholicæ Ecclesiæ, & veritatem vniuersalis fidei aliqui vulnerare nitentes, etiam & spurcissimis errorum fæcibus limpidissima Ecclesiasticæ

fidei

fidei pocula inficiunt: & nuptiale vinum, quod Christus ex aqua virgini Matri, Ecclesiæ scilicet sanctæ salubriter potanda conuertit, iterum in aquas stultitiæ conuerti conantur.

Ioan 2.

Sed tuum est, ô pastor electe gregis, & custos portarum ciuitatis DEI, qui clauem scientiæ potente dextera tenes, & vt lapides limpidissimos læua recondis, blasphemantes exercitum DEI viuentis Philistæos insuperbissimo Goliath vno veritatis ictu totos conterere. Nostrum est eleuare cum Moyse manus in cœlum, humilitatis precibus te adiuuare, & spectare cum Dauid in munitissima ciuitatis...... donec speculator ex alto culminis fastigio clamitans, nobis tuam annunciet victoriam.

1. Reg. 17.
Exod. 17.
2. Reg. 18.

Ad te omnium aspiciunt oculi aliquid de tuo affluentissimo eloquio cœleste desiderantes audire: & feruentissimo sapientiæ sole, frigidissimos grandinum lapides, qui culmina sapientissimi Salomonis ferire non metuunt, per te citius resolui expectantes. Tu verò lucerna ardens, & lucens; nos in tua luce exultare gaudemus, vt te lucente, & ducente ad lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, eiusdem æternæ lucis gratia adiuuante, peruenire mereamur.

Ioan. 1.

EPISTOLA LXI.

Dilectiſsimo patri, & pio Pontifici Paulino patriarchæ.

ALBINVS VESTRÆ FILIVS DILECTIonis perpetuæ in Christo proſperitatis ſalutem.

SI quotidie tuæ beatitudinis præſentia vterer, nunquam tunc mellifluo ex ore tuo dulcedine ſatiarer. ſed quantum auida mens ex fonte vitalis vndæ biberet, tantum ſitis addita creſceret. At nunc tanta locorum ſpatia vicariæ colloquutionis familiaritatem diuidunt, vt vix pergentis chartulæ gerulus inueniatur. Et in anguſto pectoris antro charitatis olla ferueſcit; nec habet, quo fulgorem ſui ſplendoris oſtendat, cui coctas charitatis epulas apponat: & quodammodo abundantia ſuauitatis verſa eſt in eſuriem amaritudinis. In pampinis vitis floreſcit, ſed cultor huius vineæ infructuoſæ vuis non te paſcit. Agricola vniones eruit de gloria, ſed aurum in opus coronæ defecit. Nouit, qui mecum talia patrum, quid hæc ſignificare volunt paradigmata....... Fortè & harum lector literarum talem ſe memorat, qualem me agnoſcit in illis, & maximè tu, pater ſancte, de cuius corde fons vitæ emanat, charitas; & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et qui hæc in conſolationem ſpei noſtræ promiſit, tui eſt inhabitator pectoris, qui eſt virtus, ſapientia DEI; in cuius potentia, & gratia mirabiliter de Auarorum genere triumphatum eſt: quorum miſſi ad domnum Regem directi ſubiectionem pacificam, & Chriſtianitatis fidem promittentes. Et ſi hoc, diuina eos præueniente gratia, verum eſt; quis ſe ſeruorum DEI tàm pio, & laudabili labori ſubtrahere debet, vt

Ioan. 7.

vt diaboli diruatur sæuitia, & Christi Domini crescat seruitium?

Sed quàm plurimorum in te, pater optime, oculi respiciunt, quid vestra veneranda sanctitas facere velit. Quia & vicinitas locorum tibi competit, & sapientiæ decus suppetit, & auctoritatis excellentia tibi appetit, & cuncta conueniunt, quæ tali operi necessaria esse videntur. Ideo meæ paruitatis curiositas propterea huius sanctæ rei desiderat veritatem, & tuæ consiliũ deposcit prudentiæ, vel quid exinde agere tàm bona voluntas deliberatum habeat, agnoscere flagitat. Opus enim arduum est, sed ipsa attestante veritate: Omnia scimus esse possibilia credenti. Et qui de persequutore fecit prædicatorem, & de stercore eriget pauperem, vt sedeat cum principibus. Ipse potest de arida cordis mei caute riuulos viui fontis & in vitam salientis, producere, æternam: quãtò magis de vestro pectore abundantissimo flumina Gehonica fluentia per totam Nilotici ruris latitudinem ad fœcundandos diuersi generis flores, diffundere valet.

Marc. 9.
1. Tim. 1.
Psalm. 112.

Audiat, obsecro, per te, vnanimis tuæ charitatis filius, quid paterna præuideat agendum prudentia. Certissimum itaque consilium salutis per os illius sperari debet, cuius pectoris septiformis consilij inhabitator dignoscitur.

Binas vestræ paternitati paulò ante direxi chartulas. Vnam per sanctum Episcopum HISTRIENSEM; aliam, per virum venerabilem ÆRICVM Ducem, & veluti vestigalia aliqua vestræ beatitudinis exhortationum: ne sprecta charitas aliquid rugosa fronte, vel queruloso calamo exarare incipiat. Nequaquam in augmentum tristitiæ meæ diutius taceas: sed spiritum consolationis tibi à DEO datum, frequenter mihi apices facere almitatis vestræ

 conso-

consolationis non graueris: vt tuis bonis exhortationibus, & sanctis orationibus adiutus, ad supplementum mercedis tibi perpetuæ, diuina auxiliante misericordia, vitæ æternæ tecum particeps esse merear.

Floreat in vestro diuinis pectore donis
Semper in æternum Sophia, sancte pater:
Et mihi conseruet Christi dextra omnipotentis
Incolumem, meritis augeat ætheriis.
Donec suscipiat felix te porta polorum
Qua memor esto ..... semper in ore mei.

EPISTOLA LXII.
Domino patri Paulino.
ALBINVS SALVTEM.

EX eo sciri potest quanta mihi esset auiditas loquendi tecum, si facultatem confabulationis iniqua terrarum longinquitas non prohiberet: dum in vnius dexteram portitoris, propter causas superuenientes, tres simul posui indiculos. Vnum solicitudinis meæ. Alterum munusculi mei. Tertium, pro filia mea LIVTGARDE femina religiosa, ac DEO deuota. Nam illa sanctitati tuæ duas direxit armillas auri obryzi, pensantes XXIV. denarios minùs, de noua moneta regis, quàm libram plenam, vt orares pro ea cum sacerdotibus tuis: quatenus diuina clementia dies suos disposuisset in salutem animæ suæ, & sanctæ suæ exaltationem Ecclesiæ. Ego de tua indubius fide, suasi, vt faceret. Tu verò pater sancte, mei, & illius memor vbique in CHRISTI charitate valeto.

EPI-

EPISTOLA LXIII.

Paulino sanctissimo patriarchæ.

HVMILIS LEVITA ALCVINVS salutem.

ABsentia corporis non oportet dilectionem diuidere. Quia amicitia, quæ deseri potest, nunquam vera fuit. Ex quo te sciebam, dulcissime amice, semper amabam: &pepigit cor meum fœdus amicitiæ cordi tuo. Etsi nomen Paulini mei, non in cera, quæ deleri potest, scripsi.

Ne quæso obliuiscaris in tuis sanctis orationibus nomen amici tui Albini: sed in aliquo memoriæ gazophylacio reconde illud, & profer eo tempore oportuno, quo panem & vinum in substantiam corporis, & sanguinis Christi consecraueris. Diu dilectionis tuæ exspectaui promissa, hoc est, viuificæ crucis, vel aliarum reliquiarum patrocinia. Noli me, obsecro, tanto fraudare munere: nec te veritatis..... Nolo longinquitatem viæ causeris. Charitas pennas ad volandum inueniet: nec flumina obruent illam. Sufficiunt alæ fidei in palatio regis, quibus nec voluntas deest in accipiendo, nec fides in reddendo. si quid nostra petitio apud vos valeat, & tua semper apud DEVM valeat petitio, qui te in tàm sublimi statuit gradu, vbi eiusdem DEI Domini nostri IESV Christi effectus........

Vide quàm sublime est hoc nomen. Contende meritis esse, quod nomine vocaris. Clama, ne cesses, exalta, quasi tuba, vocē tuam. sit guttur tuum tuba DEI. prædica importunè, oportunè. Tu, gallus in prædicatione succinctus in castitate: tu aries in veritate fortissim9, cui nullus regū resistere poterit. Tu, lucerna super cādelabrum in domo DEI. Tua lingua cœlū claudit, & aperit. Aperit primū per prædicationis deuotionem. Ad

Esai. 58. *2. Tim. 4.* *Prouerb. 30.* *Luc. 8.* *Apoc. 3.*

Matth. 9. Luc. 5.

Ad exemplum Christi recurre: qui per ciuitates, castella, vicos, villas euangelizando iter agebat: etiam & domus publicanorum, vel peccatorum, propter occasionem prædicationis, non abhorruit intrare. Spes præmij solatium sit laboris. Quid facio insipiens ego contra philosophicum prouerbium, ligna in syluam ferens, stillicidiis flumina irrigans? Modulum meum extuli figuræ. Obsecro per eius amorem, qui duo minuta viduæ donis diuitum præferebat. Charitas omnia suffert; in qua, qui manet, in DEO manet, quia DEVS charitas est.

Marci 12. 1. Cor. 13. 1. Ioan. 4.

EPISTOLA LXIV.

Charissimo filio quem serò genui, & cito dimisi.

NEc bene ablactatus raptus est ab vberibus meis. Inimicior, quàm nouerca, tenera, de paterno gremio, per libidinum vortices, caro rapuit. Heu, proh dolor, quid faciam, nisi plangam pereuntem? Si fortè calidis lacrymarum fomentis resuscitari possit.

Genes. 19.

Væ carni, quæ non timet sulphureos quinque vrbium ignes, vel pœnæ infernalium tormentorum flãmas. Stringe te ipsum, obsecro, huius timoris catenis; & tenta, quomodo vel vnam ardoris scintillam sufferre possis: & cogita, quid sit, si totum corpus æterno crucietur incendio. Respice tandem, & noli consentire ei, qui tibi talia parat incendia: sed magis castiga teipsum; & paternis acquiesce obsecrationibus: & DEI oculis te semper præsentem esse cognosce, & ante sanctorum angelorum aspectus.

Erubesce in conspectu illorum facere, quæ horrescis in conspectu cuiuslibet hominis perpetrare. Scio, quod iudicium credis omnibus esse futurum: & te credis inter il-

los esse, qui talia egerunt, qualia tibi quotidie diabolus suadet. Ecce heri fecisti voluntatem carnis tuæ; hodie vadis in incendium ignis æterni.

EPISTOLA LXV.

Dilecto amico salutem.

PLACVIT caniciem vestram parua salutationis chartula appellare: sed non paruo charitatis officio: vt sciatis, licet longè positum, vestri tamen habere memoriam, & familiaritatis non obliuisci, quam præsentes suauissima dilectione & consolatione nos inter habuimus, firmam semper inter nos permanere in Christo charitatem: nec quolibet vento falsiloquij destrui; sed solida firmitate inter omnes huius seculi aduersitates immobilem semper consistere. Nostri memor in orationibus tuis semper valeto, frater charissime.

EPISTOLA LXVI.

Optimo Theophilo bis bini Euangelicæ veritatis discipuli, & sanctarum quadrigæ virtutum, fidelium quadriga amicorum plena charitatis naue trans alpinas aquas dirigit salutem.

ACCEPIMVS dignitatis vestræ chartam, verè, vt agnouimus, charitatis floribus depictam, ac mellifluo spiritalis iocunditatis sapore refertam. Vnde & nos discipuli sanctitatis vestræ in abundantia roriflui nectaris, quod ex eius gremio pleniter hausimus, refecti, satiati, valde lætati sumus: agnoscentes cœlestem charitatis thesaurum vestro sufficienter recondi in pectore: & af-

fluenter inde per lata terrarum spatia, flumina salutiferæ doctrinæ emanare, & arida iustitiæ fonte sitientium corda irrigare: non septigeno Niliaci fluminis gurgite, sed septiformi sancti Spiritus inundantia viuentis aquæ fluenta, in vitam salientia sempiternam: vnde & lucidissima Apostolicæ fidei pocula nobis propinare larga pietate studuisti: quæ cum omni charitatis auiditate accepimus, & cum magna gratiarum actione potauimus.

Nec vnius paruissimi, & variis motibus vibrantis in sole spurcitiam atomi offendimus in eis, sed crystallina puritate micantia, ita vt superni solis radiis, nostri cordis lychnos mirabiliter illuminauerit.

Hæc considerauimus diligentius, & desiderauimus ardentiùs; legimus sæpiùs, & elegimus semper: & lætificati laudauimus Dominum, qui solita pietate tale lumen nostris concessit laboribus. Quapropter intentiùs precamur; luceat lux tibi à DEO datæ sapientiæ, ex corde charitatis tuæ, per os veritatis tuæ; vt omnis auditor ædificetur, & solus omnium dator bonorum glorificetur in te, & per te.

Sæpiùs ad nos currat charta exhortationis tuæ: nec etiam alpinum frigus, vel viarum asperitas, vel exundatio fluminum vllatenus impediat. Charitas omnia superat; de qua dulcisonum decantauit psalta: Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam. *Cant. 8.* Ex abundantia cordis dictando scribat, vt nos ex diligentia legendi ædificemur.

In calce verò chartulæ huius obsecramus, quod in capite optamus, quatenus nostræ nauigium vitæ, sanctitatis vestræ orationibus gubernare digneris. Nam procellosa secularium negotiorum tempestas huc illucq; nos agitat, falsa nos tranquillitate in salo profundissimæ voraginis mergere quærens. Sed pius omnium gubernator, & humanæ

manæ ſemper amator ſalutis, tuis, pater venerande, exoratus lacrymis, nos, licet indignos, huius fluctiuagi pericula maris euadere faciat; & ad perpetuæ ſtabilitatis ſtationem proſpero curſu plenis mercedibus peruenire concedat.

Dextera te Chriſti ſemper defendat vbiq,
Protegat, atq regat. felix tu viue, valeto.

EPISTOLA LXVII.

Literæ commendatitiæ ad amicos.

Fraternæ dilectionis amicis per diuerſas nominum dignitates,

ALBINVS CONSERVVS IN CHRISTO veſter ſalutem.

LICET terrarum longinquitas diuerſas Chriſtianorum faciat habitationes: tamen ſanctæ charitatis ſocietas, ſub vno paſtore Chriſto, vnum eos facit eſſe gregem. In cuius fiducia, veſtræ pietati per precatorias noſtræ paruitatis literas, hunc miſſum nomine, ill. diligentiſſimè commendo: vt dilectionis veſtræ iuuamine ſuffultus, faciliùs ſanctæ peregrinationis viam peragat, & veſtræ bonitatis merces ante oculos omnipotentis DEI augeatur. Qui eſt via, vita, & veritas, vobis viam veſtræ ſalutis oſtendere, & requiem æternæ gloriæ tribuere, & beatiſſimam vitam concedere dignetur.

Ioan. 14.

L.D. & B. MARIÆ S. Virg.

EDMVNDI CAMPIANI, SOCIETATIS IESV, MARTYRIS IN ANGLIA, EPISTOLA,

AD

RICHARDVM CHENEVM, EPISCOPVM GLOCESTRENSEM.

AD LECTOREM.

EPISTOLIS ALCVINI BRITANNI *adiungimus alterius Britanni Epistolam; Campiani, inquam, qui Christo amorem & fidem ſanguine fuſo aſſerere voluit. Mihi, vt hanc nactus ſum, ſemper in theſauris fuit. Quare quod pretioſiſſimum habui, communico.*

ORNA-

ORNATISSIMO VIRO RICHARDO CHENEO, EPISCOPO GLOCESTRENSI EDMVNDVS CAMPIANVS S. D.

NON me nunc, vt olim, iuuenilis impetus, nec ſtyli facultatula, nec officioſa quædam ſcribendi ſedulitas ad ſcribendum impulit. Olim vis animi, maior nunc neceſſitas extorſit hanc epiſtolam. nimium iam diu ſeruitum eſt auribus, tempori, ſpebus, gloriæ; tandem aliquando ſaluti ſeruiat & ſubminiſtret oratio. Per ego te naturæ bonitatem tuæ, per meas lachrymas, per ipſum Chriſti confoſſum pectus, & patibuli cōfixi vulnera obteſtor, diligenter attendito. nullum de te nec finem nec modum facio cogitandi, nec vnquā ferè cogito, quin me vehementer pudeat, & illud è pſalmo repetam, taciteq; precer: Ab alienis Domine parce ſeruo tuo: quid admiſi? Scriptum eſt, ſcilicet, Videbas furem, & currebas cum eo: & alibi: Laudatur peccator in deſiderijs ſuis, & impius benedicitur. toties Gloceſtriæ tecum, toties in ſecreto cubiculo, tot horas in penetralibus tuis, & intima bibliotheca fui, vbi, ſecluſis arbitris, hoc negotium agere potuiſſem, & non feci; quodq; turpius eſt, aſſentando & conniuendo ad morbum faculas admoui. & licet fucoſa dignitatis imagine, opibus, ætate, literis anteibas, nec tibi à me curatio animæ, aut ſpirituale pabulum debebatur: tamen cùm eſſes ea facilitate ſuauitateque morum, vt me adoleſcentem ſenex in

familiare colloquiũ frequẽter exciperes, quiduis dicenti ſecuritatem & ſilentiũ præſtares, querelas apud me tuas, certorum in te calumnias hæreticorum, deponeres, paternè demùm hortarere, vt via regia planus & erectus incedere, vt eccleſiæ, conciliorum, patrum veſtigiis inſiſterem, his vt conſpirantibus nulla in te falſitatis labeculam aſpergi poſſe crederem: valdè mihi ſuccenſco, qui pulcherrimam hanc anſam ædificandæ fidei, vel nefario pudore, vel ſcelerata negligentia præterirem, qui paululùm modò diſtantem à regno Dei non accenderem confidenter, ſed aura fauoris & gloriæ tuæ potiùs vmbratilem exiſtimationem honoris mei, quàm ſempiternũ bonũ promouerem. Cęterùm quia, tùm quod erat, ſublatum eſt, vt præſentem præſens conarer inflectere: proximum eſt, ad abſentem vox mea proficiſcatur, teſtis obſeruantiæ, ſolicitudinis, anxietatis meæ, quam ille ſcit, apud quem quotidiana pro ſalute tua voueo. Audi obſecro, audi paucis. Annos plus minus ſexaginta natus es, incerta valetudine, debilitato corpore, hæreticorum odium, Catholicorum pudor, vulgi fabula, tuorum luctus, inimicorum ludibrium, pugnante conſcientia falſum nomẽ vſurpas Epiſcopi, peſtiferam ſectam, quam non probas, tacendo publicas, perculſus anathemate, reciſus à corpore, in quod ſolum Chriſtus influit, exutus omnium ſuffragiorum, ſacrificiorum, ſacramentorum beneficio. Quis vidêre? quid exſpectas? quæ tua vita eſt? ecquam in eo tibi ſpem reſtare putas, quod hæretici implacabili odio conuitiiſque laceſſant? quòd ex omnibus hæreſiarchis tolerabiliùs inſanias? quòd viuam Chriſti præſentiam in altari, & liberum hominis arbitrium profitêre? quòd catholicorum neminem in tua diœceſi protriueris? quòd hoſpitiis flores tuorum ciuium, & bonorum hominum? quòd palatium & prædia, non, vt tui ſodales, delumbaris? & quidem iuuabũt
iſta,

ista, si redieris ad complexum Ecclesiæ, si cum domesticis fidei vel minimùm quicquam patiare, vel salubriter meditère. nunc autem dum foris es, dum hostis es, dum nequissimus transfuga sub alieno duce militas, frustrà studes integumentis virtutum innumera flagitia piare. nec aliud consequêre, nisi vt cruciatibus æternis paulò fortasse minus horribiliter mactêre, quàm Iudas, aut Lutherus, aut Zuingli⁹, aut illi ipsi Cooperus, Humfredus, Sampsonus antagonistæ tui. Quid interest, quæso, ad mortis genus? ad mortem verò ipsam nihil interest, altané rupe quispiam præcipitetur in mare, an de ripa mittatur in profluentem; ferrone quis intereat, an laqueo; tortus in eculeo, an iaculo transuerberatus; gladio dissectus, an securi; lapidibus obtusus, an fustibus; igni tostus, an aqua bulliente coctus. Quorsum attinet pro multis fidei capitibus dimicare, & in paucis perire vacillantem? cauere naufragium, vt pugionibus iugulêre? declinare pestem, vt inedia contabescas? vitare flammulas, vt fumulo suffocêre? nullum fidei credit articulum, qui vnum aut alterum recusat credere. Nam simul ac pertinaciter transiliit limites Ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum veritatis, cui Christus Iesus, summa, prima, simplicissima veritas, fons, lux, dux, linea, norma fidelium instillat omnia. Quantumcunq; retinet catholicorum dogmatum, tamen si quod vnum perniciosè vellicat, cætera quæ assentit, non iam orthodoxa fide, sine qua est impossibile placere Deo, sed suo ingenio, sua persuasione retinet. otiosè catholicorum religionem tueris, si, quæ libitũ est, ea sola exosculêre; alia, quæ tibi nõ videntur, amputes. Vna, sincera, nota est via, non meis tuisque cãcellis, non priuato iudicio, sed humilitatis & obsequij seueris legib⁹ terminata; à qua cũ deflexeris, exorbitasti. intùs oportet

sis

ſis in domo Dei totus, intra ſalutis parietes tutus ac ſaluus ab iniuria. ſi paululum modò vagêre & ſpatiere, ſi pedem vel manicam è nauicula prominentem negligas, ſi vllam vel minimam in hoc nauigio pugnam dederis; exturbabere, occluſa eſt porta, exundat oceanus, periiſti. Qui mecum (inquit Saluator) non colligit, ſpargit: idq; exponit Hieronymus, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. non es tam ſtupidus, vt Sacramentariorum hæreſim conſectêre: non tàm demens, vt omniâ Lutheranæ factionis aſſecla velis eſſe, quæ nunc œcumenicis conciliis (quibus tute fidendum exiſtimas) dānantur Conſtantienſi & Tridentino. & tamen hæres in luto phantaſmatis tui, ſcilicet vt cornicum oculos configere videreris, vt fraterculis tuis arbiter ſederes honorarius. Memineris reſponſum, quod mihimet ipſi ſeriò ſanctéq; protuleris, tum cùm ante triennium in ædibus clariſſimi viri Thomæ Duttoni conueniſſemus, pranſuri Shyrburniæ. Incidimus in D. Cyprianum. Obieci tibi, vt tua ſenſa melius expiſcarer, Synodum illam Carthaginenſem, quæ circa baptiſmum puerorū lapſa eſt. Dixiſti id, quod res erat, non vni prouinciæ, ſed Eccleſiæ Spiritum ſanctum adpromitti: eam vniuerſam in pleno Concilio repræſentari: oſtendi non poſſe doctrinam vllam, quæ tale Concilium fefellerit. Recognoſce tua tela, quibus in Euchariſtiæ myſterio debellas aduerſarium. Clamas orbem Chriſtianum, cœtus Epiſcoporum cuſtodes depoſiti, hoc eſt, fidei antiquæ; hos vt interpretes Scripturæ commendas populo; latrunculorum quorundam figmentum impudens iure optimo rides & eleuas. nunc quid dicis? en tibi celeberrimos patres & patriarchas, & Apoſtolicos viros nouiſſimè coactos Tridenti, qui pro veterum patrum fide, communicatis operis, decertârunt; Legatos, Præſules, Cardinales, Epiſcopos, Oratores, Doctores plurimarum gentium,

tium, ætate maturos, rara ſapientia, dignitate principes, eruditione mirabiles; vndiq; circumfluentes Italos, Gallos, Hiſpanos, Luſitanos, Græcos, Polonos, Hungaros, Flandros, Illyricos, multos ex Germania, aliquot ex Hybernia, Croauia, Morauia, ex Anglia quoq; non neminem. Hi te, quamdiu ſic viuis, vt nunc viuis, feriunt, explodunt, eliminant, execrantur. Quid cauſæ adfers, maximè cùm tuis collegis bellū indixeris, cur non te totum citra exceptiones in horum præſulum diſciplinam ſubmiſſè dedas? vidiſtin' aliquid in cœna Domini, quod iſti non viderint, excuſſerint, diſſoluerint? audeſné teipſum vel centeſima parte cum infimis huius Concilij Theologis exæquare? non diffido prudentiæ, nec modeſtiæ tuæ, non audes. victus es ergò tuis iudicibus, numero, valore, pondere, grauiſſimo totius orbis terrarum, & maximo teſtimonio. Redi, redi ad cor (miſerabilis ſenex) reſtitue mihi veterem nitorem & egregias dotes tuas hactenus ſopitas in cœno turpitudinum. Da te parenti tuæ, quæ te Chriſto peperit, aluit, conſecrauit. agnoſce parricidium; ſit erranti medicina confeſſio. alterum (quod aiunt) in cymba pedem habes, fortaſſè ſtatim, breuiſſimè ſine dubio rapiendus è vita, ſiſtendus ad tribunal illud, auditurus, Redde rationē villicationis tuæ. quam niſi celeriter & accuratè cum aduerſario peccati viator inijeris, ad vltimum quadrantem exactus de vita infælix agitabere ab eo, cui ſoluendo nunquam fueris. tùm illæ manus, quæ ſpuriis ordinibus tot miſellos iuuenes initiârunt, ſulphureum corpus præ dolore pungent & terebrabunt: illud os impurum, periuriis & ſchiſmate delibutum, ignibus ac vermibus & ſpiritu procellarum opplebitur: illa tuæ carnis ambitioſa pompa, Cella Pontificia, prouentus annui, ſpatioſa domus, honorifica ſalutatio, famulorum cohors, apparatus elegans, rerum affluentia, quibus te ſtul-

-ta plebecula beatum æſtimat, in horribiles fletus, in ſtridorem dentium, in fœtorem, ſqualorem, fœditatem, carceres vertentur. ibi te Caluini manes & Zvvinglij, quibuſcum nunc luctâre, perpetuò affligent, cum Arrio, Sabellio, Neſtorio, VVicleſo, Luthero: denique cum diabolo & angelis tenebrarum ſupplicia dependes, blaſphemias eructabis. Parce tibi, vitę tuæ, dolori meo. licet fracta naui, proiectisq; mercibus, tamen accipe tabulam pœnitētiæ, adnata quantum poteris, & vel nudus ad Eccleſię portum applica. Chriſtus, ne dubites, præſeruabit manu, accurret, dabit oſculum, veſtiet ſtola candida; Cælites triumphabunt. de vita minima cura eſt. ille curabit, qui dat iumentis eſcam ipſorum, & coruorum pullis inuocantibus eum. tu ſi noſtrum exilium deguſtâſſes, ſi conſcientiam repurgaſſes, ſi viuidum pietatis exemplar oculis & animo luſtrauiſſes, quod hîc in Epiſcopis, preſbyteris, religioſis fratribus, præpoſitis Academicis, proceribus Regionum, laicis omnium ætatum, ordinũ, ſexuum reſplendet; credo reliquam temporis vſuram gemitibus & fletibus imbuendam, ſexcentis Britanniis commutares. Sin autem, quæ tuæ rationes ſunt, ſic impedîre, vt liberè, quò velis euolare non queas: animum ſaltem grauiſſimis catenis eripito, corpori quiduis impera, modò ne te ſua mole premat, & infra omnes mandet exilio. vbicunq; remanſeris, aut quocunque diuerteris; nouit Deus, qui ſunt eius, & propè eſt omnibus inuocantibus eum in veritate. Da veniam (ſenex ornatiſſime) iuſtiſſimis aculeis, & ardori meo. liceat odiſſe mortiferam plagam; liceat inſignis viri, chariq́ue capitis quolibet vel acerbo pharmaco periculum præſentiſſimum redimere & propellere. iamq́; futurum, ſi CHRISTVS annuet, ſi tute non refugeris. tàm exſpecto quàm te diligo. Diligo vt natura, literis, vrbanitate, moribus præſtantiſſimum, & mihi multis tuis meri-

cis

tis officiisque coniunctissimum. Si conualueris, beasti me: si contempseris, testor chirographum hoc. DEVS iudicet inter me & te: sanguis tuus super temetipsum. Vale.

SALVTIS TVÆ STVDIOSISSIMVS
EDMVNDVS CAMPIANVS.

AD LECTOREM.

PRÆTER vulgatum illud Chronicon Prosperi Aquitanici, quod S. Hieronymi chronico subiungitur, Pithœus aliud edidit Prospero Tironi Aquitano inscriptum, longè diuersum ab illo. Porro nobilissimus & exquisitæ eruditionis ocellus M. Velserus Duumuir Augustanus, misit nobis codicẽ M.S. Augustani Monasterij SS. Afræ & Vdalrici; vbi Eusebij & S. Hieronymi chronicis subiunctus Prosper; hoc titulo: Incipit ex chronicis Tironis Prosperi, chronicorum Eusebij temporibus prætermissis. Hic Prosper, nouo Tironis nomine auctus, licet cum vulgato illo in multis ne verbo quidem discrepet, tamen in quibusdam minutior est, in multis veró longé auctior, præsertim sub finem, vbi insignis accessio. Quare dignus visus, qui lucem videret, bono historiæ publico. Et vt singula conferre possis, sigillatim damus primo veterem editionem, Vlricianum secundo loco apographum, tertio Pithœi Tironem. Vnum moneo; & præmunio contra id quod occurrere queat docto lectori: Gennadius Presbyter Massiliensis affirmat se legisse chronicon Prosperi ab orbe condito vsque ad captam à Vandalis Romam. Hoc si verum, dicet quis, necesse est, Prosperum scripsisse copiosius quoddam chronicon; cuius initium non à Valentis morte vt hic, sed ab orbe condito: ita vt hæc tria chronica vel vnum ex his, sint illius membra, hactenus nonnisi mutila. Pithœus quidem sui Tironis, quem dedit, chronicon, putat esse germanum membrum amplioris illius, quod ab orbe condito ad captam à Vandalis Romam Gennadius se legisse testatur. At quidquid sit de hoc, vt ego pro certo id afferam, Gennadius certé non me mouet; & quo minùs moueat, facit

ut hoc nostrum Vlricianum Tironis apographum, vbi in fine hac, in nulla Prosperi editione hactenus lecta: Collecta ergo omnis summa annorum ab Adam vsque ad Wandalorum perditionem fiunt anni V M. DCC. XXXIII. *Quæ verba respexit procul dubio Gennadius. Neque hoc sine exemplo. Nam (vt notauimus in Victoris Tunnunensis chronicon, quod nuper cum Biclarensi, Luitprando, & Synodo Bauarica edidimus) Isidorus lib. de viris illustrib. cap. 25. dicit, à Victore Tunnunensi scriptam esse historiam ab orbe condito vsque ad primum Iustini iunioris annum; cùm tamen Victor nullo modo ab orbis ortu ordiatur; quippe qui testatur ipse, finem Prosperi sibi esse principium scribendi. In fine verò, prorsus eodem modo sicut Prosper colligit numerum annorum ab Adam vsque ad Iustinum. Et hoc est quod ait Isidorus Victorem, & Gennadius Prosperum scripsisse ab orbe condito. Neque aliud hîc requiras mysterium. Vnde etiam patet, illa quibus Vlricianum apographum ceteris auctius est, verè esse Prosperi, quippe quæ Gennadius legit. Adscribam autem verba Gennadij catalog. illustr. vir.* Prosper homo Aquitanicæ regionis, sermone scholasticus, & assertionibus neruosus, multa composuisse dicitur. Ex quibus ego Chronica nominis illius prætitulata legi: continentia à primi hominis conditione iuxta diuinarum Scripturarum fidem, vsq; ad obitum Valentiniani Augusti & captiuitatem vrbis Romæ à Genserico VVandalorum rege factam.

PROSPERI AQVITANICI CHRONICON.

HVc vsq; Hieronymus presbyter ordinem præcedentium digessit annorum, nos quæ secuta sunt adijcere curauimus. Igitur Valente à Gothis in Thracia concremato, Gratianus cum fratre Valentiniano XLI. regnauit annis VI.

Ausonio & Olybrio Coss. Gratianus post mortem patrui Theodosij Theodosium filium in consortium assumit Imperij, & ei regnum tradidit Orientis. Theodosius summa fœlicitate multis atq; ingentibus prælijs Gothos superat & è Thracia pellit. Longobardi ab extremis Germaniæ finibus, Oceaniq; protinus littore, Scandiaque insula magna multitudine egressi & nouarum sedium auidi, Iborea & Aione ducibus, Vandalos primùm vicerunt. Sempronius vir apprimè eruditus agnoscitur. Ea tempestate * Priscianus Episcopus de Galatia ex Manichæorum & Gnosticorum dogmate hæresim nominis sui condidit.

* al. Priscillianus.

Gratiano V. & Theodosio Coss. Pro catholica fide multa sublimiter Ambrosius scribit. Theodosius cùm Thessalonicæ ægrotaret à Basilio eiusdem ciuitatis Episcopo baptisma suscepit. Procurante Gratiano, eò quòd Theodosius ægrotaret, pax firmatur cum Gothis. Synodus Patrum CLXXX. apud Constantinopolim celebrata est contra Macedonium, Spiritum sanctum Deum esse negantem.

al. Syagrio & Eucherio.

Euagrio & Eleutherio Coss. Martinus Episcopus Turonorum Galliæ ciuitatis multis clarus habetur. Gregorius

rius Nazianzenus vir ſua ætate eloquentiſſimus & Hieronymi præceptor obijt.

Antonio & Syagrio Coſſ. Athanaricus Rex Gothorũ apud Conſtantinopolim XV. quo fuerat ſuſcept⁹ die* occiditur.

Merobaude II. & Saturnino Coſſ. Arcadius Theodoſij Imperatoris filius Auguſtus appellatur. Petronius Bononienſis Epiſcopus vir ſtudijs & ſanctitate clarus moritur.

**Ricimere & Clearcho Coſſ.* Honorius Theodoſij filius naſcitur. Romanæ Eccleſiæ poſt Damaſum* Vrſinus XXXVI. præfuit. In Britannia per ſeditionem militum Maximus Imperator eſt factus, quo mox ad Gallias transferente ſe, Gratianus Pariſijs Merobaudis magiſtri militum proditione ſuperatus, & fugiens Lugduni captus atque occiſus eſt. Maximus victorem filium ſuum Cæſarem conſortem regni facit. Valentinianus cum Theodoſio XLII. Romanorum regnauit annis. VII.

al. Euagrio.
** lego: occidit, vel: obijt. teſte Marcellino, Ammiano lib. 27. Zoſimo lib. 4. Themiſtio. orat. 6. Oroſio lib 7. c. 34. Caſſiodoro & alijs.*
al. Nicomede.
al. Syricius.

Arcadio & Bautone Coſſ. Hoc tempore Hieron. preſbyter toto iam mundo clarus habitat in Bethleem, egregio, ingenio, & ſtudio vniuerſali Eccleſiæ ſeruiens. Priſcillianus in ſynodo Burdegalenſi ſe damnandum intelligens, ad Imperatorem Maximum prouocauit, auditusque Treuiris ab Euodio præfecto prætorio, à Maximo gladio addictus eſt cum Eucrocia Delphidij Rhetoris coniuge, & Latroniano alijsque erroris conſortibus.

Honorio N.P. & Euodio Coſſ. Burdegalæ quædam Priſcilliani diſcipula nomine Vrbica, ob impietatis pertinaciam per ſeditionem vulgi lapidibus extincta eſt.

Valentiniano III. & Eutropio Coſſ.

Theodoſio II. & Cynegio Coſſ Maximus tyrannus à Valentiniano & Theodoſio Imperatoribus in tertio ab Aquileia lapide ſpoliatus indumentis regijs, ſiſtitur, & capite damnatur, cuius filius Victor ab Arbogaſte interfectus in Gallijs.

Timaſio

Timasio & Promoto Coss. Ithacius & Vrsacius Episcopi ob necem Priscilliani, cuius accusatores fuerant, Ecclesiæ communione priuantur. Longobardi eorum ducibus defunctis, primum sibi regem creauerunt Algelmundum Aionis filium, qui regnauit annis XXXIII.

* al. Nectorio.

*Valentiniano IV. & * Neoterio Coss.* Signum in cœlo, quasi columna pendens ardensque per dies XXX. apparuit. Theodosius venerabile Ioannis Baptistæ caput ex vico Coslai Constantinopolim deportans septimo ab vrbe lapide in Basilica, quam magno sumptu in eius honorem erexerat, recondit.

Titiano & Symmacho Coss. Eugenius fauore Arbogastis confisus imperium sibimet vsurpauit.

Arcadio II. & Rufino Coss. Valentinianus ad vitæ fastidium nimia Arbogastis magistri militũ austeritate ductus, laqueo apud Viennam periit. Arbogastes magister exercitus mortuo Valentiniano cuius exercitu grauabatur, Eugenium in Galliis imperare facit. Theodosius XLIII. Romanorum, cùm iam per XIV. regnaret annos, regnat cum Arcadio & Honorio filiis annis III.

Theodosio III. & Habundantio Coss. Honorium pater suus Theodosius in eodem loco, quo fratrem eius Arcadium, Cæsarem fecerat, principem constituit, XVII. ab vrbe miliario, cùm hora tertia tenebræ factæ sunt.

Arcadio III. & Honorio II. Coss. Ioannes monach' anachoreta clarus habetur, qui ornat' prophetiæ gratia Theodosium consulentem de euentu belli, quod aduersus Eugenium mouebat, victorem futurum prædixit.

Olybrio & Probino Coss. Theodosius Eugenium vincit & perimit. Augustinus beati Ambrosij discipulus multa facundia doctrinaq; excellens Hippone regione Africæ Episcopus ordinatur. Hoc tempore Claudianus poëta innotuit.

tuit. Theodosius Imperator Mediolani moritur. Arcadius XLIIII. Romanorum, cum iam regnasset annis XII. regnat cum fratre Honorio annos XIII.

Arcadio & Honorio Coss. Terræ motus per dies plurimos fuit, cœlumq; ardere visum est. Orosius Hispanus presbyter vir eloquens & Historiarum cognitor claret.

Cæsario & Attico Coss. Flacilla nata est Arcadio filia. Euagrius incredibilis abstinentiæ monachus, & in sacris literis eruditus apud Ægyptios habetur insignis.

* *Mallio Theodoro Cos.* Cum hoc consulatum inierat Eutropius eunuchus, qui mox honore & vita exutus est.

* al. vitiose *Manlio & Theodoro.*

Honorio IV & Eutychiano Coss. Anastasius XXXVII. Romanæ Ecclesiæ Episcopatum tenet annos III. dies XXI.

Stilicone & Aureliano Coss. Gothi Italiam Halarico & Rhadagaiso ducibus ingressi.

Vincentio & Fravitta Coss. Ioannes Constantinopolitanus & Theophilus Alexandrinus illustres Episcopi habentur; sed vtrumq; obscurauit discordia, quæ eousque processit, vt Ioannes à Theophilo oppressus Pontum exilio pergere cogeretur; cùm tamen communionem eius maxima pars eorum Episcoporum, Romani Pontificis exemplum secuta, seruauerit.

Arcadio V & Honorio V Coss. Aduersus Gothos vehementer vtriusq; potentiæ partis clade pugnatum est. Innocentius XXXVIII. Romanæ Ecclesiæ præest Episcopus annis XV. mensibus II. diebus XXI.

*Theodosio Augusto & * Rumorido Coss.* Eudoxiæ Arcadij vxoris statua super porphyreticam columnam posita est

* al. Rimoridio

Honorio VII. & Aristeneto Coss. Eudoxia vxor Arcadij diem clausit.

Stilicone II. & Anthemio Coss. Rhadagaisus in Thuscia multis Gothorum millibus cæsis, ducente exercitum Stili-

cone, superatus & captus est.

Arcadio VI. & Probo Coss. Vandali & Alani Gallias, traiecto Rheno, pridie Kal. Ianuarias ingressi.

Honorio VII. & Theodosio II. Coss. Constantinus ex infima militia ob solam speciem nominis in Britannia tyrannus exoritur, & ad Gallias transit.

Basso & Philippo Coss. Arcadius Imperator Constantinopoli moritur. Honorius cũ Theodosio fratris filio XLV. Romanorum regnauit annis XVI.

Honorio VIII. & Theodosio III. Coss. Vandali Hispanias occupauerunt. Attalus Romæ Imperator factus, qui mox priuatus regno Gothis cessit.

* al. vitiose Fl. Varrone & Tertullo Consulibus.

** Flauio Varrone Consule.* Roma orbis quondam victrix à Gothis Halarico duce capta, & ob hoc solus fuit Orientalium partiũ consul; quod in sequenti anno obseruatum est.

Theodosij Augusti IIII. consulatu. Constantinus per Honorij duces Constantium, & Vlfulam apud Arelatense oppidum victus & captus est, cuius filium Constantẽ in Hispania regnare orsum Gerontius comes, in Maximum quendam tyrannidem transferens, interemerat.

Honorio IX. & Theodosio V. Coss. Maximo in Hispania, regno ablato, vita est concessa; eò quòd modestia humilitatis affectati imperij inuidiam non merebatur. Gothi rege Athaulpho Gallias ingressi. Eodem tempore Heros vir sanctus & B. Martini discipulus cum Arelatensi oppido Episcopus præsideret, à populo ipsius ciuitatis insons, & nullis insimulationibus noxius pulsus est, inque eius locum Patroclus ordinatur, amicus & familiaris Constantij magistri militum, cuius per ipsum gratia quærebatur, eaq; res inter Episcopos regionis illius magnarum discordiarum caussa fuit.

* al. Lucio.

** Luciano viro clarissimo consule.* Huius collega in consulatu

latu fuit Heraclianus, qui nouarum in Africa rerum reus & honorem amisit & vitam. Burgundiones partē Galliæ propinquantem Rheno obtinuerunt. Iouius & Sebastianus fratres in Galliis regno accepto interempti. Hac tempestate Pelagius Brito dogma nominis sui contra gratiā Christi Cælestino & Iuliano adiutorib. exeruit, multosq; in suum trahit errorem, prædicans vnumquemque ad iustitiam voluntate propria regi, tantumq; accipere gratiæ quantum meruit: quia Adæ peccatum ipsum solum læserit, nec posteros eius obstrinxerit. Vnde & volentibus possibile sit omni carere peccato, omnesque paruulos tàm insontes nasci, quàm primus homo ante præuaricationem fuit, & ideo baptizandos, non vt peccato exuantur, sed sacramento adoptionis honorentur.

Constantino vero Consule Attalus Gothorum consilio & præsidio tyrannidem resumit in Galliis.

Honorio X. & Theodosio VI. Coss. Attalus à Gothis ad Hispanias migrantibus neglectus, & præsidio carens capitur, & Constantio Patricio viuus offertur. Athaulphus à quodam suorum vulneratus interiit, regnumq; eius Vuallia parentis, qui idem cupere intelligebatur, inuasit.

Theodosio VII. & Palladio Coss. Placidiam Theodosij Imperatoris filiam, quam Romæ Gothi ceperant, quamque Athaulphus cōiugem habuerat, Vuallia pacem Honorij expetens reddidit, eiusque nuptias Constantius promeretur. Zosimus XXXIX. Romanæ Ecclesiæ Episcopatum suscipit, anno vno, mensibus IX. diebus VIII. Quo tempore Pelagius iam à Pontifice Innocentio prædamnatus, ei Afrorum vigore & maximè Augustini Episcopi scientia resistebatur.

Honorio XI. & Constantio II. Coss. Honorius triumphans Romam ingreditur, præeunte currū eius Attalo, quem Lyparæ viuere exulem iussit.

Honorio XII. & Theodosio VIII. Coss. Hoc tempore Cōstantius seruus Christi ex vicario Romæ habitans, & pro gratia Dei Pelagianis resistens, factione eorum, multa pertulit, quæ illum sanctis Confessoribus sociauerunt. Concilio apud Carthaginem habito CCXVII. Episcoporū*, ad Pontificem Zosimum Synodalia decreta perlata, quibus probatis per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est. Valentinianus Constantij & Placidiæ filius nascitur sexto nonas Iulias. Bonifacius XI. Romæ Episcopatum tenet annis tribus mensibus IX.

* *al. à Pontifice Zosimo s. d. sunt perlata.*

Maximo & Plinta Coss. Constantius pacem firmat cum VVallia, data ei ad habitandum Aquitania, & quibusdam ciuitatibus confinium prouinciarum.

Theodosio VIII. & Constantio III. Coss. Constantius ab Honorio in consortium regni assumitur. Hieronymus presbyter moritur anno ætatis suæ XCI. pridie Kalendas Octobris.

Agricola & Eustathio Coss. Constantius imperator moritur.

Honorio XIII & Theodosio X. Coss. Hoc tempore exercitus ad Hispanias contra Vandalos missus est, cuius Castinus dux fuit, qui Bonifacium virum bellicis artibus præclarum inepto & iniurioso imperio ab expeditionis suæ societate auertit: nam ille periculosum sibi atque indignum ratus sequi quem discordem superbientemq; expertus esset, celeriter se ad portum vrbis, atq; inde ad Africam proripuit, idq; reipublicæ multorum laborum initium fuit.

Mariniano & Asclepiodoro Coss. Placidia Augusta à fratre Honorio pulsa ad Orientem cum Honorio & Valentiniano filiis proficiscitur. Cælestinus XLI. Romanæ Ecclesiæ præsidet Episcopus annis. IX. Longobardorum II. regnauit Lamissus meretricis filius annis III. Honorius moritur, & re-

& regnum eius Ioannes occupat, conniuente, vt putatur Castino, qui exercitui magister militum præfuit. Theodosius XLVI. Romanorum regnauit an. XXX.

Castino & Victore Coss. Theodosius Valentinianum amitæ suæ filium Cæsarem facit, & cum Augusta matre sua ad recipiendum occidentale mittit imperium: quo tempore Ioannes dum Africam, quam Bonifacius obtinebat, bello reposcit, ad defensionem sui infirmior factus est.

Theodosio XI. & Valentiniano Coss. Placidia Augusta, & Valentinianus Cæsar mira felicitate Ioannem tyrannum opprimunt, & regnum victores recipiunt, data venia Aëtio, quòd Hunni, quos per ipsũ Ioannes acciuerat, eiusdem studio ad propria reuersi sunt. Castinus autem in exilium actus est, quia videbatur, Ioannem sine Comitiua regnum non potuisse assumere. Valentinianus decreto Theodosij Augustus appellatur. Archillas nobile oppidum Galliarum à Gothis multa vi oppugnatum est, donec imminente Aëtio non impuniti discederent.

Theodosio XII. & Valentiniano II. Coss. Patroclus Arelatẽsis Episcopus à tribuno quodam barbaro multis vulnerib' laniatus occiditur, quod facinus ad occultam iussionẽ Felicis magistri militum referebatur, cuius impulsu traditur etiam Titus diaconus vir sanctus Romæ pecunias pauperibus distribuens interfectus.

**Hierio & Ardabure Coss.* Bonifacio, cuius potẽtia gloriaq; in Africa augebatur, bellum ad arbitrium Felicis, qui ad Italiam venire * annuerat, publico nomine illatũ est, ducibus Mauortio & Galbione, & Sinoce, cuius proditione Mauortius & Galbio, cùm Bonifacium obsiderent, intercempti sunt: moxq; ipse à Bonifacio dolo detectus, occisus est. Exinde gentibus, quæ nauibus vti nesciebant, dum à concertantibus in auxilium vocantur, mare peruium fa-

* al. Hierone

* m. f. abnuebat.

ctum est, belliq́ue contra Bonifacium cœpti in Sigisuultum Comitem cura translata est. Gens Vandalorum ab Hispanis ad Africam transiit.

Felice & Tauro Coss. Nestorius Constantinopolitanus Episcopus nouũ Ecclesiis molitur errorem inducere, prædicans Christum ex Maria hominem tantum, & non Deum natum, eiq; diuinitatem collatam esse pro merito. Huic impietati præcipua Cyrilli Alexandrini Episcopi industria, & Papæ Cælestini repugnat auctoritas. Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci possidendam occupauerant, Aëtij Comitis armis recepta.

Florentio & Dionysio Coss. Felice ad patriciam dignitatem prouecto, Aëtius, magister militum factus est, ex agricola. Pelagianus, Seueriani Pelagiani Episcopi filius, Ecclesias Hyberniæ dogmatis sui insimulatione corrupit; sed actione Palladij diaconi Papa Cælestinus Germanum Antisiodorensem Episcopum vice sua mittit, vt deturbatis Hæreticis Britannos ad Catholicam fidem dirigat.

Theodosio XIII. & Valentiniano III. Coss. Aëtius Felicem cum vxore sua Padusia, Egrumitium diaconum eos insidiari cùm præsensisset, interemit. Augustinus Episcopus per omnia excellentissimus moritur v. Kalendas Septembris, libris Iuliani inter impetum obsidentium Vandalorum in ipso dierum suorum fine respondens, & gloriosè in defensione Christianæ gratiæ perseuerans.

Basso & Antiocho Coss. Congregata apud Ephesum plus ducentorum synodo sacerdotum Nestorius cum hæresi nominis sui, & cum multis Pelagianis, qui cognatum sibi dogma iuuabant, damnatur. Ad Scotos in Christum credentes ordinatur à Papa Cælestino Palladius & primus Episcopus mittitur.

Aëtio & Valerio Coss. Romanæ Ecclesiæ XLII. præficitur Episcopus Sixtus.

Toti-

Totius orbis pace & confessione mirabili Bonifacius ad Italiam peruenit in vrbem, accepta magistri militum dignitate, qui cùm sibi resistentem Aetium prælio superasset, paucos post dies morbo extinctus est. Aëtius verò cùm deposita potestate in agro suo degeret, ibiq; cùm quidam inimicus ei⁹ repentino eum incursu opprimere tentasset, pfugus ad vrbem atque illinc ad Dalmatiã, deinde Pannoniam ad Hunnos peruenit, quorum amicitia auxilioque vsus pacem principum Aëtius interpellatæ potestatis obtinuit.

Theodosio XIIII. & Maximo Coss. Maxima vrbis regiæ pars septẽtrionalis per tres dies continuò incensa collapsaq; est, mense Augusto. Ioannes monachus cognomento Cassianus Massiliæ insignis & facundus scriptor habetur.

Aspare & Areobinda Coss.

Theodosio XV. & Valentiniano IIII. Coss. Pax facta cum Vandalis, data eis ad habitandum per triennium à loco Africæ portione Hippone. III. Idus Februarij. Eodem tempore Gundicarium Burgundionum regem intra Gallias habitantem Aëtius bello obtriuit pacemque ei supplicanti dedit, qua non diu potitus est; Siquidem illum Hunni cum populo suo atque stirpe deleuerunt.

Isidoro & Senatore Coss. Gothi pacis placita perturbant, & pleraq; municipia sedib⁹ vicina suis occupant; Narbonẽsi oppido maximè infesti, quod cùm diu obsidione & fame laboraret, per Littorium Comitẽ ab vtroq; periculo liberatum est. Siquidem per singulos equites binis tritici modiis aduectis strenuissimè & hostes in fugam vertit, & ciuitatem annona impleuit.

Aëtio II. & Sigisuulto Coss. Bellum aduersus Gothos Hunnis auxiliantibus geritur. Geisericus Rex Vandalorum intra habitationis suæ limites volens Catholicam fidem

Arri-

Arriana impietate subuertere, quosdam nostrorum Episcoporum eatenus persecutus est; vt eos priuato iure basilicarum suarum etiam ciuitatibus pelleret, cùm ipsorum constantia nullis superbissimi Regis terroribus cederet. Valentinianus Augustus ad Theodosium principem Constantinopolim proficiscitur, filiamq; eius in matrimonium accipit. Eodem anno piraticam barbarorum fœderatorũ desertores exercuerunt. Per idem tempus quatuor Hispani viri Arcadius, Probus, Paschasius, & Eutychius dudum apud Geisericum merito sapientiæ & fidelis obsequij clari habebãtur, quos Rex vt copulatiores sibi faceret, in Arrianã sectam transire præcepit. At illi facinus constantissimè respuẽtes, excitato in rapidissimã iram barbaro, primùm ꝓscripti, deinde in exiliũ acti, tum atrocissimis cruciati suppliciis, ad postremum diuersis mortibus interempti, illustri martyrio mirabiliter occubuerũt. Puer aũt Paulill⁹ noĩe frater Paschasij & Eutychij, pro elegãtia formæ atq; ingenij admodùm Regi acceptus, à professione atq; amore Catholicæ fidei cùm nullis minis deturbari posset, diu fustibus cæsus ad infamem seruitutem damnatus est, nec ideo, vt apparet interfectus, ne superata sæuitia impij Regis etiam illa ætas gloriaretur.

Theodosio XVI. & Fausto Coss. Hoc quoque anno iidem piratæ multas insulas, sed præcipuè Siciliam vastauêre. Aduersum Gothos in Gallia quædam prosperè gesta.

Theodosio XVII. & Festo Coss. Littorius, qui secundæ ab Aëtio patricio potestati Hunnis auxiliantibus præerat, dum Aëtij gloriam superare appetit, dumque haruspicum responsis & dæmonum significationibus fidit, pugnam cum Gothis imprudenter conseruit; fecitq; intelligi, quantum illa eorum quæ periit, manus prodesse potuerit, si potioribus consiliis quàm sua temeritate vti maluisset, quãdo tan-

tam

tam ipse hostibus cladem intulit, vt nisi inconsideranter prælians captiuitatem incidisset, dubitandum foret, cui potius parti victoria adscriberetur. Hac tempestate Iulianus Athelenensis iactantissimus Pelagiani erroris assertor, quem dudum amissi Episcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis spem præferens molitus in communionem Ecclesiæ irrepere: sed his insidiis Sixtus Papa diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit; & ita omnes Catholicos defectione fallacis bestiæ gaudere fecit, quasi tunc primùm superbissimam hæresim Apostolicus gladius detruncasset. Per idem tempus Vitricus reipublicæ nostræ fidelis multis documentis bellicis clarus habetur. Pax cum Gothis facta, cùm eam post ancipitis pugnę lachrymabile experimentũ humilius quàm vnquam ante poposcissent. Aëtio rebus quæ in Galliis componebãtur intento, Geisericus, de cuius amicitia nihil metuebatur, XIIII. Kalendas Nouembris Carthaginem dolo pacis inuadit, omnesque opes eius, excruciatis diuerso tormentorum genere ciuibus, in ius suum vertit, nec ab Ecclesiarum despoliatione abstinens, quas & sacris vasibus exinanitas, & sacerdotum administratione priuatas nõ iam diuini cultus loca, sed suorum iussit esse habitacula. In vniuersum captiui populi ordinem sæuùs, sed præcipuè nobilitati & religioni infensus; vt non discerneretur, hominibus magis an Deo bellum intulisset. Carthago à Vandalis capta anno postquam Romana esse cœperat, DXXCV. aliàs DXXCIII.

Valentiniano V. Augusto, & Anatholio Coss. Defuncto Sixto Episcopo, XL. amplius diebus Romana Ecclesia sine Antistite fuit, mirabili pace, atque patientia aduentum Diaconi Leonis expectans, quem tunc inter Aëtium & Albinum amicitiæ redintegrãdæ Galliæ detinebant: quasi ideo

T

si ideo longus esset aduentus, vt electi meritum, & eligentium iudicium probaretur. Igitur Leo diaconus legatione publica accitus, & gaudenti patriæ præsentatus, XIII. Romanæ Ecclesiæ Episcopus ordinatur. Geisericus Siciliam grauiter affligens, accepto nuncio de Sebastiano ab Hispania ad Africam transeunte, celeriter Carthaginem rediit, ratus periculosum sibi ac suis fore, si vir bellandi peritus recipiendæ Carthagini incubuisset. Verùm ille amicum se magis quàm hostem videri volens, diuersa omnia apud barbaros, quàm præsumpserat reperit, eaque spes causa illi maxima & calamitatis & infelicis mortis fuit.

al. Arioninda & Ausila.

Cyro consule. Theodosius Imperator bellum contra Vandalos mouet, * Areobinda & Anaxilla atque Germano ducibus, cum magna classe directis, qui longis cunctationibus negotium differentes, Siciliæ magis oneri quàm Africæ præsidio fuerunt.

al. Leudexa.

*Dioscoro & * Eudoxio Coss.* Hunnis Thraciam & Illyricum sæua depopulatione vastantibus exercitus, qui in Sicilia morabatur, ad defensionem orientalium partium reuertitur. Cum Geiserico autem ab Augusto Valentiniano pax confirmata, & certis spaciis Africa inter vtrumq; diuisa est. In Geisericum apud suos de successu rerum superbientem quidam optimates ipsius conspirauerunt: sed molitione detecta multis ab eo suppliciis excruciati atque extincti sunt. Cumque idem audendum etiam aliis videretur, multis regis suspicio exitio fuit, vt hac sui cura plus virium perderet, quàm si bello superaretur.

al. Paterio.

*Maximo II. & * Paterno Coss.* Hoc tempore plurimos Manichæos intra vrbem latere diligentiæ Papæ Leonis innotuit, q eos de secretis suis erutos & oculis totius Ecclesiæ publicatos oẽs dogmatis sui turpitudines & damnare fecit, & prodere, incensis eorum Codicibus, quorum magnæ

moles

moles fuerant interceptæ. Quæ cura viro sancto diuinitùs, vt apparuit, inspirata non solùm Romanæ vrbi, sed etiam vniuerso orbi plurimum profuit. Siquidem confessionibus in vrbe captorum, qui doctores eorum, qui Episcopi, quiuè presbyteri, in quibus prouinciis vel ciuitatibus degerent, patefactum est. Multiqúe Orientalium partium sacerdotes industriam Apostolici Rectoris imitati sunt.

Theodosio XVIII. & Albino Coss. Attila Rex Hunnorum Bledam fratrem & consortem suum perimit, eiusque populos sibi parere compellit.

Valentiniano VI. & Nonio Coss.

PROSPERI AQVITANICI FINIS.

CHRONICON

TIRONIS PROSPERI

EX M. S. AVGVSTANO, NVNC PRIMVM EDITVM.

Egitvr Valente à Gothis in Thracia concremato, Gratianus cum fratre Valentiniano X V. regnat annos VI.

Theodosius ordinatur Imperator à Gratiano Sirmij; ad quem Theophilus Paschale scribit.

I. *Ausonio & Olibrio.* Gratianus post mortẽ patrui Theodosium, Theodosij filium in consortium adsumpsit, imperiiq; ei regnum tradidit Orientis. Ea tempestate Priscillianus Episcopus de Gallis ex Manichæorum & Gnosticorum dogmate hæresim nominis sui condidit.

II. *Gratiano V. & Theodosio.* Ambrosius Episcopus pro Catholica fide multa sublimiter scripsit.

III. IV. *Syagrio & Eucherio.* Martinus Episc. Turinorum*...... apud Constantinopolim quintadecima die qua fuerat susceptus * occiditur.

V. *Merobaude II. & Saturnino.* Arcadius Theodosij Imperatoris filius Augustus appellatur.

VI. *Ricomede & Clearcho.* Honorius Theodosii filius nascitur. Romæ XXXVI. * Vrsinus ordinatur post Damasum annis XIV. In Britannia seditione militum Maximus Imperator est factus, Quo mox ad Gallias transfretãte Gratianus

**Hæc lacuna ex vulg. sic explenda: Martinus Ep. T. Galliæ ciuitatis multu clarus habetur. Greg Nazianz. vir sua ætate eloquentissimus & Hieronymi præceptor obiit. Antonio & Syagrio Coss. Athanaricus rex Gothorum apud Constantinop.*

** Corrig. occidit vel obiit.*

** leg. Syricius.*

tianus Parisiis, Merobaude magistro militum, proditione superatus, fugiens, Lugduni captus atque occisus est. Maximus Victorem filium suum consortem regni facit. Valentinianus XVI. regnat cum Theodosio VIII.

I. *Arcadio & Bautone.* Hieronymus Presbyter hoc tempore in Bethlehem, toto iam mundo clarus, habitabat, egregio ingenio & studio vniuersæ Ecclesiæ seruiens. Priscillianus in Synodo Burdegalensi damnandum se intelligens ad Imperatorem Maximum prouocauit. auditusque Treueris ab Euodio Præfecto Prætorij, gladio addictus est, cum * Eucroti Adelfi directoris coniuge, & Latrentano, aliisq; erroris consortibus. Burdegalæ quædam Priscilliani discipula nomine Vrbica ob impietatis pertinaciam per seditionem vulgi lapidibus extincta est.

II. *Honorio Imperatore & Euodio.*

III. *Valentiniano III. & Eutropio.*

IV. *Theodosio II. & Cynegio.* Maximus Tyrannus Valentiniano & Theodosio Imperatoribus in tertio ab Aquileia lapide spoliatus indumentis regiis sistitur, & capite damnatur. Cuius filius Victor eodem anno ab Arbogaste est interfectus in Gallia.

V. *Timasio & Promoto.* Ithacius & Vrsacius Episcopi ob necem Priscilliani, cuius accusatores fuerunt, Ecclesiæ communione priuantur.

VI. *Valentiniano IV. & Neoterio.*

VII. *Tatiano & Symmacho.*

IIX. *Arcadio II. & Rufino.* Valentinianus ad vitæ fastidium nimia Arbogastis, magistri militum, austeritate perductus, laqueo apud Viennam periit. Arbogastes magister

Hæc lectio Prosperum errorũ, & Merobaudẽ proditionis suspicione liberat. Nam Gratianus proditione militum victus, Merobaude magistro militum, nõ conscio proditionis; sed inuito & dolẽte: quem Maximus, vt amicum Gratiani constantissimũ, teste Pacato, occidit.

** leg. Euchrocia Delphidij rhetoris coniuge, & Latroniano. Neque enim Adelphius Massalianus hæreticus hic intelligendus, qui damnatus in Synodo Sydæ anno 383. An huius Adelphij vxor Euchrocia? nil simile legi. Euchrocia ac filia eius Procula, inquit Seuerus lib. 2. de qua fuit sermo hominum, Priscilliani stupro grauidam.*

 mili-

militum & exercitus, mortuo Valentiniano, cuius * exitu grauabatur, Eugenium in Gallia Imperatorem facit. Theodosius XVII. cum iam per XIV. regnasset annos, regnat cum Arcadio & Honorio filiis annos III.

* al. exercitu. Si: exitu, retineas, tunc alludis, ni fallor, Arbogastu dolo Valentinianũ necatum. testes plurimi: S. Hieronym. Ep. 3. Necatus est & cadauer exanime suspendio infamatum.

I. *Theodosio III. & Abundantio II.*

II. *Arcadio III. & Honorio II.* Ioannes monachus Anachoreta clarus habetur. Qui ornatus prophetiæ gratia, Theodosio consulente de euentu belli, quod aduersus Eugenium mouebat, victorem futurum prædixit.

III. *Olibrio & Probino III.* Theodosius Eugenium tyrannum vincit & perimit. Augustinus beati Ambrosij discipulus multa facundia doctrinaque excellens, Hippone, regione Africæ, Episcopus ordinatur. Claudianus Poeta insignis habetur. Theodosius Imperator Mediolani moritur. Arcadius XVIII. cum iam regnasset annos XII. regnat cum fratre Honorio annos XIII.

I. *Arcadio IV. & Honorio III.*

II. *Cæsario & Attico.* Concilium Carthaginis cum Hipponensis Concilij statuta firmantur & inseruntur.

III. *Honorio IV. & Eutychiano.* Romanæ Ecclesiæ XXXVII. ordinatur Anastasius. Anno IV. Eugenius occiditur.

IV. *Theodoro V. C.* Cum hoc consulatum inierat Eutropius eunuchus, qui mox & honore defunctus est.

V. *Stilicone & Aureliano.* Gothi Italiam Alarico & Ragadaiso ducibus ingressi.

VI. *Vincentio & * Frauito.* Ioannes Constantinopolitanus & Theophilus Alexandrinus illustres Episcopi habentur. Sed vtrumque obscurauit discordia, quæ eò vsque processit;

* Frauita, Flabito.

sit, vt Ioannes à Theophilo oppressus Pontum in exilio peturgeretur: cùm tamen communionem eius maxima pars Episcoporum, Romani Pontificis exemplum secuta seruauerit.

VII. *Arcadio V. & Honorio V.* Pollentiæ aduersum Gothos vehementer vtriusque partis clade pugnatum est.

VIII. Romanæ Ecclesiæ XXXVIII. ordinatur Episcopus Innocentius annis XIV.

*Theodosio Augusto & * Rumorido.* Carthaginense Concilium habitum de Donatistis.

* leg. Rumorido.

IX. *Honorio VI. & Aristeneto.*

X. *Stilichone iterum & Anthemio.* Rhadagaisus in Tuscia, multis Gothorum millibus cæsis, ducente exercitum Stilichone, superatus & captus est.

XI. *Arcadio VI. & Probo.* VVandali & Alani Gallias traiecto Rheno III. Kalendas Ianuarias ingressi.

XII. *Honorio VII. & Theodosio II.* Constantinus in Britannia tyrannus exoritur, & ad Gallias transit.

XIII. *Basso & Philippo.* Arcadius Imperator Constantinopoli moritur. Honorius XLV. cum Theodosio fratris filio regnauit annis XV.

I. *Honorio IIX. & Theodosio III.* VVandali Hispanias occupauerunt. Attalus Romæ Imperator factus, qui mox priuatus regno, Gothis cæsis.

II. *Varane V. C. Consule.* Roma à Gothis Alarico duce capta: & ob hoc solus fuit Orientalium partium Consul; quod & sequenti anno obseruatum est.

III. *Theo-*

III. *Theodosio IV. Consule.* Constantinus apud Arelatense oppidum victus & captus. Cuius filium Constantinum, in Hispaniis regnare orsum, Gerontius Comes in Maximum quendam tyrãnidem transferens interemerat.

IV. *Honorio IX. & Theodosio V.* Maximo in Hispania regno ablato vita concessa, eò quòd modestia humilitasque hominis, affectati imperii inuidiam non merebatur. Gothi rege * Athaulfo Gallias ingressi. Eodem tempore Heros vir sanctus & beati Martini discipulus cum Arelatensi oppido Episcopus præsideret, à populo eiusdem ciuitatis insons & nulli insimulationi obnoxius pulsus est: inque eius locum Patroclus ordinatur, amicus & familiaris Constantij magistri militum, cuius per ipsum gratia quærebatur, inter Episcopos regionis illius magnarum discordiarum materia fuit.

*al. Thaulpho.

V. *Lucio viro clarissimo Consule.* Huius collega in Consulatu Herodianus fuit: qui nouarũ in Africa rerum reus & honorem & vitam amisit. Burgundiones partem Galliæ propinquam Rheno obtinuerunt. Iouinus & Sebastianus fratres in Galliis regno arrepto perempti sunt. Hac tempestate Pelagius Britto dogma nominis sui contra gratiã Christi, Cælestio & Iuliano adiutoribus erexit, multosque in suum errorem trahit, prædicans vnumquemque ad iustitiam voluntate propria regi, tantumque gratiæ accipere quantum meruerit. quod peccatum ipsum solum læserit. Vnde & volẽtibus possibile sit, vt non etiam posteros eius perstrinxerit. Omnia carere peccato, omnesque Paruulos, tàm insontes nasci, quàm primus homo ante præuaricationem fuit; nec ideo baptizandos, vt peccato exuantur, sed sacramento adoptionis honorentur.

Hic locus ex m. s. fide redditus, sed sine dubio vitiosus. tu restitue ex vulgata edit. Suprà data & ex historia illius anni.

VI. *Constantio V. C. Coss. & Constante.* Attalus Gothorum consilio & præsidio tyrannidem præsumit in Gallias.

VII. He-

VII. *Honorio X. & Theodosio VI.* Attalus à Gothis ad Hispanias migrantibus neglectus & præsidio carens capitur. Ataulfus verò à quodam suorum vulneratus interiit; regnumque eius perempti VVallia, qui idem cupere intelligebatur, inuasit.

IIX. *Theodosio VII. ac Palladio.* Placidiam Theodosij Imperatoris filiam, quam Romæ Gothi ceperant, quamque Ataulfus coniugem habuerat, VVallia pacem Honorij expetens, reddit, eiusque nuptias Constantius promeretur. Romanæ Ecclesiæ XXXIX. Episcopatum suscipit Zosimus annos III. Quo tempore Pelagianis iam à Papa Innocentio prædamnatis Afrorum vigore ac maximè Augustini Episcopi industria resistebatur.

IX. *Honorio XI. & Constantio II.* Honorius Romam triumpho ingreditur, præeunte currum eius Attalo quem *libere viuere iussit exulem. *al. Lyparæ.

X *Honorio XII. & Theodosio VIII.* Hoc tempore Constantius seruus Christi ex vicario Romæ habitans & pro gratia Dei deuotissimè Pelagianis resistens, factione eorundem multa pertulit, quæ illum sanctis Confessoribus sociauerũt. Concilio apud Carthaginem habito amplius......... Episcoporum ad Papam Zosimum Synodi decreta perlata sunt. Quibus probatis per totum mundum Hæresis Pelagiana damnata est. Valentinianus Constantij & Placidiæ filius nascitur quinto Nonas Iulias. Carthaginis Concilium contra Pelagianos.

XI. **Monaxio & Plinta.* Romanæ Ecclesiæ XL. Episcopatum suscipit Bonifacius annis IV. Constantius pacem firmat cum VVallia, data eidem ad inhabitandum secunda Aquitania, & quibusdam ciuitatibus confinium prouinciarum. *Maximo.

XII. *Theodosio IX. & Constantio III.* Constantius ab Ho-

 norio

norio in consortium regni assumitur. Hieronymus Presbyter moritur anno ætatis suæ XCI. II. Kalend. Octobris.

* Eustachio. Eustathio.

XIII *Agricola, & * Eustasio.* Constantius Imperator moritur.

XIV. *Honorio XIII. & Theodosio X.* Hoc tempore exercitus ad Hispanias contra VVandalos missus est, cui Castinus dux fuit; qui Bonifacium virum bellicis artibus præclarum, inepto & iniurioso imperio ab expeditionis suæ societate auertit. Nam ille periculosum sibi atque indignum ratus eum sequi, quem discordem superbientemq; expertus esset, celeriter se ad portum vrbis, atque inde ad Africam proripuit: idque Reip. multorum laborum initium fuit.

* Asclepiodoro. Asclepiodoto.

XV. *Mariniano & * Asclepio.* Placidia Augusta à fratre Honorio pulsa ad Orientem cum Honorio & Valentiniano filiis proficiscitur. Romanæ Ecclesiæ XLI. Episcopatum suscipit Cælestinus annis IX. Honorius moritur & regnum eius Ioannes occupat. Theodosius XLVI. Romanum Imperium tenet annis XXVIII.

I. *Castino & Victorino.* Theodosius Valentinianum amitæ suæ filium Cæsarem facit, & cum Augusta matre ad recipiendum Occidentale mittit imperium. Quo tempore Ioannes, dum Africam, quam Bonifacius obtinebat, bello reposcit, ad defensionem sui infirmior factus est.

II. *Theodosio XI. & Valentiniano Consule.* Placidia Augusta & Valentinianus Cæsar mira velocitate Ioannem tyrannum opprimunt, & regnum victores recipiunt, data venia Aëtio, eò quòd Hunni, quos per ipsum Ioannes acciue-

ciuerat, eiusdem studio ad propria reuersi sunt. Castinus autem in exilium actus est; quia videbatur quòd Ioannes sine conniuentia ipsius regnum non potuisset præsumere. Valentinianus decreto Theodosij Augustus appellatur. Archilas nobile oppidum Galliarum à Gothis multa vi oppugnatum, donec imminente Aëtio non impuniti accederent. *leg. Arelan*

III. *Theodosio XII. & Valentiniano II.* Patroclus Arelatensis Episcopus à tribuno quodam barbaro multis vulneribus laniatus occiditur. Quod facinus ad occultam iussionem Felicis magistri militum referebatur, cuius impulsu creditus etiam Titus diaconus, vir sanctus, Romæ pecunias pauperibus distribuens interemptus.]

IV. *Hiero & Ararbudaburε.* Bonifacio, cuius intra Africam potentia gloriaque augebatur, bellum ad arbitrium Felicis, qui ad Italiam venire abnuebat, publico nomine illatum, ducibus Mauortio & Galbione & Saonece, cuius proditione Mauortius & Galbio, dum Bonifacium obsident, interempti sunt. Moxque ipse à Bonifacio dolo detentus est, atque occisus. Exinde gentibus, quæ vti nauibus nesciebant, dum à concertantibus in auxilium vocantur, mare peruium factum est: bellique contra Bonifacium cœpti in Sigisuultum cura translata est. Gens VVandalorum ab Hispania ad Africam transit.

V. *Felice & Tauro.* Nestorius, qui Constantinopolitanus Episcopus, nouum molitur Ecclesiis errorem; prædicans, Christum ex Maria hominem tantùm, non etiam Deum natum; eique diuinitatem collatam esse pro merito. Cui impietati præcipua Cyrilli Alexandrini Episcopi industria & Papæ Cælestini repugnauit auctoritas.

Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci possidendam occupauerunt, ab Aëtio Comite recepta.

VI. *Florentio & Dionysio.* Felice ad Patritiam dignitatem prouecto, Aëtius magister militum factus est. Agricola Pelagianus Seueriani Episcopi Pelagiani filius Ecclesias Britanniæ dogmatis sui insinuatione corrupit. Sed ad actionem Palladij diaconi Papa Cælestinus Germanum Antisiodorensem Episcopum vice sua mittit, & disturbatis hæreticis Britannos ad Catholicam fidem redegit.

Corrig. Theod. XIII. & Valent. III.

* *Theodosio XIIII. & Valentiniano IIII.* Aëtius cùm Felicem cum vxore Padusia & Grunnitum diaconum ....

Ex vulg. explend. Egrumitium diaconũ insidiari præsensisset, interemit. Augustinum Ep. &c.

.... Episcopus per omnia excellentissimus moritur v. Kalendas Septembris, libris Iuliani inter impetum obsidentium VVandalorum, in ipso dierum suorum fine respondens, & gloriosè in defensione Christianæ gratiæ perseuerans.

VIII. *Basso & Antiocho.* Congregata apud Ephesum plus ducentorum Synodo sacerdotum. Nestorius cum hæresi nominis sui & cum multis Pelagianis, qui cognatum erroris noui iuuabant dogma, damnatur. Ad Scotos in Christum credentes ordinatus à Papa Cælestino Palladius primus Episcopus missus est.

IX. *Aëtio & Valerio.* Romanæ Ecclesiæ XLII. ordinatus..... Episcopus Sixtus ann. IIX. Bonifacius ab Africa Italiam per Vrbem venit, accepta magistri militum dignitate: qui cùm resistentem sibi Aëtium in prælio superasset, paucos post dies morbo extinctus est. Aëtius verò cùm deposita potestate in agro suo degeret, ibique eum quidam inimicus repentino incursu opprimere tentasset, profugus ad Vrbem; atque illinc ad Dalmatias; deinde

per

per Pannonias ad Hunnos peruenit. Quorum amicitia auxilioq; vsus pacem Principum Aëtius interpolatæ potestatis obtinuit.

X. *Theodosio XIV. & Maximo.*

XI. *Aspare & Ariobinda.*

XII. *Theodosio XV. Valentiniano IV.* Pax facta cum VVandalis: data eis ad habitandum Africæ portio. Eodem tempore Gundicarium Burgundionum regem intra Gallias habitantem Aëtius bello obtinuit, pacemq; ei supplicanti dedit; qua non diu potitus est: siquidem illum Hunni cum populo suo absq; stirpe deleuerunt.

XIII. *Isidoro & Senatore.* Gothi pacis placita perturbant, & plura municipia vicina sedibus suis occupant Narbonensi oppido maximè infesti: quod cum diu obsidione & fame laboraret per Latorium Comitem ab vtroq; periculo liberatum est. Siquidem per singulos equites binis tritici modijs aduectis strenuissimè hostes in fugam vertit, & ciuitatem annona adiuuit.

XIV. *Aëtio II. & Sigisuulto.* Bellum aduersus Gothos Hunnis auxiliantibus geritur. In Africa Gisiricus Rex VVandalorum inter habitationis suæ limites volens Catholicam fidem in Arrianam impietatem subuertere, quosdam nostrorum Episcoporum eo tenus persecutus est, vt eos priuatos iure Basilicarum suarum etiam ciuitatibus pelleret, cùm ipsorum constantia nullis superbissimi regis terroribus cederet. Valentinianus Augustus ad Theodosium Principem Constantinopolim proficiscitur, filiamqúe eius in matrimonium accipit. Eodem anno piraticam Barbari exercuerunt. Per idem tempus quatuor Hispani viri, Arcadius, Probus, Paschasius, & Eutychius dudum apud Gaisericum merito sapientiæ & fidelis obsequij

 clari

clari habebantur: quos rex vt copulatiores sibi faceret, in Arianam sectam transire præcepit. At illi facinus constantissimè respuentes, excitato in rapidissimam iram Barbaro, primùm proscripti, deinde exilio acti, ac postremum diuersis mortibus interempti illustri Martyrio mirabiliter occubuerunt. Puer autem Paulillus nomine, frater Paschasij & Eutychij præ elegantia formæ atque ingenij admodum regi acceptus cùm à professione atque amore Catholicæ fidei nullis minis perturbari posset, diu fustibus cæsus, & ad infimam seruitutem damnatus est. Ideo, vt apparet, non interfectus ne de superata ferocia impij etiam illa ętas gloriaretur.

XV. *Theodosio XVI. & Fausto.*

XVI. *Theodosio XVII. & Festo.* Hac tempestate Iulianus Atelenensis iactantissimus Pelagiani erroris assertor, quem dudum amissi Episcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis speciem præferens, molitus est in communionem Ecclesiæ irrepere His insidijs, Sixtus Papa diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit. Et ita omnes Catholicos de retectione fallacis bestiæ gaudere fecit; quasi tunc primùm superbissimam hæresim Apostolicus gladius detruncauisset. Pax cum Gothis facta, cùm eam post ancipitis pugnæ lachrimabile experimentum, humilius quàm vnquam antea poposcissent. Aëtio rebus, quæ in Gallia componebantur, intento, Geisericus, de cuius amicitia nihil metuebatur, Carthaginem dolo, tempore pacis inuadit; omnesque opes eius, excruciatis diuerso tormentorum genere ciuibus, in ius suum vertit. Nec ab Ecclesiarum despoliatione abstinens, quas & sacris vasis exinanitas, & sacerdotum administratione

priuatas,

priuatas, non iam diuini cultus loca, sed suorum iussit esse habitacula; in vniuersum captiui populi ordinem sæuus; sed præcipuè nobilitati & religioni infensus: vt non discerneretur hominibus magis, an DEO bellum intulisset.

XVII. *Valentiniano V. & Anatholio.* Defuncto Sixto Episcopo, XL. amplius diebus Romana Ecclesia sine Antistite fuit, mirabili pace atque patientia præsentiam Diaconi Leonis expectans, qui tunc inter Aëtium atque Albinum amicitiæ integrandæ in Gallia detinebatur. Igitur Leo legatione publica accitus, & gaudenti patriæ præsentatus XLIII. Romanæ Ecclesiæ Episcopus ordinatur. Geisericus Siciliam grauiter affligens, accepto nuncio de Sebastiani ab Hispania ad Africam transitu, celeriter Carthaginem redit; ratus periculosum sibi ac suis fore, si vir bellandi peritus recipiendæ Carthagini incubuisset.

XIIX. *Cyro V. C. Consule.* Theodosius bellum contra VVandalos mouet. Ariobinde & Ausila atque Germano ducibus cum magna classe directis, qui longis cunctationibus negotium differentes, Siciliæ magis oneri, quàm Africæ præsidio fuerunt.

XIX. *Dioscoro V. C. Coss. & Eudoxio.* Hunnis Thracias & Illyricum sæua depopulatione vastantibus, exercitus qui in Sicilia morabatur, ad defensionem Orientalium prouinciarum, reuertitur. Cum Geiserico autem & Valentiniano Augusto pax confirmata, & certis spatijs Africa inter vtrumque diuisa est.

XX *Maximo II. & Paterio.* Hoc tempore plurimos Manichæos intra vrbem latere, diligentia Papæ Leonis innotuit, qui eos de secretis suis erutos, & oculis totius Ecclesiæ publicatos, omnes dogmatis sui turpitudines & damnare fecit & prodere, incensis eorum codicibus.

XXI. *Theodosio XVIII. & Albino.* IX. Kalendas Maias Pascha celebratum est.

XXII. *Valentiniano VI. & Nomo.*

XXIII. *Aetio III. & Symmacho.*

XXIV. *Alipio & Ardabure.* Eutyches Hæresiarches Constantinopolites Episcopi Presbyter fretus Theodosij Augusti amicitia, conatus est, non perfectum hominem in Christo asserere; contra quem Flauianus eiusdem vrbis Episcopus suscipiens..... cum sacerdotib. suis damnatus est, auctore Dioscoro Alexandrinæ vrbis Episcopo. Contra quem Papa Vrbis Leo misit Episcopum, Presbyterum, & Diaconum. Qui iniuriam passi, Flauianum nunciant in defensione Catholica per iniurias grauissimas defecisse.

XXV. *Posthumiano & Zenone.* Theodosius Imperator pro defensione Eutychetis Leonem Papam Vrbis ad se vocat: qui dum ire vellet, à populo prohibitus, Presbyteros & Diacones direxit.

al. *Asterio.* *Asturio & Protogene.* Iterum vocati Catholici audiendi.

XXVI. *Valentiniano VII. & Auieno.* Præualente iterum Papa Leone diriguntur ad Orientem Presbyteri & Diacones ad Hæresin confutandam. Et eodem anno defecit Theodosius Augustus.

XXVII. *Adelphio V. C. Cons.* Theodosius cum magna pompa à Placidia & Leone & omni Senatu deductus & in mausoleo ad Apostolum Petrum depositus est.

XXVIII. Nunciatur defuncto Theodosio regnare Marcianum, & Pulcheriam eiusdem coniugem, Augustam factam. A quo damnatur Eutyches, & omnes eius fautores. Et leuatus est Imperator Marcianus XLVII. Placidia defuncta est. V. Kalendas Decembris ordinatur Imperator ann. VIII.

Marciano

Marciano & Adelphio. Pugna facta in Gallijs inter Aëtium & Attilam regem Huñorum, cum vtriusque populi cæde. Attila fugatur in Gallias superiores.

* *Honorio & Aspere.* Iconica Marciani Imperatoris Romam ingressa III. Kalendas Aprilis.

II. *Opilione & * Vincemalo.*

III. *Aëtio & Studio.* Eo anno occisi sunt Aëtius & Boëtius Patricij. Carthagine ordinatur Episcopus Deogratias in Basilica Fausti, die Dominico VIII. Kalendas Nouembris.

IV. V. *Valentiniano VIII. & Anthemio.* Valentinianus ipse occisus ad duas Lauros XVII. Kalendas Aprilis. Et leuatus Petronius Maximus, Imperator: qui LXXII. die occisus, per vrbem tractus. Geisericus Romam ingressus prædâ factâ Carthaginem reuertitur. Et post aliquot dies leuatur in Imperium Auitus.

VI. *Varane & Ioanne.*

VII. *Constantino & Rufo.*

Ardabure & Maximiano.

Post Consulatum Theodosij XVII. & Festi, Geisericus VVandalorum Rex Carthaginem ingressus est die XIV. Kalendarum Nouembrium. Qui regnauit eandem Africam ciuitatē annis XXXVII. mensibus III. diebus VI. Post hunc regnauit Hunerix, filius eius annis VII. mensibus X. diebus XIIX. Qui in fine anni VII. regni sui Catholicæ Ecclesiæ persecutionem fecit; omnesq; Ecclesias clausit, & cunctos Domini Catholicos sacerdotes cum Eugenio Carthaginensi Episcopo exilio relegauit. Qui Dei iudicio scatens vermibus vitam finiuit. Post eum regnauit *Guntamundus * Gentunis eiusdem Hunerici regis fratris filius annos XI. menses IX. dies XI. Qui tertio anno regni sui Cœmeterium Sancti Martyris Agilei apud Carthaginem Catholicis dare præcipit, Eugenio Carthaginensi Episcopo,

* *alij legunt: Herculano & Asperatio seu Sporatio.*
* *Vincomalo.*

* *al. Gundabūdus.*
* *al. Gentonis seu Genzonis.*

piſcopo,ab eodem iam de exilio reuocato. Decimo autem anno regni ſui Eccleſias Catholicorum aperuit, & omnes Dei Sacerdotes petente Eugenio Carthaginenſi Epiſcopo de exilio reuocauit. Quæ Eccleſiæ fuerunt clauſæ annos XI. menſes VI. dies V. hoc eſt, ab octauo anno Hunerici, id eſt, ex die VII. Idus Februarij vſque in decimum annum Regis Guntamundi in diem IV. Idus Auguſti. In quo completi ſunt ſupradicti* anni X. menſes VI. dies V. Qui memoratus Guntamundus Rex poſtmodùm vixit annos II. menſem I. Poſt quem regnauit Traſamundus Gentunis filius annos XXVI. menſes VIII. dies IV.

* fert. anni XI.

Ab exordio ergo Imperij Auiti vſque ad annum XXVII. Traſamundi... XVIII. A XIV. autem anno Imperij & morte Valentis vſq; in annum XXVII. Traſamundi anni ſunt CXVIII. Poſt quem regnauit Hildrix filius Hunerici annos VIII. dies VIII. Qui in exordio regni ſui Bonifacium Epiſcopum apud Carthaginem in Eccleſia Sancti Agilei ordinari præcepit; & omnibus Catholicis libertatem reſtituit. Quo regnante aſſumpta tyrannide Geilamer regnum eius inuadit, in quo ſedit annos III. menſes. III. Qui tanta homicidia ſceleſtus commiſit, vt nec ſuis parentibus parceret. Fiunt ergo ab exordio Regis Geiſerici vſque ad exitum VVandalorum anni XCIII. menſes X. dies XI. Ab interitu ergo Valentis in XIV. anno regni eius vſque ad ſupradictum tempus anni CLIV. Collecta ergo omnis ſumma annorum ab Adam vſque ad VVandalorum perditionem fiunt anni IↃↃ. DCC. XXXIII.

F I N I S.

CHRO-

CHRONICON

PROSPERI TIRONIS AQVITANI,

A MORTE VALENTIS IMP. AD CAPTAM A GENSERICO VRBEM,

longè aliud ab eo, quod hactenus B. Hieronymi Chronico subiunctum est. Ex edit. Pithœi.

Pe. Pithœus Lectori S.

HOC Chronicon Prospero non antiquorum modò exemplarium fides, sed & Sigeberti Marianiq; testimonia adserunt. Et verò quamuis in annorum notatione valde confusum perturbatumq; sit, Prosperi tamen ingenium sic refert, vt non immeritò videatur membrum esse amplioris eius, quod ipsius nomine ab orbe condito ad captam à Vandalis Romam Gennadius Massiliensis presbyter se legisse testatur: ac miremur vnde factum sit, vt aliud per Coss. digestum hactenus in omnibus Hieronymiani Chronici editionibus Prosperi titulo subiungeretur. quod etsi cum isto non pauca habet communia, vtpote ad eiusdem ætatis historiam pertinentia, alterius tamen genij esse facilè intelliget, qui vtrunq; attentius legerit. Id vt iam possis Lector & hoc beneficio nostro habe ac fruere.

PROSPERI CHRONICON.

* * *

GRATIANVS. I. IGITVR Valente à Gothis in Thracia concremato, Gratianus cum fratre Valentiniano regnat annos sex. Hic paruulum fratrem habens regni consortem, probatæ ætatis virum Theodosium in societatem regni ascifcit. Hic Gratianus valde religioni fauens & Ecclesiis per omnia promptus fuit. Martinus Turonensium Episcopus Apostolicis virtutibus insignis habetur.

THEODOSIVS. II. Theodosius in Orientis partibus lassam Rempublicam reparauit.

III. Maximus Tyrannus in Britannia à militibus Imperator constituitur.

IV. Incursantes Pictos & Scotos Maximus strenuè superauit.

Priamus quidam regnat in Francia, quantum altius colligere potuimus.

V. Ambrosius libros contra Arrianorum perfidiam luculentissimos ad Gratianum Augustum scribit.

VI. Maximus in Gallias transfretauit & conflictu contra Gratianum habito eundem fugitantem Lugduni interfecit.

THEODOSIVS. Theodosius annis XI.

I. Maximus timens Orientalis imperij principem Theodosium cum Valentiniano fœdus inijt.

Apud

Apud Treueros Manichæi deprehensi summo Maximi studio exterminati.

II. Iustina mater Valentiniani Arrianis fauens, in Ambrosium & omnem Mediolanensem Ecclesiam diuersa iniuriarum genera congerit.

Reliquiæ Geruasij & Prothasij ab Ambrosio primùm Mediolani repertæ.

Hymni Ambrosij compositi, qui nunquam ante in Ecclesiis Latinis modulis canebantur.

III. Maximus indignum ducens contra Ecclesiæ statum agi, locum irrumpendi, quod cum Valentiniano iunxerat fœdus, inuenit. Valentinianus veritus imminentem iam ceruicibus suis Tyrannum, ad Theodosium confugit.

Honorius & Arcadius XXXII. CCCC.

Theodosius & Ioannes XXV. & XXIII.

Valentinianus & Martianus III. CCCC. XXV.

Augustinus Mediolani Rhetoricam adprimè docens omissis scholis ad fidem rectam conuertitur, cùm ante Manichæus fuisset.

IV. Theodosius cum exercitu ad Italiam transgrediens Maximum interfecit, & Valentinianum proprio regno reddidit.

Iustina, quæ Ecclesias vexauerat, ne regnum cum filio reciperet, morte præuenta est.

Immane Thessalonicæ gestum facinus extincti populi egregio pœnitentiæ exemplo Imperator religiosus eluit.

V. Hæresis Apollinaristarum ab Appollinare cœpta.

Arriani, qui totum pene Orientem atque Occidentem commaculauerant, edicto gloriosi Principis Ecclesiis spoliantur, quæ Catholicis deputatæ sunt.

VI. Ioannes Ægyptius monachus, qui ob vitæ puritatẽ prophetiæ gratiam à Domino meruit, insignis habetur.

Post Damasum Romanæ Ecclesiæ regimen XXXVI. Syricius suscepit.

Apud Alexandriam defuncto Petro Timotheus & post hunc Theophilus Episcopi constituuntur.

Ierosolymis post Cyrillum Ioannes Ecclesiam recipit.

Apud Antiochiã defuncto Miletio substituitur Flauianus. Ingens inter nostros contentio oborta, quòd scilicet Episcopi, qui ab hæreticis depulsi fuerant, nollent his ab Imperatore deiectis alios, quàm se, substitui sacerdotes.

Terribile in cœlo signum, columnæ per omnia simile apparuit.

VIII. Apud Alexandriam templa destructa, in quibus Serapis antiquissimum & notissimum templum, quod quasi quædam columna ruentem sustinebat idololatriam.

IX. X. Valentinianus Viennæ ab Arbogaste Comite suo extinguitur, in cuius locum Tyrannidem Eugenius inuadit.

Ad vindicandum Valentiniani interitum & opprimendam Eugenij tyrannidem Theodosius in Italiã transgreditur, aperto DEI fauore conspirantibus in idipsum elementis.

Eugenio superato Theodosius XI. regni sui anno diẽ obit.

ARCADIVS & HONORIVS. Arcadius & Honorius XXXII. annis.

I. Constantinopolis eminentem iram Dei, igne super nubẽ terribiliter fulgente formidans, toto ad pœnitentiam animo conuersa subterfugit.

Rufinus Bosphoritanus cum ad summam militiæ peruenisset, præferri sibi Stiliconem non ferens ab eodem interficitur, Hunnorum, quo fulciebatur, præsidio superato.

II. Clau-

II. Claudianus poëta admiratione dignus habetur.

Gildo Africanus in rebellione commota, consueta Romanis stipendia subtraxit.

Prudentius Lyricus poëta noster Hispanus genere illustri ingenij sui robur exercet.

III. Stilico magister militiæ Gildonem Mauritaniæ interfecit, Africa ad pristinum ius redacta.

Romanæ Ecclesiæ cathedram XXXVII. Innocentius tenet.

IV. Toto orbe Romano antiquæ superstitionis templa destructa.

Paulinus, Nolanus postmodùm Episcopus, admirabili exemplo venditis omnibus cùm esset dominus innumerabilium prædiorum, religionem expeditus elegit.

V. Ioannes Constantinopolites Episcopus dictis factisque clarescit.

Martinus post egregiè actam vitam corpore exuitur.

VI. Pelagius vesanus doctrina execrabili Ecclesias commaculare conatur.

VII. Contentio ex doctrina Origenis synodum apud Alexandriam mouit, cuius extitit sententia, vt extra Ecclesiam fieret, quicunque supradicti viri opera probauisset.

IIX. Solis facta defectio.

Augustinus plurima libris innumerabilibus disserit.

IX. Seuerus ex disciplina sancti Martini eius vitam tribus explicat libris.

X. Sæua Italiæ barbarici motus tempestas incubuit. Siquidem Radagaius Rex Gothorũ Italiæ limitem vastaturus transgreditur. Ex hoc Arriani, qui Romano procul orbe fugati, barbararum nationũ, ad quas se contulêre, præsidio erigi cœpere.

XI. Multis ante vastatis vrbibus Radagaius occubuit: cuius in tres partes per diuersos principes diuisus exercitus, aliquam repugnandi Romanis aperuit facultatem. Insigni triumpho exercitum tertiæ partis hostium, circumactis Hunnorum auxiliaribus, Stilico vsque ad internecionem deleuit.

XII. Archadius Orientis imperium gubernans vitam explet, paruum admodũ Theodosium filium Imperij successorem relinquens. Cælestinus XXXVIII. Romanam Ecclesiam gubernauit.

XIII. Diuersarum gentium rabies Gallias dilacerare exorsa, immissu quàm maximè Stiliconis indignè ferentis filio suo regnum negatum.

XIV. Vticæ in foro Traiani terra diebus septem mugitum dedit. Inter alia multum Reipublicæ Stiliconis morte consultum est, qui saluti Imperatoris tendebat insidias.

Nestorius Constantinopolites Episcopus ad hæresim, quæ in Christo Deum ab homine separat, vertitur.

Ioannes Comes Africæ occisus est à populo.

XV. Proculus Massiliensis Episcopus clarus habetur: quo annuente magna de suspecto adulterio Remedij Episcopi quæstio agitatur.

m. s. viribus. Hac tempestate * præ valitudine Romanorum vires funditùs attenuatæ Britanniæ.

XVI. Saxonum incursione deuastatam Galliarum partem VVandali atque Alani vastauêre: quod reliquum fuerat Constantinus tyrannus obsidebat.

Hispaniarum partem maximam Sueui occupauêre. Ipsa denique orbis caput Roma deprædationi Gothorum fœdissimè patuit.

XVII. Constantinus Tyrannus occiditur.

XIIX.

XIIX. Rursum alia prædatio Galliarum, Gothis, qui Alarico duce Romam ceperant, Alpes transgredientibus.

XIX. Iouinus tyrannidem post Constantinum inuadit, industria viri strenui, qui solus tyranno non cessit, Dardani.

Atauulfus, qui post Alaricum Gothis imperitabat, à societate Iouini auertitur. Salustius quoq; & Sebastianus occisi.

Valentia nobilissima Galliarum ciuitas à Gothis effringitur, ad quam se fugiens Iouinus contulerat.

XX. Ingens in Gallijs fames.

Aquitania Gothis tradita.

Patroclus Arelatensis Episcopus infami mercatu sacerdotia venditare ausus. Heraclianus Comes Africę, qui in Romanę Vrbis reparationem strenuum exhibuerat ministerium, noua quædam molitus interimitur.

XXI. Placidia soror Imperatoris diu captiua, postea etiam Regis vxor, Rege fraude sublato, Constantis connubio copulatur.

XXII. Gothi cùm se iterum, Atauulfo perempto, mouissent, Constantis repelluntur occursu.

XXIII. Prædestinatorum hæresis, quæ ab Augustini libris male intellectis accepisse dicitur initium, his temporibus serpere exorsa.

XXIV. XXV. XXVI. Tricesimus nonus Xistus Romanam Ecclesiam regit.

Solis hoc anno facta defectio.

Faramundus regnat in Francia.

XXVII. Signum in cœlo mirabile apparuit.

Maximus Tyrannus Hispaniarum dominatum vi obtinet.

XXIIX. Honoratus, Mineruius, Castor Iouianus singulorum monasteriorum Patres in Gallijs florent.

XXIX. Constantio dignitas Imperij ab Honorio sponte delata, qua vix octo mensibus vsus interijt, Valentiniano octo annorum filio derelicto.

XXX. Maximus Tyrannus de regno deijcitur, ac Rauennam perductus sublimem spectaculorum pompam tricennalibus Honorij præbuit.

XXXI. Placidia, cùm insidias fratri tenderet, deprehensa est, & Romam exilio relegata.

XXXII. Honorius Rauennæ defunctus.

Nullo iure debitum Ioannes ex Primicerio Notariorum regnum sumit, qui vulneratum multis cladibus reliquit imperium.

THEODOSIUS. Theodosius annos XXVII.

I. Placidia ad Theodosium auxilium precatum mittit. Sigisuuldus ad Africam contra Bonifacium properauit.

II. In Gallijs Exuperãtius præfectus à militibus interficitur. Muro Carthago circumdata, quæ ex tempore, quo vetus illa destructa est, sanctione Romanorum, ne rebellioni esset, munimento murorum non est permissa vallari.

Ioanne ab exercitu Orientis victo & perempto Rauenna deprædatione vastata est.

Aëtius, Gaudentij Comitis à militibus in Gallijs occisi filius, cum Chunnis Ioanni opem laturus Italiam ingreditur.

III. Valentinianus Romæ Imperator factus.

IV. Arelas à Gothis per Aëtium liberatur.

V. Placidia tandem illata optato regno.
Clodius regnat in Francia.

VI. Cassianus compertas in Ægypto vitas patrum doctrinasq; & regulas, libris ad plurimos datis, exponit.

VII. Aëtius Ihutungorum gentem delere intendit.

IIX. Viginti fermè milia militum in Hispanijs contra VVandalos pugnantium cæsa. VVandali in Africam transfretantes ingẽtem, lacerata omni prouincia, Romanis cladem dedere.

IX. Consulatu Aëtius edito Bonifacium, qui ab Regina accitus ex Africa fuerat, declinans, ad munitiora conscendit.

Asperitas nimij frigoris etiam saluti plurimorum pernicies extitit. Bonifacius contra Aëtium certamine habito percussus, victor quidem, sed moriturus abscedit.

X. Cum ad Chunnorum gentem, cui tunc Rugila præerat, post prælium, se Aëtius contulisset, impetrato auxilio ad Romanum solum regreditur. Gothi ad ferendum auxilium à Romanis acciti.

Germanus Episcopus Antisiodori virtutibus & vitæ districtione clarescit.

XI. Aëtius in gratiam receptus.

Rugila Rex Chunnorum, cum quo pax firmata, moritur, cui Bleda succedit.

XII. Gallia vlterior Tibatonem principem rebellionis secuta à Romana societate discessit, à quo tracto initio, omnia pænè Galliarum seruitia in Bagaudam conspirauêre.

XIII. Bellum contra Burgundionum gentem memorabile exarsit, quo vniuersa pænè gens cum Rege * Peretio deleta. *f. per Aëtium.*

XIV. Capto Tibatone & cæteris seditionis partim principibus vinctis partim necatis, Bagaudarum commotio conquiescit.

XV. Theodosianus liber omnium legum legitimorum Principum in vnum collatarum hoc primùm anno editus.

Siluius turbatæ admodùm mentis, post militiæ in Palatio exacta munera, aliqua de religione conscribit.

XVI. Ecclesiæ Romanæ XL. Leo suscepit principatum.

XVII. Pacatis motibus Galliarum Aëtius ad Italiam regreditur. Deserta Valentinæ vrbis rura Alanis, quib. Sambida præerat partienda traduntur.

XVIII. Britanniæ vsque ad hoc tempus variis cladibus, euentibusque laceratæ in ditionem Saxonum rediguntur.

XIX. Alani, quibus terræ Galliæ vlterioris cum incolis diuidendæ à Patritio Aëtio traditæ fuerant, resistentes armis subigunt, & expulsis Dominis terræ, possessionem vi adipiscuntur.

XX. Sapaudia Burgundionum reliquiis datur cum indigenis diuidenda.

XXI. Carthago à VVandalis capta cum omni simul Africa lacrimabili clade & damno Imperij Romani potentiā deiecit. Ex hoc quippe à VVandalis possidetur.

XXII. Thracia Hunnorum incursione concutitur.

XXIII. Bleda Chunnorum Rex Attilæ fratris fraude percutitur, cui ipse succedit.

XXIV. Noua iterum Orienti consurgit ruina, qua septuaginta non minus ciuitates Chunnorum deprædatione vastatæ, cùm nulla ab occidentalibus ferrentur auxilia.

XXV. Meroueus regnat in Francia.

Eudoxius arte medicus, praui sed exercitati ingenij, in Bagauda id temporis mota delatus, ad Chunnos confugit.

XXVI. Eucherius Lugdunensis Episcopus & Arelatensis egregiam vitam morte consummant.

XXVII. Hæresis nefaria à quodam archimandrita cōmota, cui fauorem præbens Theodosius obiit, septem super viginti annis in imperio exactis. Cui Martianus substituitur.

Placidia quoque post irreprehensibilem conuersatio-

nem

nem hoc anno vitam expleuit, filio vicesimum quintum annum in ipso consummante.

Valentinianus & Martianus.

VALENTINIANVS & MARTIANVS.

I. Hac tempestate valde miserabilis Reipublicæ status apparuit, cùm ne vna quidem sit absque barbaro cultore prouincia: & infanda Arrianorum Hæresis, quæ se nationibus barbaris miscuit, Catholicæ nomen fidei toto orbe diffusa præsumat.

Attila Gallias ingressus quasi iure debitam poscit vxorem: vbi graui clade inflicta & accepta ad propria recedit.

II. Plurima hoc anno signa apparuerunt.

Insperata Galliis clade accepta furiatus Attila Italiam petit, quam incolæ metu solo territi præsidio nudauere.

III. Synodus Chalcedonensis, vbi Eutiche Dioscoroq; damnatis, omnes, qui se ab eis retraxerunt, in communionẽ recepti, confirmata vniuersaliter fide, quæ de Incarnatione Verbi secundum Euangelicam & Apostolicam doctrinam per sanctum Papam Leonem prædicabatur.

Attila in sedibus suis mortuo, magna primùm inter filios ipsius certamina de obtinendo regno exorta, deinde aliquot gentium, quæ Hunnis parebant, defectus sequuti, causas & occasiones bellis dederunt, quibus ferocissimi populi mutuis incursibus contererentur.

IV. Inter Valentinianum Augustum & Aëtium Patricium post promissæ inuicem fidei Sacramenta, post pactum de coniunctione filiorum, diræ inimicitiæ conualuerunt; & vnde fuit gratia charitatis augenda, inde exarsit fomes odiorum, incentore, vt creditum est, Heraclio spadone, qui ita sibi Imperatoris animum in sincero famulatu astrin-

xerat, vt eum facile, in quæ vellet, impelleret. Cum ergo Aëtius placita instantiùs repetit, & causam filij communis agit, Imperatoris manu & circumstantium gladijs crudeliter confectus est, Boëtio præfecto Prætorij simul perempto, qui ei multa amicitia copulatus erat.

V. Mortem Aëtij mors Valentiniani non longo pòst tẽpore consecuta est, tàm imprudenter non declinata, vt interfecti Aëtij amicos armigerosque eius sibimet sociaret: Qui concepti facinoris oportunitatem dissimulanter aucupantes, egressum extra vrbem Principem, & ludo gestationis intentum inopinatis ictibus confoderunt, Heraclio simul, vt erat proximus, interempto, & nullo ex multitudine regia ad vltionem tanti sceleris accenso. Vt autem hoc parricidium perpetratum est, Maximus vir gemini consulatus & Patriciæ dignitatis sumpsit Imperium. Qui cùm periclitanti Reipublicæ profuturus per omnia crederetur, nõ sero documento quid animi haberet, probauit, sic quidem, vt interfectores Valentiniani non solùm non plecteret, sed etiam in amicitiam reciperet, vxoremq; eius Augusti amissionem viri lugere prohibitam, intra paucissimos dies in cõiugium suum transire cogeret. Sed hac incontinentia non diu potitus est. Nam post alterum mensem, nunciato ex Africa Genserici Regis aduentu, multisq; nobilibus ac popularibus ex vrbe fugientibus, cùm ipse quoque, data cunctis abeundi licentia, trepidè vellet abscedere, à famulis Reginę dilaniatus & membratim deiectus in Tyberim sepultura quoque caruit.

Post hunc Maximi exitum confestim secuta est multis digna lacrimis Romana captiuitas, & Vrbem omni præsidio vacuam Gensericus obtinuit, occurrente sibi extra

portas

portas sancto Leone Episcopo: cuius supplicatio ita eum, Deo agente, leniuit, vt cùm omnia in potestate ipsius essent, tradita sibi ciuitate, ab igne tamen & cæde, atque suppliciis abstineret. Per quatuordecim igitur dies secura & libera scrutatione omnibus opibus suis Roma vacuata est: multaq; milia captiuorum, prout quiq; aut ætate, aut arte placuerunt, cum Regina & filiabus eius Carthaginem abducti sunt.

FINIS.

HISTORIA
DE
GVVELFFIS PRINCIPIBVS.

Auctore

ALTORFENSI SIVE VVEINGARTENSI MONACHO.

EX CODICE M. S. AVGVSTANO, Monasterij SS. Afræ & Vdalrici nunc primùm edita.

AD LECTOREM.

IN m. s. Augustano, quem beneficio Nobilissimi & Amplissimi M. Velseri habuimus, digna scitu est historia de Gvvelfis; vbi sub finem colliguntur, breuis chronici more, anni, & quæ per illos à Guuelfis gesta sunt. Hanc historiam excipit chronicon à Christo nato vsq. ad annum 1197. Quis vtriusq. sit auctor, nec verbulo quidem in m. s. codice expressum est. Curiosè tamen legenti caput 1. 3. 6. 7 & 8. manifestè patet, auctorem fuisse monachum cœnobij Altorfensis siue VVeingartensis ad S. Martinum. Imò in Chronico ait: Nostrum Monasterium; *& VVeingartense intelligit. Talia sanè sunt, ex quibus historia illius temporis lux accedat: qua tu te mecum oblecta, dum fortè aliunde nomen huius auctoris, ex adyto alicuius bibliothecæ prodeat.*

CHRO-

Chronicon

VVEINGARTENSIS MONACHI

de

GVVELFIS PRINCIPIBVS

ex codice m. ſ. Auguſtano.

VVELFI PRINCIPES DE ALtorff & Domini in Rauenſpurg.

GEnerationes principum noſtrorum ſumma diligentia inueſtigantes, ac multum in diuerſis chronicis, hiſtoriis, ſiue antiquis priuilegiis quærendo laborantes, nullum nominatim ante Gvvelfonem Comitem, qui tempore Caroli Magni fuerat, inuenire poteramus. Neceſſariò igitur....... huius ſeriem ab eodem incipere oportebat. Scimus tamen ex plurimis circumſtantiis & ante eum alios fuiſſe, qui hanc domum etiam ante ſuſceptã Chriſtianitatis fidem magnis diuitiis & honoribus gubernauerũt, & nomen ſuum per diuerſas prouincias, vtpote per longa tempora alij aliis ſuccedentes magna induſtria dilatauerunt. Nam vt in antiquiſſima quadã hiſtoria reperimus, iſti à Francis illis originem traxerunt, qui quondam à Troia egreſſi ſub Francione & Thurco Regibus ſuper ripas Danubij iuxta Thraciam conſederunt, & ciuitatem Sicambriam nominatam ibi ædificauerunt, manſeruntque ibi vſque ad tempora Valentiniani Imperaris, à quo inde expulſi, eò quòd tributa Romanis iuxta morem ceterarum gentium ſoluere recuſabant.

f. generationis.

Egreſſi inde ſub Marchomiro, Sunnone & Geneſando Ducibus venerunt & habitauerunt circa ripam Rheni, in confinio Francia oriētali Germanię & Gallię. Illis ergo loca illa occupantibus, iſti ob multitudinē eorum nimiā ab eis receſſerūt, & terras has pænè inhabitabiles, & adhuc, vt cernitur, nemoroſas cum multis ſibi adhærentib. habitare cœperūt. Quòd ſi cui minùs credibile videatur, legat hiſtorias gentilium, & inueniet omnes ferè terras violenter ab alijs captas & poſſeſſas. Hoc Troiani, priuſquam expulſi à ſuis ſedibus fuerant, facere ſolebant. Hoc Gothi & Alani; hoc Hunni & VVandali, hoc eſt, Longobardi & cæteræ nationū gentes, ſed maximè Septentrionales. Igitur potiti terra & habitatione cuncta, confortati noſtri vires ſuas vltrà protendere, & in diuerſis prouincijs prædia & dignitates ſibi accumulare cœperunt. Vnde & in tantum ditati ſunt diuitijs & honoribus Regibus præſtantiores, ipſi quoq; Romano Imperatori homagium facere recuſabant, & viribus proprijs confiſi omnes terminos ſuos per ſe magna induſtria & fortitudine defendebant. Domum quoq; ſuam Regio more ordinabant, vt ita quæque officia in eis, id eſt, miniſteria Dapiferi, Pincernæ, Marſchalci, Camerarij, Signiferi per Comites, vel eis æquipollentes regerentur. Præfecerant etiam familiæ ſuæ*iam maiori, minori vnum de maioribus curiæ, quem nominabant Aduocatum, qui vice ſua pro omnibus ſuis ſtaret coram Regibus ſeu Ducibus, vel alijs iudicibus, & in quacunque cauſa vel querimonia pro eis reſponderet. Habebant & aliud quoddam Inſigne quaſi ſub priuilegio, vt proſcriptos quoſq;, ſi ad ſe confugerent, reciperent; & vſq; ad excuſationem vel condignam ſatisfactionem, ſine ſanguinis tamē effuſione, conſeruarent. Quæ omnia ad honorē videlicet Curiæ pertinentia à ſucceſſoribus etiam adhuc immutata conſiſtunt. Eccleſias Regales, ſcilicet Conſtantienſem, Auguſtenſem, Friſingenſem, Curien-

f. tàm maiori quàm minori.

tienſem, Campidonenſem, Vtinburenſem magnis prædijs & multa familia ditauerunt. Quaſdam verò ex integro à primo fundamento, quæ adhuc ad ſucceſſores ſpectant, honorificè conſtruxerunt.

DE NOMINE VVELFE SEQVITVR.

1.

IIs itaq; prælibatis de exordio nominis, quod VVelff ſonat, quod pleriq; inde quærere ſolent, ſicut audiuimus, in medium proferamus. Dicitur, quòd quidam ex antiquiſſimis iſtis filiam cuiuſdam ſenatoris Romani, qui Kathalina nominabatur, in vxorem duxerit, ac filium ex ea progenitum Kathalinam nominauit: quod quia theutoniſatum, Gvvelff ſonat, placuit omnibus, vt lingua naturali ſatisfacerent, & Romano nomine refutato, Gvvelfum eum theutonicè nominarent. Alij dicunt, quod dum vnus ex iſtis apud Imperatorem moraretur, vxor eius filium peperiſſet. Mittens ergo ad virum ſuum, quod factum fuit, nunciauit, ipsũque ad ſe reuocauit. Ille læto nuncio gauiſus Imperatori reuerſionem inſinuat, cauſam tamẽ reuerſionis non indicat. Imperator verò rem percipiens ridiculosè eum taliter affatur: Pro Gvvelfo, qui vobis nat⁹ eſt, repatriare feſtinatis? At ille, Nomen, inquit, quod iam infantulo dediſtis, poſtea plenius dare debetis; niſi enim Deus aliter ordinare voluerit, eum ſub hoc nomine de lauacro ſancto ſuſcepturus eſtis. Quod ita factum eſt. Alii vtrumq; verũ eſſe coniiciũt. Dicũt.n. primò quidẽ, vt modò audiſtis, inuẽtũ eſſe, ſed deinde multo tẽpore refutatũ, & quaſi in obliuionẽ traditũ, denuo ſic p Imperatorẽ renouatũ, & ſic nomẽ ꝙ in principio fuit abominabile omnib. poſtremò factũ eſt in hac proſapia quaſi naturale & acceptabile. Sed iã ad propoſitũ redeam⁹.

DE PRIMO VVELFONE.

2.

IGITVR VVelfo genuit filium Erichonem nomine, filiam *leg. Etichonem* Iudith; Quam Iudith Ludevvicus Imperator, cognomento Pius, Caroli Magni filius, defuncta vxore ſua Iroſilt-

gardi, ex qua tres filios Lotharium, Pipinum, & Ludevvicum progenuit, duxit vxorem; quæ genuit Carolum Caluum, qui in diuisione Imperij regnum Francorum obtinuit, & XLV. annis strenuissimè rexit, fratribus suis Lothario & Ludovvico in Italia & Alamannia regnantibus, primo Pipino defuncto.

3. ## DE ETHICONE, QVI FVNdauit Birgoiam.

Eticho huius Iuditæ frater patri defuncto plus hæres successit, qui genuit filium, Heinricum nomine. Hic itaque Heinricus cùm ad militares annos peruenisset, & suæ voluntatis compos fieret, ignorante patre ad Imperatorem se contulit. Cumque illi summa familiaritate sociaretur, & totius Imperij vires, terminos eius circumeundo & pertranseundo cognosceret, tandem consilio Principum, & maximè ipsius Imperatoris instinctu, homagium ei & subiectionem fecit, & in beneficio quatuor milia mansuum in superioribus partibus Bauariæ ab eo suscepit. Quod cùm pater eius percepisset, iratus, nobilitatem suam & libertatem nimis esse declinatam, vltra quàm credi possit consternatus animo dolorem suum omnibus suis caris exposuit. Et assumptis XII. ex illis, infra montana ad villam, quæ dicitur Ambirgo (regalibus ædificiis & possessionibus ditissimis relictis) secessit, & ibi non amodo visurus filium suum consenuit. Cœpit & ibidem collectis monachis cellam construere. In qua etiam postmodũ cum XII. suis humatus requiescit. Heinricus autem volens omnimodis dolorem patris mitigare, prouinciam eius fugit, nec tamen solatium necessitudinis ei subtraxit: omnia enim sua illi confinia ex integro ad ministrandũ ei subiecit. Deinde

inde comperta Patris morte Heinricus considerans locum, vbi cella incepta fuerat, incommodum & difficilem claustralibus, ad villã quæ dicitur ALTENMVNSTER, vbi sanctus ALTO Confessor requiescit, supradictos Monachos cum omnibus suis transuexit, & Abbatiam ibi satis religiosam & diuitem perfecit. Postea & in ALTORFENSI villa Abbatiam cum Sanctimonialibus in loco, vbi nunc Parochialis Ecclesia est, construxit. Idem verò Heinricus vxorem duxit de Hohuvvarte in Bauaria, Beatam nomine, ex qua tres filios genuit, sanctum Conradum Constantiensem Episcopum, Etiochonem, & Rudolfum. Sanctus igitur Conradus in Episcopatum promotus, patrimonium, quod à patre possederat Altdorf, & VVolptesvvende, Berge, Fronhouen, cum suis attinentiis, & omnia vltra fluuium nostrum Stutzina sita, sicut ad nos hodie pertinent, fratri suo Rudolfo per concambium donauit, & ipse ab eo remotiora recepit, id est Eüsilingen, Andiliungen, cum omnibus appendiciis suis & in Alsatia Colmir, & infra Retiam Curiensem * amidis fluminis Lugenetz. Quæ omnia Ecclesiæ suæ Constantiensi, partim fratribus maioris Ecclesiæ ad meliorationem præbendæ, partim fratrib. illis, quos canonice in Ecclesia sancti Mauritij ordinauerat, contradidit. *

Eticho frater eius sine legitimi matrimonij copulatione de hac vita discessit, & Constantiæ iuxta supradictam Ecclesiam sepultus est. Genuit tamen ex quadam de ministralibus suis filiam, quam frater eius Rudolphus libertate donatam pro amore fratris cuidam nobili de Retia Curiensi cum largis prædiis copulauit. Ex qua illi de Herili Sella, de Vstera, de Raprechcesvvillare & eorum cognatio descenderunt.

DE RVDOLFFO FRATRE SANCTI Conradi.

4.

RVDOLFVS frater superiorum accepit vxorem de Oninge Itam nomine, cuius pater Couno nobilissimus Comes. Mater verò eius filia Ottonis Magni Imperatoris Richluit nomine. Hic itaq; Côno quatuor filios progenuit Eggebertum, Leopaldum, Luittoldũ, Counonem: quorum primus, Eggebertus scilicet, Marchiam illã, quæ est in finibus Saxoniæ versus Danos, Stadin nominatã obtinuit, & filios ac filias per diuersas regiones disseminatas genuit. Habuit quoq; idem Couno quatuor filias; quarum vna Rudolfo isti, alia cuidam de Rinueldin parenti * Haringiorum, tertia Regi Rugiorũ, quarta comiti de * Dyehon nupsit. Rudolfus præfatus ex sua Ita duos filios Heinricum & VVelfonem & filiã Rihgardam nomine progenuit. Hic est Heinricus, qui sub annis adolescentiæ in venusta valle iuxta villã Lounon in venatione saxo percussus interiit. Rihgardam vnus de maioribus Baioariæ Comitibus vxorẽ accepit. Sed quia ex ea hæredem non habuit, tres Abbatias ex suis prædiis magnificè, vt adhuc cernitur, fundauit. Quæ sunt Ebersperg, Goubac, Gisinueld. Et insuper Guelfoni fratri vxoris suæ villas Vringen, & Selinbach cum omnibus appenditiis suis donauit, ipsaque Richardis Eberspergæ sepulta est. Deniq; Rudolphus postquam debitum naturæ persoluit, in Altorfensi cœnobio iuxta patrem & matrem humatus.

*f. Zaring.
*f. Dachau.

DE VVELFONE VERO FILIO Rudolfi.

5.

GVVELFO suprà nominatus Rudolphi huius filius vxorẽ duxit de gente Salica, de Castro Glihberg Iuithan nomine, sororem Heinrici Ducis Noricorum, & Friderici

Ducis

Ducis Lotharingiorum,& Adilberonis Episcopi Metensis, postquã * haberemus Regalem villam Mörigen,& in Longobardia Clismam cortem nobilissimam, cuius sunt XI. milia mansuum vno vallo comprehensi.

Ita lego. in m. s. est. heremus.

QVALITER AVGVSTENSEM ciuitatem ceperit.

6.

ISTE est Gvvelf, qui aliquando auxiliante sibi Ernesto Duce Sueuiæ Imperatori Conrado Salico rebellabat, & cũ Brounone Augustensi Episcopo maximas prædas & incendia faciens, nec non & castella, & municiones eius diripiens, tandemque ipsam ciuitatem capiens diu dimicabat. Cui Frisingensis Episcopus auxilium ferens eadem ab eo perpessus est. Hic etiam Abbatiam Altorfensem, transferendo huc monachos de Altenmünster & sanctimoniales nostras illuc ponendo permutauit. In qua Abbatia & ipse postmodũ defunctus requiescit. Vxor verò eius adhuc diu superstes in Altenmünster sepulta est. Hic cùm ad senectutem peruenisset, & malorum, quæ Ecclesijs Augustensi, & Frisingensi intulerat, sæpius sæpiusq; reuoluens animo, recordaretur, ad emendationem cum magna cordis contritione anhelans, examinationem sibi per iudicium aquæ frigidę elegit, in qua nõ aliud preciũ sibi sufficere ęstimans, villas super villas cum omni iure suo in ipso examine accumulans composuit, & sic recompensando illatum damnum ad perfectam purgationẽ peruenit. Quas villas, iuxta modũ & qualitatem damni, vtriq; Ecclesię sine dilatione in perpetuã possessionẽ donauit. Hic genuit filiam Chunihã nomine, quã* Alho ditissimus Marchio Estensis Italię, cũ curte *Elisma dotatam in vxorẽ duxit, & ex ea Gvvelfum totius terræ nostræ futurum hæredem & dominum progenuit.

f. Azzo, de quo postea.

f. Clisma.

De

De quo suo in loco dicendum est. Genuit & filium sui nominis Gvvelfum, virum per omnia probatum, qui Ducatum Carinthiorum & Marchiam Veronensem acquisiuit, & strenuissimè rexit. Dicitur de eo, quòd cùm in procinctu esset, & Imperatorem Heinricum tertium, per triduum vltra statutum tempus, in loco qui dicitur Rungalle, vbi totus exercitus conuenire solet, quò & se venturum iuramento constrinxerat, præstolaretur, & nec nuncium quidem, qui causam moræ illius exponeret, haberet, erecto signo conuocatis Dominis reuersionis iter arripuit. Cui tandem Imperator occurrens nec muneribus nec promissionibus, vel saltem minis ab incepta repatriatione remouere potuit.

7. *QVALITER IMPERATORI restitit.*

QVodam etiam tempore cùm Imperator Veronensibus ciuibus exactionem inferens, mille marchas ab eis extorsisset, ipse ex improuiso superueniens, tanta eum suosq; seueritate & contumelia afflixit, vt vix Imperator, pecunia ex integro reddita, securitatem exeundi obtineret. Idem etiam Gvvelfo monasterium in mõte * antiquum in honore sancti Martini fundauit, nomen VVingartin imposuit, in quod de villa translatis monachis, & ossib. patris sui Gvvelf & patrui Heinrici, & qui Rudolfi Ecclesiam priorem Parochialem esse constituit.

Hic denique Gvvelf sub iuuenili ætate, cùm esset in castro Botamo, morbo correptus est, vidensq; sibi imminere mortem omne patrimonium suum cum ministerialibus, quia hæredem ex se non habuit, ad cœnobium Altorfense sancto Martino in perpetuam possessionem donauit, & hoc perficiendum duobus de Maioribus suis, qui tunc secum.

cum aderant, fideliſſimè commiſit. Ipſe vero diem claudens extremum, illo deportatus eſt, & cum maximo planctu ſuorum & totius vicinitatis ſepultus. Mox expleta ſepultura, quibus iniunctum fuerat donationem perficere volentes prohibiti ſunt. Mater enim ipſius ſciens ſe hæredem habere ex filia, miſſis in Italiam legatis, iuſſit eum adduci, & veniens penitus donationem interdixit; & ſe certum & verum eſſe hæredem proclamauit.

DE VVELFONE IV. QVI PRIMVS fuit Dux Bauariæ.

8.

HIc eſt ille Gvvelf, qui primus ex noſtris Ducatum Bauariorum adept[9] magnifica multa in eo ſicut & in aliis regni partibus peregit. Erat enim vir armis ſtrenuus, conſilio prouidus, ſapientia tam forenſi quam ciuili præditus. Vnde & omnes tempeſtates bellorum contra ſe & contra alios in inuicem in finibus ſuis exortas, magna vel moderatione vel ſeueritate compeſcuit. Imperatori, antequam machinationes in mortem ſuam patraſſet, & antequam Eccleſiam Dei manifeſtè impugnaſſet, fideliſſimè adhærebat; eique cum contra Saxones dimicaret, in tribus funeſtiſſimis congreſſionibus ſtrenuiſſimè militabat. At vbi multa inhoneſta de eo in medium proferebantur; &, quod maius eſt, Dominum Apoſtolicum Gregorium ſeptimum, Gvviperto Rauennenſi Archiepiſcopo intruſo, de ſede ſua expulit, ipſe cum aliis Catholicis Principibus ab eo declinauit, & amodo eum multis modis inquietauit. Vnde & cum Sigefrido Auguſtenſi Epiſcopo, qui parti, imò inhumanitati eius fauebat, diu & acerrimè dimicauit; quem tandem cum multis in ciuitate ſua comprehenſum in vincula iecit, & in caſtro Rauenſpurch catenatum multo tem-

pore conferuauit. Ciuitatem quoque eandem præda & incendio deuaftauit. Accepit autem Reginam Angliæ tunc viduam, filiam fcilicet Baldubini nobiliffimi Comitis Flandriæ Iuditam in vxorem. Ex qua duos filios Gvvelfonem fcilicet & Heinricum, quorum vterque Ducatum Bauariæ, alter poft alterum poffederat, progenuit. Hic eft ille, qui primus ex noftris, eo quod fautoribus fuis, in tot commotionibus bellorum, prædia fua diftribuendo, paternos reditus comminuit, manus fuas Epifcopis & Abbatibus præbuit, & beneficia non modica ab eis recepit. Omnes poffeffiones Luitoldi Comitis, quas in partibus iftis habuit, præter illas quas in Zvvyfalten fanctæ Mariæ contradidit, cum duobus caftris Achalin & VVuluelingen ipfo donante poffedit. Patrimonium quoque Comitis Ottonis de Buchorn, eo viuente & bona voluntate tradente recepit & obtinuit. Deniq; cum ad fenilem ætatem veniffet, & Raitenbuchenfem Ecclefiā conftruere cœpiffet, & fatis copiosè dotaffet, Altorfenfe quoq; monafterium prædiis, decimis & mancipiis, nec non Ecclefiafticis ornamentis abundantiffimè ditauit. alias etiam Ecclefias ad fe pertinētes aliquo modo melioraffet, volēs de exceffibus fuis difficiliorem fatisfactionem exhibere, Ierofolymitanū iter arripuit: Quod & in maximis perfecutionib. & periculis Vngariam & Græciam tranfiens perfoluit. Sepulchrum enim Domini & alia loca fancta omnibus fuis pænè amiffis vifitauit. Deinde ad reuerfionem fe parans Cyprum adiit, vbi de hac vita decedens, fepultus eft. Offa tamen eius poftea inde fublata, ad Altorfenfe monafterium trāflata & repofita funt. Socij autem peregrinationis & laborum eius, vel interfecti, vel viui Sarracenis, machināte perfidiffimo Alexio Imperatore Græco, traditi funt. Inter quos Themo Saltzburgenfis Epifcopus comprehenfus & Regi Memphicorum præfenta-

ſentatus ad Idololatriam angariatur. Ille fanum ingreſſus, animi & corporis viribus robuſtiſſimus, Idola, quæ adorare debuit, non Deos ſed opera manuum oſtendens in fruſta comminuit. Ob hoc productus exquiſitiſqúe ſuppliciis affectus Martyrio coronatus eſt. Itam comitiſſam matrem Leopaldi Marchionis orientalis, quæ ſimiliter in eodem comitatu fuit, vnus de Principibus Sarracenorum rapuit, & impuriſſimo ſibi matrimonio copulauit, ex eaq; ſanguinem illum ſceleratiſſimum Vtamut progenuit.

fort. Maſimut

DE VVELFONE, QVI MEHTILDAM duxit & in Choufringin obiit.

9.

IGitur poſt mortem patris Gvvelfo maior natu paternum Ducatum recepit. Vir moderatiſſimus, qui magis liberalitate & facilitate quàm crudelitate omnia ſibi reſiſtentia ſubiecit. Domum ſuam ordinatiſſime diſpoſuit. Vnde & nobiliſſimi quique & vtriuſque prouinciæ filios ſuos eius magiſterio educandos certatim commendauerunt. In Italia tamen cum his, qui patrimonium ſuum iniuſtè vſurpauerant, & ſuos peſſimis circumuentionibus moleſtauerant, ſæpiſſime duriſſimos conflictus habuit. Romæ cum Imperatore Heinrico quinto fuit, cum Papam Paſchalem captiuauit, immunis tamen ſcelere ab hoc. Nam cum omnimodis ab eo declinare non poſſet, mediatorem ſe ad compoſitionem faciendam interpoſuit, ſicque factum eſt, vt Imperator tandem eius conſilio ad condignam ſatisfactionem humiliaretur, & Papa eum pro bono pacis clementer ac paternè ſuſciperet & conſecraret.

Accepit autem Mahtildam nobiliſſimi ac ditiſſimi Italici Marchionis Bonifacij filiam in vxorem, fœminam

virilis animi, quæ ad instar fortissimi principis totam terram illam suo dominio subiugauit, quam tamen postea, nescio quo interueniente diuortio repudiauit. Denique omnibus suis benè cōpositis, morbo correptus in villa Chufringen diem clausit extremum, & in Altorf deportatus iuxta patrem & matrem sepultus est.

10.

DE HEINRICO DVCE QVI FActus est monachus.

HEINRICVS frater eius Ducatum & omnia quæ illius erant obtinuit, & potentes ditioni suæ subiugauit. Qui vxorem iam dudum viuente patre de Saxonia accepit filiam Magmonis Ducis, & Sophiæ sororis *suæ* Regis Vngariæ Colomanni VVulfildem nomine. Erat tandem eadem Sophia antea cuidā de Carinthia copulata, ex qua genuit Poponem Marchionem, qui duas filias, vnam Bertholdo Comiti de Bogen copulauit. Porro soror huius Sophiæ Regi Græcorum nupsit. Aliam sororem eius Berchtam quidam Comes ex claustro quodam sanctimonialium abstractam duxit, & ex ea Fridericum Ratisponensem Aduocatum genuit. Ipsa autem Sophia ex Duce Magmone quatuor filias habuit, VVulfildem nostram, Alicugam matrem Adelberti Marchionis de Saxonia, tertiā quam duxit Dux Morauiæ, quartam quam Egehardus Comes de Schiren à quodam monasterio sanctimonialium in Ratispona abstulit, ac sibi matrimonio copulauit, Ottonemq; Palatinum ex ea progenuit. Heinricus igitur Dux ex VVulfilde, præter illos, quos infra annos sinus cœlestis patriæ suscepit, tres filios habuit; Cunradum, Heinricum, Gvvelfonem: Et quatuor filias; Iuditam, Sophiam, Mahtildem, VVulfildem. Iudita nupsit Friderico Sueuorum Duci, quæ Fridericum

Hæc vox, suæ, videtur delenda.

An legendum Maginone? m. s. habet vbique Magmone.

Imperatorem nostrum, & Vxorem Matthæi Ducis Lotharingiæ progenuit. Sophiam Bertholdus Dux de Haringẽ, & eo mortuo Leopaldus Marchio de Stira in vxorem accepit; ex qua Odocarum primum Marchionẽ genuit. Mahtildis primò Theapoldo filio Theapoldi Marchionis Cambiensi de Voheburck, postea eo mortuo Gebehardo de Sultzbach copulata est. Wulfildem Rudolphus Bregantinus Comes duxit. Cõradus in clericum ordinatus cum sub puerilibus añis domi literarum studijs informaretur, tempore maturo Coloniensi Archiepiscopo altiori studio & disciplina claustrum educandus committitur. Ibi in vtroq; tantum profecit, sed & alijs virtutibus vitia declinans tantum se exornauit, vt ab omni clero & populo amaretur, ab omnibus summo honore dignus iudicaretur: Ipse vero honores, diuitias, laudem humanam fugiens quibusdam se monachis sociauit, cum quibus, omnibus suis ignorantibus, Claräuallense monasterium adiit ibique monachum se fecit. Deinde procedente tempore Ierosolymam petiit: vbi cuidam seruo Dei in heremo manenti adhæsit. Tandem sentiens se quadam infirmitate tactum de reuersione cogitauit, & ingressus nauem Bairam ciuitatem sancti Nicolai peruenit, ibi beato fine diem vltimum clausit, honorificeque sepultus ibidem requiescit. Circa idem tempus pater quoque eius & mater; pater monachum professus in extremis suis in castro Rauenspurg, mater in Altorf XVI. die post mortem mariti obierunt, & in monasterio sancti Martini sepulti sunt.

f. in claustrum.

Bairam pro Barium, quo corpus S. Nicolai Myrâ translatum est. Martyrol. 9. Maij.

II.

DE HEINRICO PRIMO
Saxonum Duce.

IGitur Heinricus, defuncto patre, Ducatum eius adeptus, generalem conuentum Ratiſponæ omnibus indixit; Quo collecto milite adueniens, quidquid inſolentiæ in ciuitate, ſiue extra circumquaque ad aures eius perlatum eſt, prouida diſpenſatione diiudicauit. Diſcrimina bellorum inter Principes ſeu Maiores terræ diu exagitata compeſcuit; pacem firmiſſimam omnibus annunciauit, & iuramento confirmari præcepit. & ſic demum accepta à Burgenſibus pecunia terrorem cunctis incutiens ciuitatem egreditur,& munitiones ac villas prædonum & proſcriptorum per totam Prouinciam deuaſtat. Interea miſſis legatis in Saxoniam ad deducendam ſponſam ſuam, Gerdrudem ſcilicet,filiam Lotharij Imperatoris, optimates quoſque Bauariæ ac Sueuiæ ad nuptias inuitat. Quibus laute in * plane iuxta Licum fluuium vltra Auguſtam in loco, qui dicitur Concio legum, in octaua Pentecoſtes celebratis, eandem in partes iſtas adduxit, & in caſtro Rauenſpurg vſque ad autumnum ſtare conſtituit. Ipſe verò ad Imperatorem reuerſus Ducatum Saxoniæ, Nurenberch, Gredingen, & omnia beneficia, quæ Imperator ab Epiſcopis & Abbatibus habuit, ſuſcepit; ac rebelliorem, id eſt, Fridericum Ducem, ſororis ſuæ maritum pollicetur. Interea Fridericus Ratiſponenſis Eccleſiæ Aduocatus, videns poteſtatem Ducis præualere, ſuum verò quotidianum in ciuitate minui, quorũdam conſilio, quibus pax odioſa fuit, vnum de miniſterialibus Eccleſiæ, qui Duci omni fidelitate in ciuitate & extra aſtabat, & miniſtrabat, dolo vocauit ad ſe, inuitatum vita priuauit.

* leg. plano.

Qui-

Quibus compertis Dux Bauariam festinanter ingreditur, ac castrum Aduocati fortissimum Falschenstein obsidione cingit, omnesq; suos ad obsidionem compellit. Dum hæc in Bauaria aguntur, Imperator quoq; Spiram ciuitatem Rheni in iniuriam Friderici Ducis obsedit, missoque nuncio, Ducem Heinricum, vt sibi quantocius in auxilium veniat, inuitat; qui omni cunctatione postposita, obsidionem & omne negocium sorori suæ Marchionissæ de Stira tunc viduæ, quæ eo tempore cum DCCC. loricis aduenerat, committens, ad Imperatorem cum DC. & eo amplius festinat militibus. Quo cum magno labore perueniens castra vltra Rhenum posuit, & vt impetus & irruptiones* f... præcaueret militem coadunatum prope se locauit. Fridericus tamen, vtpote vir armis strenuus, dum quadam nocte armato milite min⁹ cautè in castra irrueret, Heinricus premonitus armis & equitatura paratus, ad fugã illum cõpulit, & ita fugientẽ vsq; in Gouningen insequitur, amissisq; aliquot de suis, & omnib. pęnè equitaturis ignominiosè euasit.

*fort. faciliu, vel: fraudulentas.

Deinde satisfactione & pactione Spirensium cum Imperatore, Maguntio mediante, composita, Bauariam vsque regressus, castrum iam diu obsessum capit, suosque ibi ad tutandos fines illos & ad conseruandum sibi castrum locauit. Non multo post Fridericus Dux memor pristinæ iniuriæ Altorf & Rauenspurch armata manu inuasit, & villas circumquaq; nec non & Mãmingen incendio deuastat, & de nostris aliquot captiuos abduxit. Quod Heinricus ferre non valens sequenti æstate copiosum exercitum congregat, finesq; Friderici ingressus, à villa Cougindorf, quæ est in ripa Danubij, incipiens, & vltra Stouphen perueniens omnia circumquaq; in transitu & in reditu, incẽdio & præda deuastat. Ad Vlmã vero diuertere noluit, quia eius territoria & suburbia ac villas non lõge ante dira vastatione destruit.

DE

12. ## DE CONFLICTV CVM RATISPO-nensibus habito.

CIRCA idem tēpus Ratisponenses mortuo Episcopo suo, Heinricum vnum de nobilissimis fratrum scilicet Ottonis de VVolferatenhausen, machinante Aduocato cum aliis æmulis Ducis, eligunt, & in locum illius constituunt. Quod Dux in iniuriam sui factum compensans, ad depositionem eius omnimodis laborabat, & apud Imperatorem, vt Inuestituram ei negaret, & apud Apostolicum, vt consecrationem eius interdiceret, calumnians electionem eius non esse canonicam, satagebat. Ille verò inter huiusmodi discrimina Metropolitanum suum festinanter adiit, & consecrationem ab eo suscipiens nuncium Apostolicum præuenit, reuersusque se & ciuitatem & omnes ad rebellionem præparat. Dux ergo cùm huiusmodi detractionibus illum auellere non posset, ad aliud animum intendit. Sine mora Bauariam ingreditur, ciuitatis suburbia, & oīa Ecclesiæ territoria incendio & vastatione peragrauit, Castrū quoq; Episcopi Tonstauphē ex improuiso superueniēs arripuit, suisq; custodiendum cōmisit; Quos Burgenses duris congressib. sępius inquietabant, aliquādo obsidebāt, accessum & recessum eis interdū per insidias impediebant. Deficiente verò aliquādo añona, Dux ipse collecto milite victualia circumquaq; collecta illis apportabat, & sic tota illa prouincia multis malis subiacebat. Interea his malis & aliud nō min⁹ execrabile in superiori Bauaria assurrexit. Quadam enim die, dum Dux per fines Comitis Ottonis de VVolferatenhŏsen transitum fecisset, ille in vltionem Episcopi patrui sui tam subito, & inopinatè eum superuenit, vt nisi vnus de suis de equo, in quo sedit, procidisset, & suum pro illius domino substituisset, inermem vita priuasset. Vnde & ille in equo domi-

domini fugere tentans comprehensus, & multis vulnerib. affectus captiuus abducitur. Quapropter Dux collecto milite circa Purificationem sanctæ Mariæ fines illius inuadit, omnia inter montana deuastat, castrum Homeras obsidet & expugnatum incendit. Ad VVolferatenhousen verò propter sanctum Quadragesimæ tempus, quod imminebat, diuertere noluit, sed assumpto Gvvelfone fratre suo, qui eo tempore milites transalpinas in partes illas militiæ gratia adduxit, ad ciuitatem vsq; reuertitur, & suos quamdiu iam in castro Tunistouphen multis malis coarctati vexabantur, inde abduxit, & castrum igne succendit. Sed quia Gvvelfonis mentionem habuimus, non incongruum videtur, si aliquid de his quæ & ipse circa eadem tempora in transalpinis partibus egit, huic assertioni inseramus.

Igitur Gvvelfo sub annis adolescentiæ suæ, mediante fratre suo Heinrico Duce filiam Gotefridi, ditissimi Palatini de Caluue Outam nomine accepit vxorem. Vnde & omnia quæ illius erant, tam beneficia quam patrimonia obtinuit. Albertus igitur Comes, fratruelis eiusdem Palatini, videns omnem suam spem, quam in morte patrui posuerat, frustrari, de iniusta eum diuisione calumnians hæreditatis, ac medietatem omnium ad se hæreditario iure spectare proclamans, castrum Caluvve dolo subripuit, & milites in eo locauit. Deinde in breui post milites Gvvelfonis in villa Gindeluingen quadam nocte ex improuiso superueniens aliis ex eis captis, aliis in fugam conuersis, omnib. pæne tam in armis, quam in equitaturis penitus *destitutus villam succendit, ac prædam ad castrum suum VVartinberg adduxit. Dux ergo collecto milite sine mora idem castrum obsedit, & machinas nihilominus adduci & præparari præcepit. Albertus vero Fridericum & Conradum Duces auxilij gratia adiit, eisque de allodio suo villam cum

*destitutam vel destitutis.

ministerialibus ac aliis appenditiis eius, vt Gvvelfonem de obsidione propellerent, contradidit. Illi autem dum ad redimēdum castrum collecta manu militum properarent, Gvvelf impetum eorum præueniens, castrum armata manu, machinis quoq; adhibitis circumquaq; impugnat, ac sic laboriosè captum præda sua recepta, & militib. ibidem repertis captiuis abductis igne castrum succendit. Eadem quoq; tempestate Cunradus Dux de Zaringen auunculus vxoris Stouvveburch castrum Gvvelfonis obsedit, sed adiutorio Lotharij Imperatoris infecto negotio recessit. Postea & aliud castrum Levvstein, præfati Comitis scilicet, quod inexpugnabile cunctis videbatur, artificiosa congressione Gvvelfo expugnat, aliquotque de suis amissis, omnibus vero quos ibidem repererat, captiuatis incendio deuastat. Post procedente tempore cum etiam Caluue castrum, quod idē Comes ei dolosè surripuerat, collecta multitudine obsidere voluit. Ille se in extremo discrimine positum, nullumq́ue refugium nullum solatium se vlterius habere compensans, ad deditionem venit, ac se ad pedes Ducis humilians, gratiam quam non meruit, inuenit. Dux enim pro solita mansuetudine ac clementia illum eodem castro, ac aliis quibusdam villis inbeneficiauit, omnibusq; suis restitutis honorificè dimisit, ac sic composita pace cunctisque terræ illius optimatibus ad se confluentibus, prouincia tota ditioni suæ subiecta quieuit. Sed iam digressione omissa ad inceptum redeamus.

Heinricus igitur Dux finita Paschali hebdomada tam copiosum exercitum in Bauariam reduxit, vt & castrum supra nominatum stricta obsidione clauderet, & se ab impetu illorum, qui sibi contumaciter comminabātur defenderet. Episcopus enim per totam cognatos & amicos suos conueniens, hoc agebat, vt Ducem de finibus illis, si amplius

plius eos hostiliter inuaderet, ignominiosè fugarent. Morante igitur in obsidione Duce Episcopus cum Marchione Orientali Leopaldo, seu aliis Comitibus ac totius Bauariæ fortissimis, excepto Palatino, coadunato milite appropinquat, & castro in plano prope Isaram fluuium ponit. Interea Otto Palatinus vir sapientia præditus, cui ad vtramque partem accessus patuit, vtriusque exercitus apparatum cõtemplatur, illisqúe nostrum copiosiorẽ esse denuncians, terrorem incutit; cogitansqúe quomodo ad bonum pacis perducat Fridericum Aduocatum cognatũ suum promissionibus ac minis circumueniens ad deditionem hortatur. Ille vtpote omnibus suis destitutus, consiliis Palatini adquieuit; & assumpto eo in castra Ducis veniens, & ad pedes eius se humilians, gratiam eius recepit. Quo perpetrato Ottonem quoque generum suum ad deditionem & satisfactionem, exponens ei miserias suorum, compellit. Qui similiter eius & aliorum suorum consilio cõsentiens, ad deditionem venire non distulit, ac seipsum cum castro in manus Ducis sub omni humilitate contradidit.

Dux verò prout rigor iustitiæ exigit, illum patriam & omnes terminos Bauariæ quoadusque per eum aduocaretur, abiurare coëgit, & sic eum captiuum suis commisit, & ad Rauenspurch secũ adduci præcepit; Castrum quoq; cum omnibus quæ auferri poterant præter ædificia abstractis, igne succendit. Abducitur ergo vxor illius, quæ & ipsa in castro obsessa fuerat, quam Dux benignè suscipiens & bene consolans, Patri suo Palatino commisit: sicqúe omnis contumacia Bauariorum, diuina ordinatione, suppressa est. Non multo post compositio quoque inter ipsum & Episcopum fit, & comitatus ille, quem Ecclesia Ratisponensis circa fluuium habet, ab Episcopo ei in beneficio conceditur.

Circa hæc tempora Imperator in generali Curia Babinberch habita Cunradum & Fridericum Duces interuentu Bernardi * Clareuanensis Abbatis in gratiam recepit, ac ita renouata pace expeditionem in Italiam *secundo indixit. Quam expeditionem Heinricus Dux perfecturus, Ottonem sæpe dictum Comitem, & alios de Bauaria, quibus initio infestus erat, in gratiam recepit; & stipendia condigna offerens, ad expeditionem illexit. Similiter & alios ex vtraq; Prouincia, ita vt per vallem Tridentinam mille quingentos milites in Italiam duceret. Cum Imperatore ergo in citeriore Italia Gardam & Garistallum cepit, quæ in beneficio ab eo suscepit. Ibi Mediolanenses & Cremonenses diuturnum inter se bellum habentes coram Imperatore causam * Werræ exponunt. Cremonenses ergo à Principibus Italiæ hostes iudicantur, proscriptiquédiscedunt. quos ipse subsecutus territoria eorum ac villas seu castella destruxit. Indeq; Papiam veniens ciues illos pactione pecuniæ in gratiam suscepit. Ibi & Otto Comes de VVolferatenhausen vita priuatus occubuit. Bononienses quoque & Emilienses supplices Duce interueniente recepit. Post vsque ad Thaurinum progrediens, totam citeriorem Italiam sine ferro subegit. Inde ad Pennunũ transiens Imperator Anchonam, Spoletum, cum aliis vrbibus seu castellis vlterioris Italiæ in deditionem accepit. Deinde contra Rogerium aciem dirigens Campaniam & Apuliam peragrauit. Porro Heinricus noster per Tusciam exercitũ duxit, quam (id est Tusciam) etiã ab Imperatore beneficio obtinuit: Romamqúe veniens Summo Pontifici Innocentio vsque ad Imperatorem conductum præbuit. Suburbia Albæ ciuitatis sibi resistere nitentis expugnauit, ac destruxit. Beneuentum cepit, ac Papæ restituit. Imperatori non longè ab Arra cum Summo Pontifice obuiam venit,

*leg. Clareuallensis.

* ita lego. m. s. habet: Scdo.

* Guuerræ.

venit, ibiq; castrum quoddam, vbi præsidia Rogerij fuerant, artificiosè valde expugnauit, militesq; in eo repertos & præcipuè Sarracenos patibulo suspendit. Post eiecto de Campania & Apulia Rogerio, Reginaldo vero viro forti ac nobili Ducatu Apuliæ commisso de reditu disponunt.

DE REDITV IMPERATORIS ET *eius morte Lotharij.*

13.

IGitur de Italia per Tridentinam vallem redientes, Imperator morbo correptus in sylua, quæ est inter Oenum & Licum, sub vilissima casa, XIII. regni sui anno diem obiit. ac inde per Augustam & Orientalem Franciam in Saxoniam portatus in Monasterio Luther honorificè sepelitur. Dux ergo Heinricus gener eius in quibus finibus obierat, Regalia reseruauit, vt generali conuentu Principum, qui in proximo Pentecostes Moguncia condictus fuerat, præsentaret. Quidam autem ex Principibus timentes ne fortè in generali Curia Heinricus Dux, qui tunc præcipui & nominis & dignitatis in regno fuit, per potentiam præualeret, circa mediam Quadragesimam consilio habito in oppido Rheni Confluentia conuentum celebrant, ibique Cunradum fratrem Friderici, de quo supra diximus, præsente Theodovvico Episcopo Cardinali, Regem creant. Et Saxones & Dux Heinricus aliiq; qui electioni non interfuerant, Regem non legitimè, sed per surreptionem electum calumniabantur. Quibus omnibus in proximo Pentecostes generalis Curia Babinberch indicitur. Quo Saxones omnes simul cum viduata Imperatrice Richinza venientes, vltro se Conrado Regi subdidêre. Heinricus Dux Regalia seruans aberat, ad quæ reddenda in festo Apostolorum Petri & Pauli dies ei Ratisponæ, in breui post Augu-

stæ describitur: Quo ex condicto, assumptis fidelibus suis & milite non modico, venit; ac super Licum ex opposito ciuitatis, Rege ciuitatem tenente, castra posuit. Internuncij autem ac mediatores ad hanc causam prænominati, per triduum huc ac illuc sæpius transmeantes nihil profecerūt. Rex enim non aliter compositionem fieri voluit, nisi Dux quædam de his quæ à Lothario Imperatore susceperat, ac possederat, resignaret. Quod cum Dux renuisset, ac se potius dubiæ sorti supponi elegisset, colloquium infectó pacis negocio dissolutum est. Rex ergo metuens aliquid in se machinari, dum peracta cæna cubitum se ire simularet, abductis clam equitaturis cum paucis nulli de Principibus valedicens exiuit, ac militem suum reliquum in magno discrimine relinquēs, Herbipolim peruenit. Ibi iudicio quorundam Principum Dux proscribitur, Ducatusq; ei abiudicatur. Dux ergo in subsequenti die post egressum Regis de Augusta, suis prout poterat probe dispositis, non multis comitatus in Saxoniam properat. Et Rex Ducatum Saxoniæ Alberto Marchioni consobrino eiusdem Ducis, Noricum vero post in Bauariam veniens Leopaldo filio Leopaldi Marchionis fratri suo ex parte matris tradidit. Heinricus ergo Dux Saxoniam ingressus, cum casum & miserias suas fidelibus & amicis suis exponeret, ad rebellandum eos Imperatori & Alberto excitauit. Inde in breui eundē Albertum, auxilio eorum, nec non & suorū qui de Bauaria & Suetia cum insecuti sub specie peregrinationis, terram intrauerant, adeo humiliauit, vt castris eius dirutis, terris circumquaq; vastatis ad Regem auxilij gratia ire compelleret.

Interea Leopaldus Marchio suscepto à Rege Norico Ducatu, omnibus pæne Baronibus ad Ducatum pertinentibus amore seu terrore ad se confluentibus, primo Ratisponam ditioni suæ subdit, post collecto milite superiores partes Bauariæ vsq; ad Licum pertransiens, amissis aliquot de suis

de suis festinanter reuertitur. Non multo post Heinricus Dux dum in Saxonia omnibus suis ritè dispositis, in Bauariam redire disposuisset, morbo correptus diem extremum clausit, ac sic in Monasterio Luther iuxta socerũ humatur. Quo mortuo Saxones amore filij sui paruuli, quem eis adhuc viuens commendauerat, Regi denuo rebellant. Leopaldus vero Ducatum Noricum ex hinc se potenter habere confidens, dum in obsidione castri Valeia duorum fratrũ qui in parte Ducis Heinrici steterant, incautè moraretur, Gvvelfo Ducis eiusdem frater collecto milite superueniens fortissime dimicando, cæsis ex vtraq; parte pluribus, multis captis, Leopaldum ignominiose fugere coëgit. Ipse vero Gvvelfo priuatum Ducatum iure hæreditatis ad se spectare perclamans, dum Iustitiã apud Regem impetrare non posset, ad rebellionem se parat. Ob hoc Rex circa idẽ tempus castrũ ei9 Vimsperch obsedit. Quẽ Gvvelfe collecto milite in proxima hebdomada Natiuitatis Domini, dum incautè pugna aggredi tẽtat, amissis aliquot, multis captis, cũ paucis fugit è prælio. Non multo post Leopaldus moritur, eiq; in Marchiã frater suus Heinricus de Austria successit. Cui Rex Saxoniã ingressus, pacemq; cum Saxonib. faciens, viduam Heinrici Ducis in vxorẽ dedit, eiq; Ducatum Noricũ concessit. Quæ res maximæ discordiæ seminariũ fuit. Gvvelfo enim, vt dictũ est, eundẽ Ducatũ impetens, extemplo armata manu sub oculis eiusdẽ Heinrici partes illas ingreditur, cunctisq; circũquaq; vastatis regreditur. Ob hocq; Heinric9 ille inflãmatus, coadunato milite fines illorũ, qui Gvvelfonis fautores erant, ingressus, munitiones illorum & villas destruxit. Qui dum Gvvelf restaurato milite occurrere parat, audito, quod Rex superuenturus est, cessit. Porro Heinricus ille similiter cum Rege castrum Cathouvve scilicet Comitis Cunradi, quod ex parte Gvvelfonis erat, obsidione clausit, vastatisque in circuitu vniuersis, adiutorio Regis

fort. Calouue, de quo supra.

Regis ad deditionem coëgit, ac igne succendit. Sic tota illa prouincia in maximo bellorum discrimine laborabat. Igitur Rogerius Rex Siciliæ audiens huiusmodi conflictationes in Gvvelfum & Regẽ, timẽs, ne fortè cessante geberra Conradus Rex quandoque Italiam intraret, ac eadem quæ à Lothario ab eo quoque perpessus esset, Gvvelfonem aduersus eundem muneribus illectum incitat, singulisq́ue annis mille marcas se ad hoc daturum iuramento confirmat. Item quoque Rex Vngariæ, eundem Conradum metuens, Gvvelf ad se accersiuit, dataq́; pecunia non modica ac deinceps omni anno dandam pollicens ad rebellandum nihilominus instigat. Gvvelfo itaque strenui militis officium exercens modo in Bauaria, modo in transalpinis partibus Sueuiæ, modo circa Rhenum, modo tot tempestates bellorum mouit, vt Regem potius ad defensionem sui, quam ad externarum nationum inuasiones excitaret.

Circa hás tempestates gens Francorum cum Rege suo Ludevvico, gens quoque Teutonicorum cum Rege suo Conrado aliisq́ue Principibus, Friderico Duce Sueuiæ, postea Imperatore, Episcopis, Comitibus, seu aliis cuiuscunque conditionis hominibus, pro querimonia transmarinæ Ecclesiæ Hierosolymitanum iter aggrediũtur: Quod & Gvvelfum Ducem, licet nondum sedata gvverra, ire compulit.

Egressi itaque anno Dominicæ Incarnationis M. C. XLVII. per Vngariam & Græciam innumerabilem exercitum ducunt: Qui totus pænè, exceptis Principibus seu aliis plus cautis, vel inedia vel aëris intemperantia, vel ciborum insolentia, vel Sarracenorum inuasione, infecto negocio, interierunt. In hoc ergo laborioso itinere Conradus

Rex

Rex commilitoni suo Gvvelfoni, sic enim eum nominare solebat, sæpissimè in necessitate subueniebat. Ac de omnibus, quæ à* Regioisto in Constantinopolitani Imperatoris sibi offerebantur, partē illi tradebat. Deniq; Hierosolymā venientes, cum alii procinctum sub Rege Conrado contra Damascum mouerent, Gvvelf in infirmitate captus ac in desperatione positus ad reuersionem se parat. *

Transito igitur mari conualescens Siciliam attingit. Ibi Rogerius eum cum magno domus suæ tripudio suscipiens, ac honorificè dimittens iterum ad rebellandum Regi maximis muneribus illectum incitat. Igitur reuersus in proxima hyeme circa Purificationem Sanctæ Mariæ collecto milite fines Regis inuadit, ac castrum eius Flochperch forti impugnatione sollicitans, dum in reuersione militem nimis incautè duceret, à militibus Regis circumuentus, ac aggressionibus initis, cum paucis aliis circumquaque diffusis, plus ex infortunio, quàm ex instantia belli, nostri fugam arripiunt, plurimisque captis nullo occiso ignominiosè reuertuntur. Ac sic gvverra diu anxiè inter ipsum & Regē agitata, finita est.

Nam Fridericus, fratruelis Regis, sororius eiusdem Gvvelfonis, medium se ad compositionem faciendam interposuit, captiuosq; Duci reddi ac Regem de cætero securum penes illum esse, prouida deliberatione confirmauit. Rex ergo accepto consilio Gvvelfoni aliquos reditus de fisco Regni cum villa Mardingen concessit ac sic confirmata pace ipse in breui post vita decedens Friderico fratrueli suo sedem Regni reliquit. Qui auunculo suo Gvvelfoni Marchiam Tusciæ, Ducatum Spoleti, Principatum Sardiniæ, Domum Comitissæ Machtildis in beneficio tradidit. Reditus tamen illos ad fiscum pertinentes, quorum iam mentionem habuimus, nihilominus recepit. Igitur dignitatibus

prenominatis susceptis Italiam intrat,ac ciuitates, castellā, seu villas per totā Domū Machtildis pertransiens, negocia terrę ciuiliter pertractat.Ibi legati de omnib ciuitatib. Tusciç,nec nō &ex omnib.ciuitatib.Spoleti ad eū veniētes ac munera cōdigna offerētes subiectionēvolūtariā promittūt. Cum quib. nuncios suos ad omnes ciuitates dirigēs, ac se in breui illo venturū promittēs, suis rite dispositis, reuertitur.

Cremonensi.

Post cum Imperatore collecta multitudine terrā ingreditur,ac in obsidione Cremensi vsq; ad destructionē eiusdem castri imoratur. Deinde totā militiā suā in Tusciam mouēs maximū conuentum apud sanctum Genesium habuit. Ibi Baronib.terrę illius VII. comitatus cū tot vexillis dedit,cæterisq; nihilominus de ciuitatib.seu castellis ad se confluentib.vnicuiq; quod suū erat tribuit;Simul & ipse sua, quę singulę ciuitates ad se iniustè contraxerāt, recepit.Deniq; cōuentu dissoluto Pisam in S.Sabbato cum maximo totius ciuitatis apparatu ingreditur,ac ibidem Pascha iocundissimè celebrans,egressus inde à Lucensib.nō minori tripudio suscipitur.Sicq; ab omnib. ciuitatib.ad quas declinauerat,honorificè susceptus atq; habitus negotia terrę potenter pertractās, suosq; vbiq; in castellis seu villis ad fiscū pertinētib. relinquens,vsq; Ducatum Spoleti procinctū mouet. Ibi similiter omnib. benè dispositis,filio suo Gvvelfoni terrā illā ac totā Italiā ad se spectantē comisit,ac de suis strenuissimos quosq; secū relinquens ꝑ vallē Tridētinā reuertitur. Gvvelfo igitur iunior terra potit⁹ cōstantia animi, districtione iudicij,largitate &affabilitate inęstimabili omnib.se acceptabilē prębuit:militib.Imperatoris,qui eo tempore ciuitatib. Italię prçerant, quotiescunq; fines suos iniusta oppressione inuadere tentauerant, omnimodis se opposuit; & ob hoc Imperatoris offensam nonnunquam incurrit: popularem autem fauorem eo magis sibi accumulans omnium ciuitatum in se prouocauit affectum.

DE

DE EXECRABILI PVGNA apud Tubingen.

INtereaHugoPalatinus comes deTubingen in comitatu, quem à patre iſtius poſſederat, quoſdam de miniſterialibus eius, iniuſto, vt aiunt, iudicio damnatos, patibulo ſuſpẽdit; ac caſtrum eorundẽ Moringen deſtruxit. Pro quo Dux Gvvelfo querimonia eum impetens, & pro ſatiſfactione humile ab eo reſponſum accipiens, vt erat mãſuetiſſimus, ab impetitione, licet querimoniam non deponeret, ceſſauit. Deinde procedente tempore pater filium de Italia reuocauit, ipſeq; illo iturus & negotia terrę per ſe tractaturus filio omne patrimoniũ & poſſeſſiones, quas ex parte matris habitur⁹ erat, ex integro tradidit; Sicq; factum eſt, vt recedẽte patre Gvvelf prędictam querimoniã renouaret, & Palatinũ illum pro ſatisfactione ſępius ac ſępius impeteret. Ille autẽ non tam in ſuis ſuorumq; virib. quam in Friderici Ducis filij Conradi Regis confidens, qui & eum ad hoc impellebat, quaſi bonę famę Gvvelfonis inuidens, & honeſtis actib. eius detrahens, reſponſionẽ contumacem ac minacẽ pro ſatiſfactione obtulit; per quam & animũ iuuenis ad rebellandũ incitauit, & toti Alamanię execrabile infortunium & infauſtã depopulationem machinabatur. Gvvelfo .n. ſibi illatam iniuriam amicis, cognatis, & fidelibus ſuis exponens, omnium animos in adiutorium ſibi cum optima voluntate aſciuit. Conueniunt ergo collecto milite Epiſcopi tres Auguſtenſis, Spirenſis, VVormatienſis; Bertholdus Dux de Zaringẽ; Bertoldus Marchio de Voheburch, Herimañus Marchio de Baden; Rudolphus Comes de Pfullindorf, Albert⁹ Comes de Habeſpurch, duo fratres Comites de Calevve, duo de Berge, Gotefrid⁹ cũ Rudolfo fratre de Romeſperch, Hartmannus de Kilichbergh, Heinricus de Feringen

Comites; Conradus Aduocatus Constantiensis cum cæteris terræ nostræ Maioribus, quinq; milibus & ducentis armatorum & eo amplius: & castra nō longe à Conigen circa vesperam sabbati VIII. idus septembris ponentes, dominicum diem in quiete & ocio deducere statuerunt. In aduersa autem parte Fridericus Dux cum omnibus, quos amore vel terrore excitare poterat, Zolrenses omnes cum magno apparatu ac alij quam plures erant, & militem suum coadunatum secum in castro locauerant, totaq; illa nocte alii orationi incumbebant, alii de satisfactione, & compositione anxiè tractabant. Sed Domino, qui omnium nouit corda, cuius & iudicia abyssus multa, aliter ordinante seu permittente terminatum est. Quidam enim de nostris, minùs prouidè ac parum præmeditantes euentum rei, cæteris ignorantibus, ac diem ocio deducere volentibus, castris circa horam VI. prorumpunt, & cum quibusdam de hostibus, qui simili temeritate à suis prodierant, prope castrum sub oculis inimicorum congrediuntur. Fit igitur clamor in castris, nostri prosiliunt, arma arripiunt, quiq; alios in quo poterāt, præuenire satagunt. Sicq; fit vt aliis præcurrentibus, aliis subsequentibus, plurimi confusim, & sine acie ad locum cōgressionis suis auxilium perueniunt.

Interim & hostes de Castello non minùs properantes locum sibi tutiorem eligunt, & nostris aditum difficillimum super ripam fluminis in modum vallis præsignant. Mox & multitudo nostrorum acie coadunata Heinrico Comite de Veringen aduolat, sed præ difficultate aditus per pauci ad locum cōgressionis transierant. Fortissime tamen ab his qui congressi sunt, per spacium duarum horarum pugnatū est, licet nullus vtriusq; partis excepto vno corruisset: adeo enim armis omnes muniti erant, vt multò facilius capi, quā occidi potuissent. Itaq; illis, vt dictum est, conflictum habētibus

tibus,cæteri fugam arripiunt, hostibusq; immeritam victoriam dantes,sibi ac posteris perpetuum opprobrium accumulant.Hostes igitur cognita fuga primo illos,qui cõgressi erant,paucis emersis captiuantes ad castrũ remittunt: Deinde alios insequentes velut oues de pascuis ad caulas propellentes,vt totam summam comprehendam,D. C C C C. captiuos cum maxima præda abducunt. Reliqui præsidio syluarum ac montium seu vicinorum castellorum effugiũt. Gvvelfo ad castrum Achalmen tribus tantum comitatus peruenit.

Eodem tempore Gvvelfo pater de Italia reuersus, audito quod acciderat,pro redimendis captiuis agebat. Hugo igitur inito consilio captiuos reddidit,& facta compositione,terra eius ab omni vastatione per annum quieuit. Transacto anno pax inter eos rumpitur, terra omnis circumquaque depopulatur, castra eius duo, Chelminzẽ scilicet & Inuallare destruuntur; in quibus de suis X L. captiuantur. Ille itaq; fractus animo propugnatorem suum Fridericum Ducem de auxilio interpellans ad Ducem Boëmiæ auxilij gratia ire compulit. Qui collecta multitudine Boëmos gentem horribilem ac Deo hominibusq; odibilem in fines nostros adduxit,totamque Germaniam à lacu Lemanno vsque Boëmiam execrabilibus spurcitijs illorum & turpissimis deprædationibus ac incendiis inter Epiphaniam & Purificationem sanctæ Mariæ commaculauit; anno videlicet ab Incarnatione Dom. M. CLXVI. Humiliata est & illico eiusdem Palatini contumacia. In feria enim I I I I. capitis ieiunii sub generali curia Vlmæ habita,in præsentia Ducis Heinrici Domini nostri sub oculis quoque ipsius Imperatoris ac Friderici Ducis, idẽ Hugo Gvvelfoni iuniori ad deditionẽ venit, ac se pedibus eius prosternens custodiæ mancipari, & vinctum abduci non respuit; & sic in captiuitate vsque ad

 obitum

obitum ipsius Gvvelfonis per annum scilicet & dimidiũ tenetur. In subsequenti verò Hyeme circa Epiphaniam Gvvelfo senior Hierosolymitanum iter aggreditur, & in Italia Imperatorem reperiens, ac filium suum cum omnibus ad se spectantibus gratiæ eius commendans, Pascha sanctũ apud Sepulchrum Domini celebrauit. Interea Imperator Gvvelfum iuniorem multis illectum promissionibus ad se in Italiã reuocat. Qui collecto milite sub Paschali tempore Pireneum per iugũ, * VII. montes, qui Rhenus & Oenus fluuium oriuntur, transcendens Papiam vsq; peruenit. Vbi legatos Imperatoris inueniens & stipẽdium ab eis promissũ recipiens, in Tusciam, negocia terræ vbiq; tractans, transiuit: & sic ad Imperatorem circa medium Iulium non longe à Roma peruenit. Eodem quoq; tempore pater eius Hierosolymis veniens, reuersus Romæ ei occurrit, ac visis Imperatoris detestabilibus piaculis, ipsum & omnem exercitũ detestans, ad propria per vallem Tridentinam reuertuntur. Imperator enim tanta eo tempore in destructione Ecclesiarum, in strage populorũ, siue alijs abominationibus Romæ exercuit, vt vindictam Dei iusto iudicio sequi oporteret. Maxima .n. pars exercitus interijt: Episcopi Coloniensis, ille qui totius mali huius nec non & schismatis diutini incentor fuit, Spirensis, Ratisponensis, Bragensis, VVerdonensis, Leodiensis; ac cæteri principes, Fridericus scilicet Dux filius Conradi Regis, Gvvelfo Dux filius Gvvelfonis Ducis, Benrengarius Comes de Sultzbach, Heinricus Comes de Cuningen, cum pluribus Regni huius Maioribus occubuerunt. Quorum omnium penè ossa carnibus per excoctionẽ consumptis, ad propria reducta sunt. Translata sunt autem & ossa Gvvelfonis nostri, & in monasterio Staingadem à patre suo fundato reposita sunt.

Hodie: Prenner.
Leg. septem montes, quibus Rhenus & Oenus fluuij oriũtur.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo

primo,

primo, Gvvelfo Dux senior iter Hierosolymitanum aggressus est. Tertio Calendas Aprilis.

Anno Dominicæ Incarnationis M. C IX. IV. Idus Ianuarij prælium iuxta Idungensheim inter duos Comites Rudolphum videlicet Comitem Bregantinum, & Hartimannum Comitem de Kilichberg commissum; Cæsis ex vtraq; parte plurimis, cruenta tandem Victoria Hartimanno cessit. Cecidit in eo conflictu VValtherus Comes, & alii complures.

Anno Dominicæ Incarnationis M. C XI. Expeditio Romam facta est per Heinricum V. in qua Paschalis Papa captiuatur.

Anno M. C X X I I I. translatio sancti Cůnradi facta est. VI. Cal. Decembris.

Anno M. C X I I I. Heinricus Dux iunior, qui postea in Saxonia humatus est, arma accepit.

Anno M. C X X I V. inceptum est Monasterium sancti Martini VVingartin.

Anno M. C X X V I I. Heinricus Dux senior cum coniuge sua VVulfildi, quæ XVI. tantum dies superuixit, obiit.

Anno M. C X X X V. Heinricus Dux filius Heinrici, postea Bauariæ & Saxoniæ Dux, in Pentecoste baptizatus est. Quo & in anno pater eius in secunda expeditione Lotharii Imperatoris soceri sui per Italiam in Apuliam mille ducentas loricas duxit.

Anno M. C X X X I X. Heinricus Dux qui in Saxonia humatus est, obiit.

Anno M. C X L. VVelfo Dux Leopaldum Ducem Bauariæ in Idibus Augusti pugna iuxta castrum Valeium aggressus vicit: ipse verò eodem anno in festo sancti Thomæ à Rege Cunrado apud VVinisperch deuictus est.

Anno

Anno M.C X L V I I. Iter illud Hierosolymitanum sub Conrado Rege nostro & Ludovvico Rege Francorum factum est.

Anno M.C L. VVelfo apud Flochperg cum principibus & militibus Regis Conradi conflictum habens deuictus est.

Anno M.C L I I. Fridericus regni gubernacula suscepit.

Anno M. C L I I I. diuortium factum est Constantiæ inter Fridericum & Adilam filiam Diopoldi Marchionis.

Anno M. C L I V. Fridericus expeditionem Romanã aggressus est, in qua Imperiali benedictione ab Adriano Papa sublimatur. In festo sancti Michaëlis recedens, & post annum in eodem tempore reuertens.

Anno M.C L V I I. Regni verò Friderici V I. nix magna & frigus insolitum circa Passionem Domini inhorruit, quod mortalitas hominum ad tempus, & exustio maxima per totam æstatem subsecuta est. Porro in ipsa die Kalendarii Iulii tanta seueritas grandinis, tantaque concussio ventorum inualuit, vt segetes circumquaque consumeret, robustiores arbores radicitus euelleret. In Altendorfensi quoque cœnobio campanas omnes vsque ad duas de minoribus confringeret, ædificia etiam castrorumque munitiones humo prosterneret.

f. Kalendarum.

Anno M.C L V I I I. Fridericus Imperator secundo expeditionem in Italiam imprudenter mouit, propter rebelles Mediolanenses. Sed quia ex leui eos itinere vincere nequiuerat, Principes qui relicti fuerant, sequenti anno subsequuntur; Heinricus videlicet Dux Bauariorum & Saxonũ circa Pentecosten, in mille ducentis loricis. VVelfo verò circa festum sancti Michaëlis in trecentis loricis Teuthonicorum, anno videlicet M.C L I X.

Sequenti

Sequenti anno, id est, M. C. LX. Dux Heinricus rediit ab expeditione.

Anno M. C. LXII. in festo Sancti Clementis dissidium factum est inter Heinricum Ducem & Vxorem suam Clementiam filiam Conradi Ducis Constantiæ. *al. anno 1167.*

Anno M. C. LXVI. deuastatio Boëmiorum sub Ducatu Friderici Ducis filij Conradi Regis in partibus istis facta est. *al. anno 1167.*

Anno M. C. LXVII. Gvvelfo secundo Hierosolymitanum iter persoluit: filiusque eius Gvvelfo eodem anno defunctus est.

Anno M. C. LXXII. Heinricus Dux Bauariorum & Saxonum Hierosolymitanum iter aggressus est circa Purificationem sanctæ Mariæ.

Anno M. C. LXXIV. Fridericus Imperator expeditionem tertio in Italiam mouit, circa festum sancti Matthæi: & in sequentis Paschæ vigilia conflictum cum Italicis habuit apud Alexandriam.

Anno M. C. LXXVI. in diebus Rogationum feria quarta fuga miserabilis, & deuastatio in partibus istis facta est, Episcopo Coloniensi, & Comite Flandriæ cum aliis quam pluribus hic transeuntibus, ab Imperatore in Italiam auocatis.

Anno M. C. LXXVII. Vnio Ecclesiæ sub Alexandro Papa reddita est.

Anno M. C. LXXX. infra festum sancti Galli & sancti Martini Fridericus Imperator habita curia Herphurt Ducem Saxonum & Bauariorum duobus annis bellis attritum exilij proscriptione damnauit.

Anno M. C. LXXXII. Indictione prima & *Idus Nouembris dedicatum est monasterium nouum sancti Martini VVingarten à venerabili Bernio Cōstantiensi Episcopo. *f. ad Idus.*

Leg. Anno M. C. LXXXIV. vti constat ex Godefr. monacho, Chron. August.

** f. scilicet.*

Anno M. CLXXX. vero filij Imperatoris Friderici *S. Heinricus Rex, & Fridericus Dux Sueuorum in Pentecostes Moguntiæ arma sumpserunt.

Eodem anno in Augusto Imperator sine armis Italiam ingressus est, & à Veronensibus cum maximo honore susceptus.

Sequenti dehinc anno Heinricus Dux Saxonum post festum sancti Michaëlis de Anglia reuersus est.

Suspectus numerus propter anteriores, & ea quæ Chron. sequens habet sub an. 1191.

Anno M. CLXXXI. VVelfo Dux illustrissimus VVingartensi cœnobio duas Curias hæreditario à se iure possessas contradidit, Berge videlicet & VVillare cum omnibus appendentiis suis, & omni vtilitatis prouentu, qui exinde prouenerit, pratis & nemoribus, pascuis, molendinis, aquis, aquarum decursibus; & insuper beneficia, quibus vasalli sui inbeneficiati erant, ea conditione dedit, vt ipsi iisdem beneficiis dum viuunt, vtantur, successores vero eorum, nisi secundum velle Abbatis & fratrum de his nihil hæreditabunt. Acta sunt hæc* Idus Augusti, regnante Friderico Imperatore serenissimo, in villa Mamigen testibus quam pluribus astantibus.

*

F I N I S.

CHRO-

CHRONICON

Eiusdem

VVEINGARTENSIS MONACHI,

A

CHRISTO NATO VSQVE AD annum 1197.

EX M. S. AVGVSTANO NVNC primum editum.

POST tempora consulum Monarchi in Romana Republica imperium obtinuerunt, primo Iulio Cæsare arripiente imperium, repetitusq; est Romę mos vni parendi, anno ab vrbe condita * DCCXX. vno, ab exactis vero Regibus D.LXXX. pro Rege Imperatore, vel sactatiori nomine, post Augusto appellato.

Primus Iulius Cæsar regnauit annis quinq; ; post quem Cæsar Augustus regnauit annis LVI. Cuius año quadragesimo* vero natus est Christus. Propterea anni, quib. regnauit Augustus ante natiuitatem Christi, id est anni XL.* vero non computantur ad summam, sed XIV. sequentes, quibus tempus ab Incarnatione Verbi colligimus:

Regnauit aũt quinq; annis Iulius Cæsar, à quo Cæsares.

Augustus Cæsar, à quo Augusti, qui non est passus Dñm se vocari. Hic Antoniũ & Cleopatrã vicit, & sub eo Herodes alienigena subintrauit, & Cyrinus in Syriam mittitur.

Videtur leg. quadragesimo secundo. Autographum fort. habuit XLII. exscriptor autem numeri binarij notam pro u. accipiẽs, vero, interpretatus est.
f. duo.

 Chri-

* Vitiosè.

Christus nascitur* anno LVI.

Tyberius priuignus Augusti, sub quo Pilatus Iudææ Procurator dirigitur.

Herodes Tetrarcha Ioannem Baptistam decollauit & Christus crucifigitur. Stephanus lapidatur. * r. a. XXIII.

Regnauit annis

Caius Caligula, sub quo Pilatus interfecit seipsum. Herodes Agrippa Rex constituitur. Matthæus Euangelium scribit. Regnauit annos III.

Claudius, qui & Tyberius. Dispersio Apostolorum facta est. Iacobus decollatur. Petrus incarceratur. Idem Romam venit. Marcus Euangelium scribit. Regnauit annos XIII.

Nero sororius Caligulæ, sub quo prima persecutio Ecclesiæ. Petrus & Paulus Romæ necantur. Marcus Euangelista coronatur. Regnauit annis XIII. Lucas Euangelium scribit.

Vespasianus. sub quo Hierosolyma euertitur. Iosephus captiuatur. regnauit annos 8.

Titus regnauit annos 2. filius superioris.

Domitianus frater prioris, sub quo persecutio* vero orta est. Ioannes in Patmos relegatur. Regnauit annos XV.

* fort. secundo. video illud vero pro secundo vsurpari passim in hoc m. s.

Nerua, qui dicitur Pius. Ioannes Ephesum rediit cum cæteris. Regnauit annum I.

Traianus. Ioannes obiit. Persecutio III. orta est, sub qua Clemens Papa & Alexander Hermes, Nereus & Achilleus passi sunt. r. an. XIX.

Ælius Adrianus. Hic Hierosolymam reædificauit. Aquila interpres fuit. r. a. XXI.

Antoninus pater cum filiis regnauit annos XXII.

Marcus Antoninus Verus cum fratre Aurelio, & post cum filio Lucio Antonino. Persecutio quarta orta est. Polycarpus presbyter patitur, Regnauit annos XIX.

Lucius

Lucius Antoninus Commodus post mortem patris, sub quo Theodocion interpres. r. a. XIII.

Ælius Pertinax regnat menses VI. Iulianus Iurisperitus. r. menses VII.

Seuerus Pertinax. Symmachus interpres. Persecutio V. orta est, in qua Perpetua & Fælicitas passæ sunt. reg. annos XVII.

Balbinus Iuliani socius. Sub quo Narcissus Episcopus. regnauit annos V.

Antoninus Caracalla Seueri filius. Thermæ Romę conduntur. r. annos VII. Quinta editio habetur.

Macrinus qui & Opilius. regnauit annum I.

M. Aurelius Antoninus Eliogabalus, sub quo editio VI. r. an. 4.

Aurelius Alexander filius Mammeæ. Origenes claruit Romæ. Coronantur Calistus, Papa Vrbanus, Cæcilia, Tiburcius & Valerianus, Palmatius, Calipodius, Gordianus. regnauit annos XIII.

Maximinus Iulius sub quo persecutio sexta. Regnauit annos III.

Gordianus. regnauit annos VI.

Philippus cum Philippo filio. Hic primus Imperator Christianus. r. a. VII.

Decius sub quo persecutio VII. Romæ. Coronatur Fabianus, Papa Cornelius, Abdon & Sennes, Sixtus, Laurentius, Hippolytus, Stephanus Papa. Antonius monachus claruit. r. a. III.

Gallus cum Volusiano filio. regnauit annos XV.

Æmilius regnauit menses III.

Galicius cum filio regnauit annos VII.

Valerius cum Gallieno filio regnauit annos XV. Cyprianus coronatur.

* *Gennus* regnauit annos decem.

Postumus r. a. x.

Claudius sub quo persecutio v i i i. Quintillus frater eius regnat dies x v i i.

Aurelianus primò quidem clemens. Persecutio i x. orta est. r. annos v.

Tacius vel Tacianus, sub quo Vincentius & Gregorius passi sunt.

Florianus regnauit menses i i. & dimidium.

Prusbo. r. a. v i.

Carus cum Caricio & Numeriano filijs regnauit annos i i.

Diocletianus & Maximianus Herculius. Persecutio exorta est, in qua diuinis libris adustis, plures passi sunt, Agatha, Cyriacus, Sebastianus, Pancratius, Marcellinus, Primus, & Foelicianus, Agnes, Mauritius, Vitus, Afra, Lucia. Regnauit annos x x.

Constantius cum Valerio Maximo regnauit a. x v i.

Corasius regnauit annos v i i.

Maximinus & *Seuerus* regnauit v i i i.

Constantinus Constantii ex concubina Helena filius. Hic Constantinopolim sedem regni fecit, & dimisit sancto Syluestro Romam. Synodus fit. Nicolaus claruit. Regnauit annos x x x.

Constantius cum Constantino & Constante fratribus; filij Constantini. Regnauit años xxiv. Athanasius & Hilarius claruerunt.

Iulianus Apostata regnauit annos i i. sub quo Basilius & Gregorius.

Iouinianus Pannonius Christianissimus, sub quo Athanasius. Episcopi reuocantur. regnauit menses viii.

Valentinianus cum Valente fratre, qui & ipsi Pannonii.

Iste

Iste Valens fuit hæreticus, cuius gratia Gothi Arriani fiunt. regnauit annos x I. Ambrosius, Maximus, Hieronymus claruerunt.

Valens post mortem fratris cum Gratiano & Valentiniano filiis fratris regnauit annos IV. Hermanaricus Gothorum Rex claruit.

Gratianus cum Valentiniano post mortem Valentis r. a. VI. Gratiano Romæ Gothi subiecti sunt, mortuo eorum Rege Athalarico. A Valentiniano expulsi sunt Franci à Sicambria. Postea Gratianus Theodosium Hispanum in regni consortem assumpsit.

Theodosius post mortem Gratiani regnat annos x I. Augustinus Episcopus, Ioannes Chrysostomus, Oroosius presbyter.

Arcadius & Honorius filii Theodosii regnant annos XIII. Alexius confessor.

Honorius defuncto Archadio cum Theodosio filio fratris regnat annos x v. VVisigothi sub Alarico Rege eorum, rupto fœdere, Romam irrumpunt. Corpus Stephani protomartyris reuelatur.

Theodosius fili⁹ Archadii Honorio defuncto regnat annos x x VI. Augustinus & Briccius Episcopi obierunt.

Valentinianus filius Constantini regnat annos x II. Hic fuit filius sororis superiorum. Athila Hunnorum Rex & Theodoricus VVisigothorum Rex. Paulinus Episcopus.

Martianus & Valentinianus regnauit annos VII. Geisericus VVandalorum Rex secundo cum suis Romam irrupit. Athila Hunnorum Rex cum Romanis bello congressus est, in quo Theodoricus VVisigothorum Rex occubuit.

Leomaier r. a. XVII. Hic Theodoricum Theodmari

filium

filium ab Ostrogothis obsidere accepit. Remigius Episcopus claruit.

Quitus Romæ. *Zenon* cum Basilisso Constantinopoli regnauit annos II. solus XV. Theodoricus Rex Ostrogothorum extitit.

Maiorianus Ro. r. a. IV.

Seuerus. Anthemius Ro. Hos Leo Imperatores fecit, quorum vterque occiditur, Imperante Leone r. fuerunt Olibrius menses VII. Glycerius annos II.

Nepos Patricius *Anastasius* regnat constanter annos XXVIII. Hic Clodoueo, qui Ludevvicus dicitur, Francorum Regi consulatum obtulit. Olybrius Ro. menses VII. r. Fulgentius Episcopus claruit.

Iustinus senior Illyricus verus Christianus regnat annos XI. Benedictus Abbas claruit. Cassiodorus & Boëtius Seuerus, Dionysius Abbas.

Augustulus. Hic Zenone Augusto XI. mense deposuit regnum Romanum.

Odoacer. Iste Odoacer genere Rugus cum procinctu veniens Romam subegit. Theodoricus, qui occiso Odoacro regnauit. Zenon Augustus Theodorico Theodmari filio, Ostrogothorum Regi Imperiū Rom. permisit. Theodoricus iste Arrianus Symmachum patricium Boëtium, & Ioannem Papam in vinculis fame necauit.

Athalaricus Nepos prioris ex filia Rom. r. Hic à suis occiditur.

Iustinianus Iustini ex sorore nepos constanter regnauit annos XXV. Sanctus Remigius migrauit. Lotharius Rex Franciæ, Totila Rege occiso VVandali in Affrica extinguuntur. Priscianus Grammaticus. Iste Iustinianus Rempublicam factis & dictis reparauit.

Theo-

Theodatus Rom. r. Hunc Belisarius ab Augusto missus interfecit. Vitigus. Hunc idem captiuum Constantinopolim misit. Hic Iustinianus reduxit Imperium superato VVitigi per Belisarium,& deinde Totila per Narsetem interfecto,qui illi successerant.

Iustinus minor regnauit annos XXI. Armenij fidem suscipiunt. Sanctus Vedastus. Hilpericus Rex f. Thotila iste Rex Gothorum Romam occupauit. Hunc Narses Patricius missus à Iustino minore, auxilio Longobardorum interfecit.

Tiberius Constantinus largus pauperibus.regnauit annos VIII. Longobardi Italiam inuadunt. Gregorius claruit.

Mauritius Capadox regnat annos XX. Gothi Catholici fiunt & Angli. Columbanus Abbas, Gallus & alij.

Focas regnat annos VIII. Persæ superant Romanos.

Heraclius. Crux Christi exaltatur. Isidorus. Gallus cellam construxit. Sanctus Osvvaldus. r. Lotharius filius Hildperici. r. Regnauit autem Heraclius annos XXVI.

Heraclonas regnauit annos II. Filius Heraclij cum matre sua Macrina.

Constantinus filius Heraclonæ nepos Heraclij Augusti regnauit menses VI. Glodoueus r. & Sigibertus.

Constantinus filius Constantini regnat annos XXVIII. sanctus Osvvaldus à Penda Rege occiditur.

Constans filius Constantini superioris regnat años XVII. Sanctus Lampertus Episcopus.

Iustinianus minor filius Constantini regnat annos X. VVillibrordus Episcopus. Sanctus Kilianus.

Leo Leoncius r. annos III. Ludevvicus, qui & Clodoueius. Pippinus Ansigisi filius Maior domus: cuius filia sancta Gerdrudis.*Günpertus Episcopus claruit.

*al. Gudpertum.

Abimarus, qui & Tiberius regnat annos VII. Beda presbyter.

Iustinianus secundo cum Tiberio filio regnat annos VI. Hyltipertus Rex filius Theodorici, & Dagobertus iunior.

Philippicus qui & Bardanicus r. annum I.

Anastasius qui & Arthemius verus Christianus regnauit annos III.

Carolus Tutucles, Maior Domus, magni Caroli auus Sueuiam subiugauit.

Theodosius regnauit annum I. Romæ ex inundatione Tiberis Letaniæ instituuntur.

Leo filius Constantini Syrus & impius r. annos IX. VVünfridus qui & Bonifacius Archiepiscopus. Othmarus Abbas. Pirminius Episcopus. Theodoricus Rex filius Tagoberti.

Constantinus Leonis filius r. annos XXVII. Burchardus & VVilibaldus Episcopi. Rődpertus Episcopus. Fuldēse cœnobium fundatur. Pippinus filius Caroli Rex Francię.

Leocazarus filius Constantini regnauit annos V. Corbinianus Episcopus Frisingensis. Andogarius primus Campidonensis Abbas.

Carolus Magnus Rex Franciæ.

Constantinus cum matre Hyrene regnauit annos XIV. Hic consilio matris excæcatur. Carolus Magnus Patricius Romæ fit.

Hyrene sola regnauit annos V. Carolus ex patricio Rom. Augustus factus coronatur. Hyrene dum pace facta Carolo nubem posuit, eiecta est.

Anno ab Incarnatione Domini D. CC. LXXVIII. sub hoc tempore Imperium Romanum ad Reges Francorum

rum translatum eſt, Carolo magno filio Pippini Regis primo Imperatore facto: In Conſtantinopoli vero regnum ſolo Imperij nomine permanſit, & poſt Hirenen Nicephorus, qui & Theophilus imperium arripuit.

Carolus Magnus regnauit annos XLVII. Imperij XIV. Brema conſtituitur. & Dacia conuertitur à ſancto Wilibrordo.

Ludovvicus Magnus, qui & Pius Caroli magni f.r. annis XXVII. Qui Eccleſias ditauit. Huic ſucceſſerunt IV. filij.

Anglardus Epiſcopus Sueuos conuertit. *Anſgardus.*

Welfo primus pater Iudith. Hanc idem Ludevvicus defuncta vxore ſua Irmingarda, ex qua III. filios, Lotharium, Pippinum, & Ludevvicum progenuit, duxit vxorem; quæ genuit Carolum Caluum, qui in diuiſione Imperij Regnum Franciæ obtinuit. XLV. ann. poſtea Imperator ann. III.

Lotharius filius Ludevvici III. imperat annis XVII. in Italia. Carolus Caluus in Francia ſiue Gallia regnat. Ludevvicus in Alemannia ſiue Germania, Pippinus in Aquitania. Hi quatuor fratres filij Ludevvici III. Imperium diuiſerunt. Corpora ſanctorum Martini & Remigij transferunt. Rabanus claruit, & Maginardus heremita.

Ludevvicus filius Lotharij cum fratribus Lothario, Carolo, Pippino regnauit annis XXXVI.

Carolus minor filius Ludevvici cum fratribus Carolomanno & Ludevvico regnauit annis XI. Eticho filius VVelfonis.

Arnolfus filius Carolomanni r. a. XII. Salomon Abbas & Epiſcopus Conſtantienſis. Vngari Italiam vaſtant.

Ludeuuicus filius Arnolphi r. a. XII. Heinricus filius Etichonis, pater sancti Conradi primus fundator Altorfensis cœnobij.

Cunradus filius Cunradi principis r. a. VII. Vngari Saxonia & Turingia inuasis.

Heinricus filius Ottonis Ducis Saxonum r. a. XVI. Sanctus Vdalricus & sanctus Cunradus Episcopi claruerũt. Rudolphus princeps filius Heinrici frater sancti Conradi Episcopi.

Regnum Theutonicorum cœpit ex hinc.

Otto Magnus filius Heinrici r. a. XXXIX. Parthenopolis construitur.

Otto filius prioris, r. a. IX.

Otto filius eius r. a. XVIII. Nogger Abbas claruit.

Heinricus Dux Bauariæ r. a. XXIII. Sub hoc tempore Rauenspurg construitur. Babinberg construitur. Russi, Poloni & Vngari Christiani fiunt.

Cunradus Francus r. a. XV. Stephanus Vngariorum Rex piæ memoriæ obiit. Spira conditur. Bruno Augustensis Episcopus, & VVelf Rudolphi filius confligentes.

Heinricus pius filius Cunradi. r. a. XVII.

Herimannus Contractus claruit. VVelf Dux Carinthiæ, filius VVelfonis frater Chounihæ, quam duxit Azzo Marchio Italiæ, Baldenvvinus Comes Flandriæ incendia faciunt.

Heinricus filius Heinrici pij r. a. XLIX. Hierusalem à paganis capta est. Alexius Constantinopolitanus. Welf Dux Noricorum filius Chornihæ & Azzonis.

Heinricus filius superioris r. a. XVIII. Qui patrem eiecit, & Paschalem Papam captiuauit.

Ioannes Comnenus.

* Kalo Ioannes Imperator Græcorum. Heinricus & Dux Welf Duces Bauariæ filij VVelfonis.

Hie-

Hierusalem Franci Duce Gothefrido liberant anno ab Incarnatione Domini M. xcix. Lotharius regnauit annos viii.

Emanuel Græcorum Imperator. Heinricus Dux Saxonum & Bauariæ, filius Heinrici & VVelf frater eius.

Cunradus filius sororis Heinrici Regis r. a. xv. Huic præfati Duces prope ad finem restiterunt. Sub hoc expeditio Hierosolym. facta est anno ab Incarnatione Domini M. C. XL. Vnde pro querimonia transmarinæ Ecclesiæ propter immanitatem impiissim illius sanguinis. Huius expeditionis principes erant Rex ipse Conradus, Rex Franciæ Ludevvicus, Dux Sueuiæ Fridericus filius Friderici Ducis fratris Cunradi, Regis, postea Imperator; Gvvelf Dux Heinrico fratre iam defuncto; Heinricus frater Regis; Cunradus tunc Dux Bauariæ; Episcopi plures cum Comitibus & diuersis hominibus.

Fridericus filius Friderici Ducis & Luduitæ sororis VVelfonis r. anno ab Incarnatione Domini M. CLII. Hic a-uunculo suo VVelf Marchiam Tusciæ, Ducatum Spoleti, Principatum Sardiniæ, Domum Comitissæ Machtildis in beneficio tradidit: & Heinrico Duci Saxonum, filio Heinrici auunculi sui Ducatum Bauariæ; Patruo suo Heinrico de Osterich ablatum restituit; tali compositione facta, vt quo prius Marchia, ex hinc Ducatus per se consisteret. Hic secundo expeditione in Italiam facta contra rebelles Mediolanenses, turrib. tandem ciuitatis depositis eos subegit, anno Regni sui vii.

Eo anno defuncto Adriano Papa, schisma inter Alexandrum & Octauianum cœpit.

Orta demum gevverra idem Imperator Heinricum Ducem Saxonũ & Bauariorum filium auunculi sui & VVelfonis fratruelem duobus annis bellis attritum ablato vtroq;

Ducatu, nec non beneficiis & prædiis exilij proſcriptionẽ damnauit.

Sub hoc etiam Saladinus Rex Babyloniæ omni Palæſtina occupata ipſam Chriſti vrbem Hieruſalem cepit anno ab Incarnatione Domini. M. C. LXXXVII.

Anno dehinc tertio circa feſtum ſancti Georgij Imperator Hieroſolymos expeditionem mouit cum filio Friderico Duce Sueuorum & Epiſcopis & Comitibus, & innumerabili multitudine electorum militum. Tranſiens autem hyemauit in Græcia; & circa Paſcha cum omni multitudine tranſuectus brachium ſancti Georgij, quod eſt mare Propõticum, cum incredibili periculo ſuorum tandem circa Pentecoſten venit Iconium. Qua ſubacta & omni recreato exercitu cum ſumma alacritate ceptum iter aggreditur. Sed occulto Dei iudicio inter montes Ange lacrimabili obitu vita priuatur anno Regni.... Huius vero filius Dux Fridericus Princeps totius exercitus conſtitutus Antiochiæ veniens carnem quidem patris honorificè tumulauit, ſed oſſa vſque Accaron tranſtulit, vbi & ipſe cum multis nobilibus migrauit.

Heinricus filius Friderici Imperatoris regnauit anno ab Incarnatione Domini M. CXCI.

Anno M. C. XCI. XVIII. Cal. Ianuarij Gvvelfo nobilis Altorfenſis, Principum noſtrorum illuſtriſſimus, Heinrici Ducis videlicet & VVoulfhildis filius carne ſolutus migrauit à ſeculo; in quo nobilitas Altorfenſium non mediocriter completa deſiit. Innatam ſiquidem nobilitatem virtutum ampliauit moribus: ſæculari etiam dignitate pleniſſimè præditus: circa ſtatum ſpiritualis vitæ ſumma vigilare ſtuduit diligentia. Quid plura? Quotidie pauperum comminauit expenſas, atque donis munificen-

tiæ

tiæ ſuæ Monaſteriorum vel Eccleſiarum diſcretè ſuppleuit indigentiam. Monaſterio etenim VVingartenſi principaliter à parentibus ſuis fundato ſpeciali condeſcendit beneuolentia, & fratribus Deo & ſancto Martino ibidem ſeruientibus inter alia beneficia tradidit Berge & VVillare cum non modica familia, & ſuis appenditiis. Fratribus etiam in Augea pro remedio animæ ſuæ contulit prædium in Fidanshouen. In montanis etiam clauſtrum Steingadin à primaria fundatione conſtituit, quod ſuæ prouidit ſepulturæ, quod & conſecratione & multa dote ditauit. Quibus ex ordine rerum ita diſpoſitis nobile patrimonium cum prædiis nec non Aduocatiis & Miniſterialibus Friderico Romanorum Imperatori, filio videlicet ſororis ſuæ & filio illius Friderico Duci Sueuorum ſub iure poſſeſſionis contulit. Quibus in expeditione Hieroſolymitana mortuis idem VVelfo propter innatam familiaritatem & conſanguinitatis lineam prædictorum patrimonium cum omnibus ſuis pertinentiis Heinrico illuſtri Romanorum Imperatori ſub hæreditaria poſſeſſione contradidit.

Diffuſa latè VVelfonum nobilitate,
Nomine poſtremus obit & virtute ſupremus:
Sublato fatis hoc principe nobilitatis
Gloria multorum ruit, & lux aurea morum:
Plangant orbati vitam Ducis incinerati;
Mortis in edicto qui viuimus ordine fixo
Labimur vt fœnum, cum florem perdit amœnum.

Anno ab Incarnatione Domini *M. C. XXI. *Heinricus* Imperator Friderici Imperatoris magno electorum militum comitatus exercitu circa mediam Quadrageſimam Romam ingreſſus eſt, & à Domino Apoſtolico Cæleſtino in ſecunda feria Dominicæ Reſurrectionis glorioſè conſecratus: Roma vero digrediens cum eodē exer-

* *leg.* 1191.

exercitu Apuliam infestaturus adiit, & obtentis quibusdam castellis circa mensem Augustum Neapolim obsidione vallauit; vbi maximum exercitus consecutus est infortunium. Nam ex insolita corruptione aëris cecidere quique maiores & nobiles, adeoque excreuit pestis illa miserabilis, vt idem Imperator amissis viribus languesceret, & relicta obsidione per montana rediens mortalitatem illam quodammodo declinando vix euaderet. Transiens ergo per terminos Alemanniæ VVelfonem illustrem cognouit occubuisse, cuius omne patrimonium suo mancipauit dominio.

Eodem anno Leopaldus Dux Austriæ Richardum Regem Anglorum à mari ignotis in partibus præcipitatum captiuauit, & quandam habens de eo trāsmarini negocij querimoniam Imperatori tradidit: sed inter se facta compositione, idē Rex à Domino Imperatore satis honestè dimissus est.

Circa terminum autem eiusdem anni Heinricus Imperator casum primæ expeditionis animo reuoluens, Apuliam consultius disponit inuadere, edictaque Imperiali Curia, cunctosque sui Regni conuocauit principes; illisque paratis ad arma secunda in Apuliam iuratur expeditio, atq; larga militibus dantur stipendia.

Anno M. C. XCII. Heinricus Imperator coadunato milite circa Ascensionem Domini montana transcendit & à Mediolanensibus cum maximo gloriæ apparatu susceptus potenti manu totam sibi subiugauit Apuliam. Palernam quoque metropolim Siciliæ obtinuit. Atque Margaritam piratam pessimum cum aliis perfidis captiuatum rediens ante se præmisit.

Panormum, quæ nunc vulgo Palermo.

Vtroq; igitur regno tam Romanorum, Siciliæ in pace disposuit, Imperator gloriosus Hierosolymitanum cœpit iter

ter disponere. Pollicitisque non modicis stipendiis multos accendit, ad redimendam ciuitatem Domini.

Infra idem tempus Chunradus illustris Dux Sueuorum mota gvverra aduersus Bertholdum Ducem Zāringēsem, omnes regni istius pænè commouit prouincias. Sed eodē Bertholdo in magno terrore posito morte præuētus in mēse Augusto occubuit. Pro cuius requie ministerialibus & hominibus suis mediantibus non parua cœnobiis donata sunt allodia. Inter quæ monasterio VVingartensi collatum est prædium in Beengartin cum Ecclesia & omnibus appenditiis nec non familia.

Heinricus Romanorum Imperator in Apulia positus, audito tristi rumore, vltra quam credi potest, animo consternatus est, quippe cuius mœstitia ex tanti viri & fortis amissione vix alleuiari poterat. Demum consumpta consolatione, Philippo fratri suo penes se posito Ducatum Sueuiæ concessit. Qui quamuis puer, partes istas ingrediens, terram satis strenuè rexit, Herena filia Regis Græcorum assumpta in matrimonium, quam pridie Imperator deuicto Palerno filio Dancredi desponsatam illi copulauit.

Anno ab Incarnatione Domini M. CXCVII. Philippus illustris Dux Sueuorum conuocatis cunctis terræ istius Principibus nec non adducta vxore in insigni equitatura in Pentecosten gloriosè arma sumpsit, in loco qui Cōcio legum dicitur. Transacto postmodum aliquanto tempore assumptis iterum terræ Maioribus, nobili militum apparatu Dominum & fratrem suum visitare volens, transmontanas partes adiit, vbi infausto quodam exagitatus omine, vt in sequenti linea videbitur, difficulter rediit.

Anno ab Incarnatione Domini M. C. XCVII. Heinricus Imperator regnum totius Siciliæ, Apuliæ & Calabriæ potenti manu nullo resistente tenuit. Sed postquam

multas indigenarum, vt aiunt, euasit insidias, post depositos terræ illius præfectos & Tyrannos, post direptas munitiones & castella morte interueniente diem clausit extremum.

Eximium sydus lucens assidere refert
Quod factor sydus stellis hoc munere præfert
Ætheris infixa solio stat clarius vna
Cornibus innixa, noctis fugat abdita Luna.
Sydera regali sata partu quina ruere,
Lege pater tali, genitrix Sol, Luna fuere.

FINIS.

ANNALES
HEINRICI STERONIS MONACHI ALTAHÆ INFERIORIS, IBIQVE CAPELLANI,

AB ANNO M. C. LII. QVI EST PRIMVS FRIDERICI I. IMP.
vsque ad Rudolphum Habspurgium ad annum videlicet 1273.

EX

CODICE MANVSCRIPTO AVGVstani Monasterij SS. Afræ & Vdalrici editum,

MVLTIS PARTIBVS AVCTIVS.

AD LECTOREM.

ET hunc codicem m. s. ex Augustano Monasterio SS. Afræ & Vdalrici communicauit mecum M. Velserus vir nobilitatis & reconditæ eruditionis laude celeberrimus. Editi quidem sunt hi Annales Francofurti. Sed noster m. s. codex habuit multis partibus copiosiores & auctiores, eoq; nomine Germanicarum rerum Studiosis exoptatissimos. Qui conferre has duas editiones voluerit, deprehendet in Francofurtensi quædam esse, quæ in nostro m. s. absunt, eaq; fere sunt de rebus Augustani Monasterij, quæ à Monacho Augustano addita manifestum est: quale est illud initio: In capitulo nostro sepultus est Augustæ, &c. *quæ non à Sterone Altahensi monacho, sed ab Augustano dici potuerunt. Propter hæc editio Francof. hos annales dat nomine* Chronicæ Augustensis, insertis, *vt ait*, rebus Bauaricis & inter alia cœnobij Altahæ inferioris per Heinricum, vt verisimile est, Steronem. *In qua editione subsequenti parti horum annalium, ab anno videlicet 1266. expresse nomen auctoris Heinrici Steronis adscriptum est. In nostro vero m. s. hæc non separata pars est, sed eiusdem manus. Vnde & nomen Steronis, quod in nostro m. s. nullum erat, apposui. Varias lectiones, quæ in Francof. editione, in oram aliquas conieci.*

ANNA-

ANNALES

HEINRICI STERONIS ALTAHENSIS,

EX M.S. CODICE AVGVSTANO.

1.

ANno Dominicæ Incarnationis M.CLII. Fridericus primus Friderici Sueuorum Ducis filius, fratris scilicet Chunradi Regis, natus ex clarissima progenie Carolorum, post Chunradum tertium patruum suum, apud Franckenfurt communi voto & consultu omnium principum ad imperium est electus, nonagesimus quartus ab Octauiano Augusto. Hic in principio regni sui omnium Theutonicorum fauorem habens, per districta iudicia pacem optimam fecit, in omnibus partibus regni sui. Italiam rebellem fortitudine sua premit. Cremonam, Mediolanum, Bononiam, Placentiam, Brixiã, Terdonam, Veronam, Spoletum, & alias ciuitates sua potẽtia sic deuicit, vt Mediolanũ, Cremonam, & quasdã alias vrbes Italię omnino destrueret. Ciuibus eorũ quibusdã occisis, quibusdam in exiliũ relegatis. Nam septem vicibus de Almannia duxit exercitum cõtra ipsos. Ab Adriano Papa Imperator consecratur. Sed postea inter eum & ordinatorem suum Adrianũ quartum, ac successorem eius Alexandrum tertium grauissima oritur dissensio; ita vt Octauianus (qui & Victor) & post hunc Gvvido (qui & Paschalis) contra prædictum Adrianum ex parte Cæsaris Romani Pontifices constituerentur. Inualuit autem in tantum ista dissensio, vt quasi per XX. annos plures Archiepiscopi & Epi-

ſcopi fauentes & obediẽtes Dño Adriano, ab Imperatore propriis ſedib. pellerẽtur, indigniorb. ſubſtitutis. Plures etiã Principes Laici detrimentum honoris ſui & rerum in hoc ſchiſmate pertulerunt. Heinrico etiam Duci Saxoniæ, filio illius Heinrici Ducis Bauariæ à Chunrado anteceſſore ſuo eiecti à Bauaria, conſilio & rogatu Principum, Ducatum paternum reſtituit Noricorũ; & Heinricum patruum ſuũ Marchionem Auſtriæ, tunc Ducẽ Bauariæ, ab eodem Ducatu remouit. Et quia eiuſdẽ Marchionis magna nobilitas & multa exigebat honeſtas, vt nomen Ducis nõ perderet, & Duces Bauariæ minus deinceps contra Imperium ſuperbire valerent, Imperator de voluntatẽ & conſenſu Principum in Curia Ratiſponæ habita An. Dom. M. C. LVI. Marchionatũ Auſtriæ à iuriſdictione Ducis Bauariæ eximẽdo, & quoſdã ei Comitatus de Bauaria adiungendo conuertit in Ducatum. Iudiciariam poteſtatẽ Principi Auſtriæ, ab Anaſo vſq; ad ſyluam ꝓpe Patauiã, quæ dicitur Rotenſal protendendo. Nam huculq; quatuor Marchiones Auſtriæ & Styriæ, Iſtriẹ, Cambenſis, qui dicebatur de Vohburg, euocari ad celebrationem Curiæ Ducis Bauariæ veniebãt, ſicuti hodie Epiſcopi & Comites ipſius terræ facere tenentur. Si igitur ille Heinricus factus eſt primus Dux Auſtriæ. Poſt hæc cũ cuncta ſibi ſubiugauit Imp. Friderici potentia, Heinricus Dux Bauariæ & Saxoniæ, qui iã quaſi per viginti quatuor annos diſtrictus & optimus iudex ſuos rexerat principatus, viſus eſt Imperatori nõ fidelis fuiſſe, nec contra Lambardos bonus adiutor: per ſententiam Principum ab Imperatore proſcribitur, & ab honorib. ſuis deponitur, eiq; Otto Comes Palatinus Bauariæ de Schira per Imperatorem ſubſtituitur in Ducatu Noricorum.

E. Roſental. al. Rotenſela.

An. D. M. C. LXXX. Poſt multas itaq; victorias & prælia, pace in regno Teutonicorum per ſua tempora florente cõtra inimicos Crucis mouet exercitum in ſubſidiũ terræ ſanctæ, & cum eo vadit Teutonicorum & aliarum gentium multitudo

maxi-

maxima, vbi cum in Græcia in quodã paruo riuulo se lauaret, circa solstitium æstiuale in eodem occulto Dei iudicio est submersus, & exercit⁹ sui, & peregrinorum magna pars ex intemperie aëris interiit, anno Dom. M. C. XC. cui successit Heinricus filius suus, nominis illius V I.

M. C. L I I I. Eclipsis solis accidit.

Eugenius Tertius Papa obiit. Anastasius I I. succedit & eodem anno obiit.

Altahensis Abbatia subiicitur Ecclesiæ Babenbergensi.

M. C. L I V. Adrianus I V. Papa sedit.

M. C. L V. Hartvvicus Saltzburgensis Canonicus fit Episcopus Ratisponensis.

Fridericus Rex in Italia aliquot vrbes diruit, & Romam veniens Imperator consecratur.

Otto Palatinus Comes obiit.

M. C. L V I. Fridericus Imperator Roma rediens Curiam Ratisponensem habuit, & restituto Ducatu Bauariæ Heinrico Duci Saxoniæ, Marchionatum Austriæ in Ducatum mutauit. Ex quo facto multum est diminutus honor & potentia Ducum Bauariæ, sicut patet in priuilegio Imperij hic transscripto.

Extat plenius in Austria Cuspiniani.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus. Quanquam rerum commutatio ex ipsa corporali institutione possit firma consistere, vel ea, quæ legaliter geruntur, nulla valent refragatione conuelli, Ne qua tamen possit esse gestæ rei dubietas, nostra debet Imperialis authoritas præcauere.

Nouerit igitur omnium Christi Imperiique nostri fidelium præsens ætas, & successura posteritas, qualiter nos eius cooperante gratia, à quo cælitus in terra pax est missa hominibus, in Curia generali Ratisponensi in natiuitate sanctæ M A R I Æ Virginis celebrata, in præsentia mul-

multorum religiosorum & Catholicorum Principum litem & controuersiam, quæ inter dilectissimum patruum nostrũ Heinricum Ducem Bauariæ, & carissimum nepotem nostrum Heinricum Ducem Saxoniæ, diu agitata fuit de Ducatu* Bauariæ, hoc modo terminauim⁹, quod Dux Austriæ nobis resignauit Ducatum Bauariæ, quem statim in beneficium concessimus Duci Saxoniæ. Dux autem Bauariæ resignauit nobis Marchiam Austriæ, cum omni iure suo, & cum omnibus beneficiis suis, quæ quondam Marchio Luipoldus habebat à Ducatu Bauariæ. Ne autem in hoc facto minui videatur honor & gloria dilectissimi patrui nostri, de consilio & iudicio Principum, VVadizlao illustri Duce Boëmiæ sententiam promulgante, & omnibus Principibus approbantibus, Marchiam Austriæ in Ducatum commutauimus; & eundem Ducatũ cum omni iure præfato patruo nostro Heinrico & prænobilissimæ vxori suæ Theodoræ in beneficium concessimus perpetuo iure sancientes, vt ipsi & liberi eorum post eos, indifferenter filij & filiæ, eundem Ducatum Austriæ hæreditario iure à Regno teneant & possideant.

* F. Austriæ.

Si autem prædictus Dux Austriæ patruus noster & vxor eius absque liberis decesserint, libertatem habeant eundem Ducatum affectandi cuicunque voluerint. Statuimus quoque, vt nulla magna vel parua persona in eiusdem Ducatus regione sine Ducis consensu vel permissione aliquam Iustitiam præsumat exercere. Dux verò Austriæ de Ducatu suo aliud seruitium non debet Imperio, nisi quod ad Curias, quas Imperator præfixerit in Bauaria, euocatus veniat. Nullam quoque expeditionem debeat, nisi fortè quam Imperator in Regna vel prouincias Austriæ vicinas ordinauerit. Cæterum vt hæc nostra Imperialis constitutio omnino rata & inconuulsa permaneat, præsentem inde pagi-

paginam conscribi, & sigilli nostri impressione insigniri iussimus, adhibitis testibus idoneis, quorum nomina sunt hæc: * Pilgrinus Aquileiensis Patriarcha, Eberhardus Archiepiscopus Saltzburgensis, Otto Episcopus Frisingensis, *Cunradus Episcopus Patauiensis, Herevvicus Episcopus Ratisponensis, Eberhardus Bambergẽsis Episcopus, Hartmanus Brixinensis Episcopus &. Tridentinus Episcopus, Dominus VVelfo, Dux Cunradus frater Imperatoris, Fridericus filius Regis Chunradi, Hermanus Dux Karinthiæ, Marchio Engelbertus de * Istria, Marchio Albertus de Badem, Diepoldus, Heinricus Palatinus Comes de Rheno, Otto Comes Palatinus, & frater eius Fridericus & alij quamplures.

* F. Piligrinus.

* F. Cunradus Episcopus Pambergensis, Harmannus Brixinensis Episcopus Hartmannus Ratisponensis & Tridentinus Episcopus, Dominus VVelfo.

* F. Austria.

Signum Domini Friderici Romani Imperatoris inuictissimi Ego * Reinoldus Cancellarius vice Arnoldi Maguntinensis Episcopi & ArchiCancellarij recognoui, Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore in Christo. Datum Ratisponæ XV. Kal. Octobris Indictione IV. * Anno Dominicæ Incarnationis M. C. LVI. fæliciter, Amen.

* F. Reinaldus.

* F. Anno D. i. M. C. LVI.

Annó regni eius V. Imperij II. VVinhelmus Apulus cum Manuele Græco pugnans vicit. cæsa sunt ibi (vt aiunt) XL. millia Græcorum.

Anno regni eius quinto, Imperij secundo. Feliciter, Amẽ. VVilhelmus Apulus.

Imperator Poloniam adit, & fit inter eum & Apostolicum dissensio.

Imperator Mediolanum obsedit, & ad deditionem coegit.

Eodem anno VVaditzlaus Dux Bohemiæ, mutato ab Imperatore dignitatis nomine, in Regem Boëmorum preficitur.

M. C. LVII.

Heinricus Comes de * VVolfratzhusen obiit.

* F. VVolffartshausen.

Heinricus primus Dux Austriæ in Metem Monachos instituit, & clericos qui ibi erant, locauit in Münster.

M. C. LVIII.

Imperator Fridericus Mediolanum obsedit, & ad deditionem ciues eius coëgit. Otto Frisingensis Episcopus obiit, * Et Albertus eligitur.

* F. obiit. Adalbertus eligitur.

M. C. LIX.

Adrianus Papa obiit. Octauianus Cardinalis à parte Cæsaris constitutus Victor dicitur: sed Rulandus, qui & Alexander, ab Ecclesia eligitur.

M. C. LX.

Imperator * Cremam destruit. Arnoldus Episcopus Moguntinensis in Ecclesia sancti Iacobi occiditur.

* fort. Cremonam.

M. C. LXI.

Heinricus Dux Karinthiæ periit in Ionio mari: Hermannus frater eius Ducatum gerit. Pilgrinus Patriarcha obiit: Vdalricus ordinatur.

M. C. LXII.

Imperator Mediolanum destruit.

M. C. LXIII.

Imperator iam quarto Italiam adit. Imperator Moguntinenses muros & turres destruxit.

M. C. LXIV.

Octauianus Schismaticus obiit. Gvvido, qui & Paschalis, per Cæsarem substituitur.

Trium Magorum corpora translata sunt ad Coloniã.

Eberhardus Saltzburgẽsis Archiepiscopus obiit: Cunradus Patauiensis Episcopus patruus Imperatoris succedit: ab Alexandro Papa pallio honoratur. * Hartmannus Brixinensis & Hertvvicus Ratisponensis Episcopi obierunt.

* F. Hermannus B. & Hartvvicus.

Otacker Marchio Styriæ Gebhardus de Burck, Sifridus de Leubenovve, * Lutoldus de Plaigen, Comites obierunt.

* F. Leutoldus.

Ex tunc Duces Bauariæ castrum in Burchusen possederunt.

Chunrado Pataviensi Episcopo succedit Rubertus.

M. C. LXV.

Imperator in Curia VVirtzburg Principes regni Gvvidoni schismatico iurare compulit. Christianus Maguntinus Chunrado supponitur. Eodem anno Imperator curiam in * Laufen habuit. Rubertus *Pataviensis* Episcopus obiit: cui * Albero succedit.

* F. Lausen.

* F. Albo.

M. C. LXVI.

Facta est translatio sancti Caroli Imperatoris, feria IV. post Natiuitatem Domini. Ordinatio clericorum in Saltzburch ab Archiepiscopo Chunrado.

M. C. LXVII.

Imperator Italiam quinto adiit.

M. C. LXVIII.

Chunradus Archiepiscopus Saltzburgensis obiit: Albertus filius Regis Bohemiæ succedit; ab Alexandro Papa * tertio honoratur. Heinricus Ratisponensis Episcopus obiit. Paschalis schismaticus, qui & Gvvido, obiit.

* F. quarto.

M. C. LXIX.

Imperator ad Saltzburkhofen curiam celebrans, Saltzburgensem Episcopatum in deditionem accepit. Albero Episcopus Pataviensis ab Ecclesia abigitur, cui Heinricus succedit.

M. C. LXX.

Imperator Saltzburgam XIV. Kal. Martij * venit, & ibidem cum prælatis colloquiũ habuit. Rex Hierusalem de Saracenis triumphat. Eberhardus Babenbergẽsis *Episcopus* obiit, cui Hermannus succedit.

M. C. LXXI.

Thomas Cantuariæ patitur. Vacca vitulum in montanis peperit, duo capita, octo pedes, duas caudas habentem.

M. C. LXXII.

Imperator Curiam Saltzburgensem habuit, volens Alberto Archiepiscopo alium supponere, sed tunc dilatum est.

Heinricus Dux Bauariæ Hierusalem profectus, reuersus est. Heinricus Patauiensis Episcopus sponte cessit, ne in schismate contra Ecclesiam obediat Friderico Imperatori, cui succedit Theobaldus.

M. C. LXXIII.

Imperator Regem Bohemiæ deposuit, & Patruelem eius illi superposuit nomine Zobozlaum.

M. C. LXXIV.

Imperator in Curia Ratisponensi Heinricum Præpositum Berchtersgaden. * A. Archiepiscopo superposuit. Et ipse in Lambardiam sexto pergens, Alexandriam obsedit.

* Alberto.

M. C. LXXV.

Duces Austriæ, & Karinthiæ, nec non Marchio Styriç, prædas & incendia inuicem exagitant: inter quæ Ecclesia sancti Viti cum trecentis hominibus arsit.

M. C. LXXVI.

Bohemi Austriam inuadunt. Soldanus de Iconia cum Rege Græciæ pugnans vicit, cæsis ei centum millibus, vt aiunt, & sancta Cruce sublata.

M. C. LXXVII.

Heinricus Dux Austriæ post multa virtutum ac probitatum insignia obiit. Luipoldus Dux filius eius succedit.

M. C. LXXIX.

Alexander Papa Synodum Romæ trecentorum Episcoporum habuit. Heinricus Dux Bauariæ & Saxonum ab Imperatore proscribitur. Vlricus Abbas Altahensis obiit, cui succedit Dietmarus Abbas.

M. C.

M. C. LXXX.

Styrensis Marchio Otacker, mutato antiquitatis nomine, Dux appellari gloriatur. Heinricus Dux Bauariæ ab Imperatore eiicitur. Otto Comes Palatinus de Schyren ei substituitur. Manuel Græcorum Rex obiit: Andronicus succedit. Monasterium Altahense igne crematur.

M. C. LXXXI.

Alexander Tertius Papa obiit: Lucius succedit. Vitalis, Virgilius, Hertvvicus, Eberhardus Episcopi signis claruerunt. Hermannus Dux Karinthiæ obiit. *Otacker Dux Styriæ obiit.

*F. male: Otto.

M. C. LXXXII.

Vdalricus Aquileiensis Patriarcha obiit: Gotfridus succedit. Luipoldus Dux Austriæ Hierusalem proficiscitur & reuertitur.

M. C. LXXXIII.

Terræ motus accidit secundo Kalendas Maij. Christianus Moguntinus obiit. Chunradus Moguntinus, Albertus Saltzburgensis Episcopi restituuntur. Otto Dux Bauariæ obiit: Ludvvicus filius eius succedit.

M. C. LXXXIV.

*Filij Imperatoris Heinricus Rex, Chunradus Dux Sueuiæ, Ottoq; Moguntiæ gladiis accinguntur. Imperator septimo Italiam adiit. Cum Lucio Papa familiare colloquium habuit. Beatrix Imperatrix obiit. Albertus Frisingensis Episcopus obiit: pro quo Otto succedit.

*F. filius.

M. C. LXXXV.

Andronicus Tyrannus Græciæ occiditur. Lucius Papa III. obiit. Vrbanus succedit. *Chuno Ratisponensis Episcopus obiit: Chunradus succedit.* Theodora Ducissa Austriæ obiit.

M. C. LXXXVI.

*Heinricus Rex filius Imperatoris duxit filiam Rogeri olim

*F. Conradus.

ri olim Regis Apuliæ. Cremam Imperator restaurat.

M. C. LXXXVII.

Apostolicus & Imperator Saladinus Babylonicus terram Hierusalem intrauit: Tiberiadem, Cæsaream, Nazareth, Accaron, plerasque alias ciuitates inuasit: Principes & populum in prælio cepit; & occidit, vt aiunt, fere ad triginta milia circa Idus Iulij.

In mense Septembri Eclipsis solis accidit. Idibus Octobris Vrbanus Papa Tertius obiit: Gregorius, qui & Albertus, succedit. Post hunc Clemens Papa * III.

m. s. male: IV.

Eodem anno in prima Dominica quadragesimæ Fridericus Imperator Ratisponam intrauit, & ibi cum XVII. Episcopis & cum omnibus Principibus Bauariorum permaximam Curiam celebrauit, ac ibidem totam quadragesimam & Pascha peregit. Chunradus Episcopus Ratisponæ eligitur.

Ottacker Dux Styriæ lepræ morbo prægrauatur. Ducatum Styriæ, munitiones, prædia, & omnes ministeriales cognato suo Duci Luipoldo Austriæ reliquit.

M. C. LXXXIX.

Imperator à terra & mari mouit expeditionem aduersus Saladinum; quem Rex Græciæ * Ysachar primo missis legatis Nürnberch, iurauit se honorificè suscepturum, & securum ei transitum præbiturum. Sed postea eo Græciam intrante, mentitus est per omnia quæ promiserat. Quem Imperator ad sacramentum faciendum denuo de pace & concordia & securo transitu compulit, acceptis ab ipso electis obsidibus.

* Isacius Angelus.

M. C. XC.

Imperator & Rex Græciæ octauo Calendas Martij pacificantur. Exercitus ex magna parte interiit. VVilhelmus Rex Apuliæ obiit. Tanchardus Tyrannus regnum inuadit.

dit. Heinricus Rex expeditionem in Apuliam mouit.

Fridericus Imperator in partibus transmarinis in paruo fluuiolo est submersus. Quarto Idus Iunij Theobaldus Patauiensis Episcopus obiit, cui VVolfkerus succedit.

M. C. XCI.

Heinricus VI. filius Friderici supradicti regnare cœpit Nonagesimus quintus ab Augusto. Hic anno ætatis suæ vicesimo primo, adhuc viuente patre, cum regina Constantia filia Rogerij Regis Siciliæ gloriosas nuptias Mediolani apud sanctum Ambrosium celebrauit, & à Cælestino Papa successore Clementis vnctionem accepit Imperij secunda feria Paschæ,* anno M. C. XCI.

* F. hic aliter variat numeros annorum.

Ipse autem Cælestinus Papa præcessore suo Clemente in Sabbato sancto viam vniuersæ carnis ingresso, in die sancto Resurrectionis Domini, electus & consecratus fuit. Iste Heinricus audacia, & largitate, iustitia, & veritate, literatura, & sapientia, & aliis virtutibus pollens Imperium suo breui tempore bene rexit. Regnum Siciliæ sibi subiugauit, & multa alia bona ac memoria digna in Imperio fecit, ac demum in Apulia insidiis vxoris suæ, vt dicitur, veneno periit, cuius vxoris fere totam miris cruciatibus interfecerat parentelam.

Eodem anno Fridericus Dux Sueuiæ cum aliis Principibus & Episcopis in expeditione obiit. Rex Galliæ & Rex Angliæ expeditionem per mare mouent. Eclipsis solis accidit. VIII. Calendas Iulij circa mediam diem, & totus aër factus est purpureus.

M. C. XCII.

Controuersia facta est inter Regem Galliæ & Regem Angliæ. Rex Galliæ reuertitur.

M. C. XCIII.

F. Marchio montis ferratis.

Chuntadus Marchio, qui Rex Hierusalem fuerat creatus, vt fertur, de consultu Regis Angliæ à duobus insidiantibus occiditur, apud Syndonem.

Reichardus Rex Angliæ pace cum Saladino composita ab Hierusalem reuertitur, & suorum destitutus comitatu pedes apud VViennam ciuitatem à Duce Austriæ Leupoldo captus Heinrico Imperatori traditur.

Bauari inter se diffidentes omnem Regionem incendio deuastant. Vbi Albertus Comes de Bogen Ludvvicum Ducem fugauit auxilio Bohemorum.

M. C. XCIV.

Ottacher Dux Bohemiæ ab Heinrico Imperatore Ducatu suo priuatur.

M. C. XCV.

Leupoldus Dux Austriæ & Styriæ lapsus de equo fracto crure obiit * quinto Cal. Ianuarij: Cui Fridericus filius eius succedit in Austria & Leupoldus in Styria.

* F. obiit Calen. Ian.

Mortuo a. in transmarinis partibus Friderico Leupoldus possedit vtrumque Ducatum, homo pacificus & virtuosus, cuius tempore monasteria, Clerus & populus in suis prouinciis pace maxima gaudebant, vt meritò PACIFICVS & PATER CLERI vocaretur.

Eodem anno Heinricus de liberatione Hierusalem & sancti sepulchri omnimodis intendens, duas Curias, Geilnhusen vnam, VVurmaciæ alteram celebrauit, in quibus ipso Imperatore multum instigante infinitus Episcoporum & aliorum principum exercitus sibi crucem affixit, & contra Saracenorum gentem iter arripiunt. Heinricus Imperator secundã mouens in Apuliam expeditionem terrestri & nauali fortissimo apparatu totam Apuliam & Sici-

Apuliam & Siciliam cum palatio Panormitano & thesauris Regum antiquorum infinitis obtinuit, & Margaritam piratam cepit, & alios quam plures, qui contra *eum* conspirauerant, diuersis supplicijs interemit. Filium Tanchardi & vxorem eius captiuauit, Heinricus Dux aliquando Bauariæ & Saxoniæ in* Brumspith obijt. Eodem anno cum Massimut in Hispanijs malè pugnatum, à Christianis, multi eorum interierunt.

* F. Brunschvvich.

M.C.XC.VI.

Imperatrix peperit filium, qui vocatus est Fridericus. Quod vt primum per Albertum Comitem de Bogen tunc in Apulia existentem Heinrico Imperatori innotuit, gratiam suam, qua tunc carebat, recipere meruit. Sed & Otackero, qui & Primitzlaus, gratiam Cæsaris & Ducatum pristinum impetrauit. Destitutus enim in Curia VVormaciæ celebrata fuerat, pro eo quod contra Ludvvicum Ducem in auxilium Alberti Comitis Bauariam intrauerat.

Otto II. Bambergensis Episcopus obijt: cui * Tyemo successit.

* F. Tymo.

M.C.XC.VII.

Christianorum exercitus sub quodam Gottfrido Duce de Brabant mare trāsiuit, & ciuitates duas videlicet Syndonem & Baruch, & alia quam plura castra, quæ possederant Saraceni, occupauerunt.

Heinricus Imperator adhuc in Apulia positus mortuus est. Quo mortuo Philippus Dux Sueuiæ frater prædicti Imperatoris, & Otto filius Heinrici aliquando Ducis Bauariæ Saxoniæq; pro Regno contenderunt, Philippo postmodū præualente. Iste Philippus nonagesimus sextus ab Augusto, Regni Romani iura strenuè gubernauit, faciens iudicium & iustitiam omnibus, qui ad eum auxilii gratia confugerunt: & hæc vberius fecisset, si non fuisset prædicti Ottonis

& suorum fautorum obstaculis prępeditus. Hic cùm adhuc in regni solio sublimatus non fuisset, promiserat ducere matrimonialiter filiam Ottonis Palatini Comitis de* Wicelspach, quam postmodum repudiauit, vnde idem Comes commotus accessit in Bamberch ad Camerā ipsius Regis, tanquam ei solus pacificè locuturus, & gladio quem occultè gestabat, ipsum Regem subitò interfecit.

* F. VVitelein-spach. Hæc aliter Helmoldi cōtinuator. lib. 7. c. 14

M. C. XC VIII.

Adalbertus Archiepiscopus Saltzburgensis, circa fluuium qui dicitur Lamer, à ministerialibus capitur, & in castro VVuren per dies XIV. captus tenetur, propter quam enormitatem facti, diuina in Saltzburgensi Ecclesia, aliisque Episcopatibus vicinis interdicta sunt. Liberasti nos ex affligentibus, cantatum est, ei dimisso.

Albertus Comes de Bogen obijt, relinquens tres filios, Luipoldum, Bertoldum & Albertum.

M. C. X C I X.

Celestinus III. Papa obijt. Innocentius III. Papa sedit. Episcopus VVolfkerus Patauiensis cum duobus Comitibus de Ortenburch, Rapotone, & Heinrico, qui Ecclesiam Patauiensem vastauerant, contendens, mirabiliter castellis eorum vástatis, contriuit eos, multis ibi pereuntibus. Idem Episcopus cœpit ædificare castrum in* Obernburg.

* F. Ortenberch.

Corpus Domini in ciuitate Augusta versum est in cruentam carnem.

M.CC.

Adalbertus Episcopus VI. Idus Aprilis obijt: cui Eberhardus Brixinēsis Episcopus succedit. Chonradus Mogontinus Archiepiscopus obiit.

M.C C. I.

Terrę motus multis terrarum locis factus est magnus, ita

vt

vt multas vrbes & Ecclesias destrueret, & mortes hominum fierent, cœpit autem idem terræ motus I V. nonas Maij.

M.CC.II.

Chunigundis virgo & Regina vxor Imperatoris Heinrici Pij Babenburgum sepulta, multis fulgens miraculis, ab Innocentio Papa canonizata est; multis conuenientibus Episcopis & Archiepiscopis: inter quos etiã adfuit Dñs Saltzburgensis Archiepiscopus Eberhardus, ab eis est translata.

Dietmarus Abbas Altahensis cedit propter senium, cui succedit Poppo Abbas. Tymo Babenbergensis Episcopus obijt. Chunradus eligitur, & eodem anno obijt, & Ekkenbertus succedit.

M.CC.III.

Discordia facta est inter Ducem Bauariæ Ludvvicum & Episcopum Ratisponensem Chunradum, cui confœderatus Dominus Eberhardus Archiepiscopus Saltzburgensis in manu valida venit ei in auxilium nullo resistente, & diruta sunt castra aliquanta ex vtraque parte, factaque sunt incendia plurima per vniuersam Bauariam, villarum deprædationes & Ecclesiarum, ita vt nec ab altaribus abstinerent, & reliquias sanctorum inde auferrent, aliaque quàm plurima nefanda & inaudita perpetrarent.

Leopoldus Dux Austriæ & Styriæ, Theodoram filiam Regis Græcorum duxit vxorem.

M.CC.IV.

Ludvvicus Dux Bauariæ, & Dominus Eberhardus Saltzburgensis Episcopus, & Chunradus Ratisponensis Episcopus in concordiam redierunt. Chunradus Ratisponensis Episcopus obijt IX. Calendas Maij. Cui Chunradus Frisingensis prępositus succedit. Pilgrinus Aquileiensis Patriarcha obiit, cui VVolfkerus Patauiensis Episcopus succedit, pro quo Poppo præpositus Aquileiensis constituitur.

Berchtoldus Dux Morauiæ obiit. Ludvvicus Dux Bauariæ castrum & oppidum in Lantzhuet construere cœpit.

M. CC V. & M. CC VI.

Poppo Episcopus Patauiensis obiit. Mangoldus Abbas de Tegerinsee succedit.

Otacker Dux Bohemiæ consilio Ludvvici Ducis reliquit Ottonem & adhæsit Philippo, qui consensu principũ imposuit ei diadema, faciens eum & successores suos Reges. Tradiditq; filiam suam VVenzelao filio suo, Ex hinc Reges Bohemorum.

M. CC. VI.

Ordo fratrum minorum inchoatur à sancto Francisco.

M. CC. VII.

Philippus Rex cum Papa reconciliatur. Babenberg ab Ottone Palatino Comite de * VVidenspach per conspirationem occiditur.

*F. VVitelenspach.

M. CC. VIII.

Otto filius Ducis Heintici de Brunschvvich in Regem eligitur, & ab Innocentio Papa consecratur. Otto Palatinus Comes occiditur pro homicidio commisso in Philippum.

M. CC. X.

Otto à Domino Papa excommunicatur.

M. CC. XI.

Otto intrauit Apuliam: ibidem Fridericum Regem Siciliæ expugnare voluit; & totam Apuliam sibi subiugauit. Otto Rex à multis Episcopi Alamanniæ excommunicatus à Papa denunciatur.

M. CC. XII.

In festo sancti Nicolai Fridericus Rex Siciliæ intrauit regnum Patris sui, Electus Franckenfurt.

Christiani de Saracenis in Hispania ferè centum milia occiderunt, & captiuarunt miraculosè. Mangoldus Patauiensis

uienſis Epiſcopus, & Rapoto Palatinus ſimul diſcordantes, Clauſtra, Monaſteria, Eccleſias vna cum omni prouincia incendio deuaſtant.

* Altannus de Helingeſperg moritur, ſed caſtrum ibidem ab * ipſo ædificatum moriens reſignauit Eccleſiæ Altahenſi, quod monachi deſtruere volentes prohibiti ſunt à Comitibus de Bogen.

*F. Altmannus de Helinſberg.
*F. Epiſcopo ed.

M.CC.XIII.

Fridericus Rex conſecratus apud Moguntiam in Purificatione B. Mariæ virginis Curiam Ratiſponæ celebrauit. Aliam etiam Curiam in paſſione Domini apud Conſtantiam celebrauit. Tertiam Merſpurch celebrauit.

Regina Gertruda Vngarorum, mater ſanctæ Eliſabet, ſponſo expeditionem contra Ruthenos mouente à Comite quodam Petro trucidatur, qui & ipſe ſubſequenti nocte in vltionem ſceleris cum aliis iugulatur. Cui Epiſopus de Gran miſit in epiſtola amphibologica: Reginam occidere nolite timere, bonum eſt: Si omnes conſentiunt, ego non contradico.

Caſtrum in Helingſperg, data Comitibus de Bogen pecunia, à Domino Poppone Abbate & mónachis ſuis deſtruitur.

M.CC.XV.

Manigoldus Patauienſis Epiſcopus obiit: Vlricus eiuſdem Eccleſiæ Canonicus ſuccedit.

Vniuerſalis ſynodus celebrata eſt Romæ, in qua fuerunt CCCCXII. Epiſcopi. Inter quos extiterunt Conſtantinopolitanus, Hieroſolymitanus Patriarchæ: Primates autem & Metropolitani LXXI. Abbates & Priores vltra DCCC. præſidente Innocentio Papa III. In ipſa ſynodo Kymenſis Epiſcopatus inſtituitur. Ad quam ſedem Rugerus primus Epiſcopus ordinatur.

Chiemſee.

M.CCXVI.

Innocentius Papa III. ab vrbe egressus verbum crucis in Tuscia prædicauit,& apud Perusium ciuitatem, in diuisione Apostolorum obiit,ibiq; sepultus est. Honorius Papa III. substituitur.

Ordo prædicatorum initium sumit.

M.CC.XVII.

Rex Vngariæ Andreas & Luipoldus Dux Austriæ, Dux Morauiæ, Otto Episcopus Babnburgensis, Ekkbertus, & nobiles & Comites cum manu valida transfretauerunt ad succursum terræ sanctæ.

M.CC.XVIII.

VVolfkerus Patriarcha Aquileiensis obiit: Cui Bertoldus Archiepiscopus succedit Golocensis.

Christiani in transmarinis partibus Cæsaream & turrim Stratonis reædificant,& post multas deprædationes ad munitionem montis Thabor accedentes viriliter duabus vicibus impugnauerunt,quam munitionem postea ipsi Saraceni timore Christianorum destructam reliquerunt. Deinde coadunato exercitu Christianorũ ciuitatẽ Damiatam obsidione cingunt, & turrim munitissimã in medio fluminis sitã,& catenã fluminis 55. pedes habentẽ viriliter occupauerunt. Vbi tantum milites electi 40. cum aliis fracto instrumento in flumen præcipitati sunt.

Exercitus Romanorum cum Italicis multis in auxilium veniunt Christianis. Ludvvicus Dux oppidum Strubing construere cœpit.

M.CC.XIX.

Otto aliquando Imperator à sententia excomunicationis absolutus obiit. Regalia quoq; Heinrico Palatino Rheni assignanda, Regi Friderico reliquit, quę ad instantiã eiusdẽ Regis Friderici eodem anno sub quadam forma compositionis ipsi assignata sunt. Seco-

*Secouienſis Epiſcopatus à Domino Eberhardo Saltzburgenſi Archiepiſcopo de licentia Domini Honorij Papę creatur: & Karolus Friſacenſis præpoſitus eidem ſedi præficitur.

*F. Setnovvēſis.

Fridericus Rex Curiam Nurinbergenſem cum multis Principibus celebrauit. Concilium Prouinciale à Domino Eberhardo Archiepiſcopo Saltzburgenſi celebratur: Cui interfuerunt Patauienſis, Friſingenſis, Gurzenſis, *Kymenſis, Secouenſis Epiſcopi. Ludvvicus Dux Bauarię cepit munitionem ciuitatis *Hallis in monte, qui dicitur Grinte: quę ab Archiepiſcopo Eberhardo ſub quadā forma compoſitionis deſtructa eſt; & ob hanc cauſam prænominatus Epiſcopus homines & redditus per omnia, quos in Halle & circa habebant, apud Altahen comparauit.

*F. Chiemenſis, Setnovvēſis.

*al. Halſi.

Damiata ciuitas ignorante exercitu ſine damno Chriſtianorum in crepuſculo noctis interfectis iñumerabilibus paganis diuina potentia capta eſt, & à Chriſtianis potenter poſſeſſa. His diebus Vlricus Patauienſis Epiſcopus cœpit conſtruere caſtrum in monte ſancti Georgii Patauiæ.

M. C C. X X.

Otto Friſingenſis Epiſcopus obiit: cui ſuccedit Geroldus eiuſdem Eccleſiæ Canonicus.

Thomas Cantuarienſis Epiſcopus & martyr ab Honorio Papa miſſis Cardinalibus tranſlatus eſt.

Fridericus Romanorum Rex eſt electus ab Honorio Papa ad Imperatorem Romæ ſolemniter conſecratur, Duce Bauariæ Ludvvico aliiſq; principibus & aliis viris nobilibus præſentibus.

M. C C. X X I.

Damiatā ciuitas, quę Portus *Æthiopię dicitur, multo labore & ſāguine ac ſudore Chriſtianorū acquiſita, heu, heu, exigentib. peccatis hominū, diuina permiſſione ſeductis in quandam

*F. Ethiope.

quandam insulam Christianis, aquis & exercitu Saracenorum circumuallatis, quibusdam submersis, alijsque occisis, tandem sub quadam forma compositionis, & multa strage hominum ab vtraque parte facta, coactis Christianis, Saracenis per manus Christianorum reddita est; Vbi aderant Ludvvicus Dux Bauariæ, Vlricus Patauiensis Episcopus, qui eodem anno transfretauerant, & alij quam plures nobiles, & ignobiles, quorum non erat numerus; qui fugam arripientes vix euaserunt. Vlricus Patauiensis Episcopus ab expeditione rediens transmarina in via obijt; cui Gebhardus Comes de Plain eiusdem Ecclesiæ Canonicus succedit.

M.CC.XXIII.

Corpora sanctorum Viti, Modesti, ab Archiepiscopo Eberhardo & Carolo* Secouiensi Episcopo in Ecclesia sancti Andreæ apud Lauent inuenta, & in altari recondita plurimis cœperunt coruscare miraculis, & eorum reliquiæ ad Ecclesiam Saltzburgensem præsentibus Patauiense, & Kymense Episcopis cum frequentia & tripudio populi, ab Archiepiscopo sunt translatæ.

*F. Setnouvensi.

M.CC.XXIV.

Bertholdus Brixinensis Episcopus obijt, cui succedit Heinricus Aquileiensis Archidiaconus.

Oppidum in Landau construitur à Ludvvico Duce Bauariæ.

M.CC.XXV.

Chunradus Cardinalis Portuensis Episcopus, Romanæ sedis Legatus, per se & per plures cooperatores verbum Crucis per totam Alemaniam prædicauit, & quam plures Cruce signati sunt.

Imperator cum filia Ioannis Regis Hierosolymitani nuptias in Apulia celebrauit, ex qua genuit Chunradum postea Regē. Et Heinricus filius eius Rex declaratus duxit filiam.

filiam Luipoldi Ducis Austriæ Margaretam: Cum qua, præsentibus Principibus Regni, nuptias apud *Numburch solemniter celebrauit: Vbi propter frequentiam populi, circiter XL. personæ, inter quas quidam Prælati, Monachi, clerici erant, cum aliis oppressi occubuerunt.

* F. Nurnberg

Engelbertus Coloniensis Episcopus vir magnæ prouidentiæ, & tutor Regis, à Comite Friderico de Altenach sororio suo occiditur; manu mutilatus, & *triginta quatuor vulneribus, vt dicitur, fossus.

* F. triginta tribus.

His diebus Luipoldus Dux Austriæ consensu Ludvvici Ducis Bauariæ construxit castrum in Scherding.

M. CC. XXVI.

Sanctus Franciscus obiit.

Imperator condixerat solemnem Curiam apud Cremonam, ad quam vocauerat filium suum & principes Alamanniæ, qui propter rebellionem Lombardorum non permittebantur intrare: Vnde infecto negocio Imperator in indignatione in Apuliam se recepit.

Item inter Luipoldum Ducem Austriæ & Heinricum filium suum maiorem Gvverra est orta super hæreditate, quæ tandem mediantibus maioribus terræ ad concordiam reuocata est.

Fridericus iunior filius Ducis duxit sororem Reginæ Vngariæ.

Archiepiscopus instituit sedem Cathedralem apud sanctum Andream in Lauent; cui præfecit Vlricum in Hus.

Gvverra grauis inter Rapotonem Comitem Palatinū Bauariæ, & Comiten de Bogen orta est, in qua quam plures Ecclesiæ sunt destructæ & spoliatæ, & prędia monasterij in inferiori Altach incendio sunt destructa: & Rapoto Co-

Principes orbis terræ, ad integræ pacis reformationem opportunitas commodior haberetur. Cumque nos eisdem viris inuentoribus huius viæ, præter spem & creditum, pro Ecclesiæ reuerentia condescendere dignaremur, G. dictus Papa petebat Lombardos rebelles nostros & nostri bannitos Imperij treugis ipsis debere muniri. Quibus exclusis treugas ipsas non poterat acceptare, vt euidentiorem daret omnibus intellectum, q; negocium rebellium Lombardorum fouit & fouet in nostrũ odium manifestũ illud gerens, & reputans velut suum, quanquam hactenus alia palliaret, quod non in fauorem ipsorum sed ob transgressiones nostras, & alias quas fingebat contra nos, ad excommunicationis sententias processisset. Quod intolerabile visum est nobis, vt rebellibus nostris, diutino gvverrarum discrimine fatigatis, & in maiori parte depressis treugas concedere deberemus, ad quorum persecutionem & vindictam accincti, vexilla victricia, & præpotentia castra nostra triumphabiliter duximus educenda. Et licet nobis in confinio castra metatis Campaniæ suggereretur instãter ad ingressum illius prouinciæ data plena fiducia de obtentu, super quo doloris gladius ad iniuriatoris nostri animam pertransiret, nos ad præsens ob honorem Dei & reuerentiam beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quibus vtpote quod sacrũ diadema de * arâ beati Petri suscepimus, esse volumus non ingrati, ab ingressu & receptione ipsius terræ destitimus; expectantes interim, si nostrum iniuriatorem omissa aliàs vexatio reuocet ab offensis. Præterea non patimur te latere, qualiter homo iste dictus Papa in obsidione Ferrarię ciuitatis Imperij & Salingvvertæ fidelis nostri Bononiensibus, Venetis, & aliis conuicinis nostris rebellib. conuocatis, Legatum suum cum Mediolanensibus fecerit cõuenire Ducem ibidem exercitus & Rectorem. Qui adeo cum suis com-

* al. arce.

complicibus eundem Salingvverram & Ferrariam in exhæredationem Imperij coartauit; qui à suis proditus receptis tamen promissionib. & pactis de indemnitate suæ personæ ac rerum suarum, & de salubri mora sua in eadem ciuitate, nec nō per eundem Legatum Ducem Venetiarum, potestates, Rectores, Capitaneos, exercitus, & generaliter per totum exercitum iuramento firmatis nomine Ecclesiæ iuramentum impendit, ac se & prædictam ciuitatem assignauit specialiter Ecclesiæ possidendam, commissa fide sua fidei Legati Ecclesiæ, q; præstita & iurata sibi securitas plenaria seruaretur, sed post deditionem ciuitatis & suam, legatus idē (tanquā si ex legationis officio fungeretur celebrare periuria, quemadmodū præstitit, iuramenta) eum prædictis omnibus deierauit, demolitis domibus & bonis eiusdē Salingvverræ ipsum simul deduxere fide mentita Venetias captiuatū. Ecce qualis inuenit in Legato fides, qualis à patre legati mentiēdi procedit authoritas, vt fidem reputent fidei vinculum nō seruare: O quam pestiferum ab Ecclesiæ rectoribus emanat exemplum, quàm euidens omissa veritate deceptio, vt Regibus & Principibus orbis, quibus propter impatiētiam potestatis inuident, sit præcipuè præcauendum, ne de facili se præbeant in manibus eorundem, qui semper intercipere conantur incautos, & pium reputant, innocentiam condemnare. Nos autem, qui vniuersos & singulos iam tum ex vicinitate, tum ab experto intus & in cute iam cognouimus, taliter vos per indaginem rerum ab eorum fallaciis cautos volumus obseruari, vt vobis intendamus potissimum præcauere; sperantes in eo, qui Regna & Reges constituit, quod iustè iniuriam propulsantes, violentiam nobis illatam nostrarum virium conamine propellemus, & in gladio iustitiæ, quem auctore Domino baiulamus, sacerdotū gladios, quibus abiecta stola lumbos suos inhonestè præcingunt, iustius retundemus. Dignum insu-

mi Berchtoldus Dux Morauiæ obiit. Ludvvicus Dux Bauariæ castrum & oppidum in Lantzhuet construere cœpit.

M. CC V. & M. CC VI.

Poppo Episcopus Patauiensis obiit. Mangoldus Abbas de Tegerinsee succedit.

Otacker Dux Bohemiæ consilio Ludvvici Ducis reliquit Ottonem & adhæsit Philippo, qui consensu principũ imposuit ei diadema, faciens eum & successores suos Reges. Tradiditq; filiam suam VVenzelao filio suo. Ex hinc Reges Bohemorum.

M. CC. VI.

Ordo fratrum minorum inchoatur à sancto Francisco.

M. CC. VII.

Philippus Rex cum Papa reconciliatur. Babenberg ab Ottone Palatino Comite de * VVidenspach per conspirationem occiditur.

*F. VVitelenspach.

M. CC. VIII.

Otto filius Ducis Heinrici de Brunschvvich in Regem eligitur, & ab Innocentio Papa consecratur. Otto Palatinus Comes occiditur pro homicidio commisso in Philippum.

M. CC. X.

Otto à Domino Papa excommunicatur.

M. CC. XI.

Otto intrauit Apuliam: ibidem Fridericum Regem Siciliæ expugnare voluit; & totam Apuliam sibi subiugauit. Otto Rex à multis Episcopi Alamanniæ excommunicatus à Papa denunciatur.

M. CC. XII.

In festo sancti Nicolai Fridericus Rex Siciliæ intrauit regnum Patris sui, Electus Franckenfurt.

Christiani de Saracenis in Hispania ferè centum milia occiderunt, & captiuarunt miraculosè. Mangoldus Pata-

uiensis

uienſis Epiſcopus, & Rapoto Palatinus ſimul diſcordantes, Clauſtra, Monaſteria, Eccleſias vna cum omni prouincia incendio deuaſtant.

* Altannus de Helingeſperg moritur, ſed caſtrum ibidem ab * ipſo ædificatum moriens reſignauit Eccleſiæ Altahenſi, quod monachi deſtruere volentes prohibiti ſunt à Comitibus de Bogen.

*F. Altmannum de Helinſberg.

*F. Epiſcopo ed.

M.CC.XIII.

Fridericus Rex conſecratus apud Moguntiam in Purificatione B. Mariæ virginis Curiam Ratiſponæ celebrauit. Aliam etiam Curiam in paſſione Domini apud Conſtantiam celebrauit. Tertiam Merſpurch celebrauit.

Regina Gertruda Vngarorum, mater ſanctæ Eliſabet, ſponſo expeditionem contra Ruthenos mouente à Comite quodam Petro trucidatur, qui & ipſe ſubſequenti nocte in vltionem ſceleris cum aliis iugulatur. Cui Epiſopus de Gran miſit in epiſtola amphibologica: Reginam occidere nolite timere, bonum eſt: Si omnes conſentiunt, ego non contradico.

Caſtrum in Helingſperg, data Comitibus de Bogen pecunia, à Domino Poppone Abbate & monachis ſuis deſtruitur.

M.CC.XV.

Manigoldus Patauienſis Epiſcopus obiit: Vlricus eiuſdem Eccleſiæ Canonicus ſuccedit.

Vniuerſalis ſynodus celebrata eſt Romæ, in qua fuerunt CCCCXII. Epiſcopi. Inter quos extiterunt Conſtantinopolitanus, Hieroſolymitanus Patriarchæ: Primates autem & Metropolitani LXXI. Abbates & Priores vltra DCCC. præſidente Innocentio Papa III. In ipſa ſynodo Kymenſis Epiſcopatus inſtituitur. Ad quam ſedem Rugerus primus Epiſcopus ordinatur.

Chiemſee.

M.CCXVI.

Innocentius Papa III. ab vrbe egressus verbum crucis in Tuscia prædicauit,& apud Perusium ciuitatem, in diuisione Apostolorum obiit,ibiq; sepultus est. Honorius Papa III. substituitur.

Ordo prædicatorum initium sumit.

M.CC.XVII.

Rex Vngariæ Andreas & Luipoldus Dux Austriæ, Dux Morauiæ, Otto Episcopus Babnburgensis, Ekkbertus, & nobiles & Comites cum manu valida transfretauerunt ad succursum terræ sanctæ.

M.CC.XVIII.

VVolfkerus Patriarcha Aquileiensis obiit: Cui Bertoldus Archiepiscopus succedit Golocensis.

Christiani in transmarinis partibus Cæsaream & turrim Stratonis reædificant,& post multas deprædationes ad munitionem montis Thabor accedentes viriliter duabus vicibus impugnauerunt,quam munitionem postea ipsi Saraceni timore Christianorum destructam reliquerunt. Deinde coadunato exercitu Christianorũ ciuitatẽ Damiatam obsidione cingunt, & turrim munitissimã in medio fluminis sitã,& catenã fluminis 55. pedes habentẽ viriliter occupauerunt. Vbi tantum milites electi 40. cum aliis fracto instrumento in flumen præcipitati sunt.

Exercitus Romanorum cum Italicis multis in auxilium veniunt Christianis. Ludvvicus Dux oppidum Strubing construere cœpit.

M.CC.XIX.

Otto aliquando Imperator à sententia excomunicationis absolutus obiit. Regalia quoq; Heinrico Palatino Rheni assignanda, Regi Friderico reliquit, quę ad instantiã eiusdẽ Regis Friderici eodem anno sub quadam forma compositionis ipsi assignata sunt. Seco-

*Secouiensis Episcopatus à Domino Eberhardo Saltzburgensi Archiepiscopo de licentia Domini Honorij Papę creatur: & Karolus Frisacensis præpositus eidem sedi præficitur.

*F. Setno vve. sis.

Fridericus Rex Curiam Nurinbergensem cum multis Principibus celebrauit. Concilium Prouinciale à Domino Eberhardo Archiepiscopo Saltzburgensi celebratur: Cui interfuerunt Pataulensis, Frisingensis, Gurzensis, *Kymensis, Secouensis Episcopi. Ludvvicus Dux Bauarię cepit munitionem ciuitatis *Hallis in monte, qui dicitur Grinte: quę ab Archiepiscopo Eberhardo sub quadã forma compositionis destructa est; & ob hanc causam prænominatus Episcopus homines & redditus per omnia, quos in Halle & circa habebant, apud Altahen comparauit.

*F. Chiemensis, Setnovvensis.

*al. Halsi.

Damiata ciuitas ignorante exercitu sine damno Christianorum in crepusculo noctis interfectis ĩnumerabilibus paganis diuina potentia capta est, & à Christianis potenter possessa. His diebus Vlricus Patauiensis Episcopus cœpit construere castrum in monte sancti Georgii Patauiæ.

M. CC.XX.

Otto Frisingensis Episcopus obiit: cui succedit Geroldus eiusdem Ecclesiæ Canonicus.

Thomas Cantuariensis Episcopus & martyr ab Honorio Papa missis Cardinalibus translatus est.

Fridericus Romanorum Rex est electus ab Honorio Papa ad Imperatorem Romæ solemniter consecratur, Duce Bauariæ Ludvvico aliisq; principibus & aliis viris nobilibus præsentibus.

M. CC. XXI.

Damiatã ciuitas, quę Portus *Æthiopię dicitur, multo labore & sãguine ac sudore Christianorũ acquisita, heu, heu, exigentib. pcccatis hominũ, diuina permissione seductis in

*F. Ethiope.

quandam insulam Christianis, aquis & exercitu Saracenorum circumuallatis, quibusdam submersis, alijsque occisis, tandem sub quadam forma compositionis, & multa strage hominum ab vtraque parte facta, coactis Christianis, Saracenis per manus Christianorum reddita est; Vbi aderant Ludvvicus Dux Bauariæ, Vlricus Patauiensis Episcopus, qui eodem anno transfretauerant, & alij quam plures nobiles, & ignobiles, quorum non erat numerus; qui fugam arripientes vix euaserunt. Vlricus Patauiensis Episcopus ab expeditione rediens transmarina in via obijt; cui Gebhardus Comes de Plain eiusdem Ecclesiæ Canonicus succedit.

M.CC.XXIII.

Corpora sanctorum Viti, Modesti, ab Archiepiscopo Eberhardo & Carolo* Secouiensi Episcopo in Ecclesia sancti Andreæ apud Lauent inuenta, & in altari recondita plurimis cœperunt coruscare miraculis, & eorum reliquiæ ad Ecclesiam Saltzburgensem præsentibus Patauiense, & Kymense Episcopis cum frequentia & tripudio populi, ab Archiepiscopo sunt translatæ.

*F. Seccouiensi.

M.CC.XXIV.

Bertholdus Brixinensis Episcopus obijt, cui succedit Heinricus Aquileiensis Archidiaconus.

Oppidum in Landau construitur à Ludvvico Duce Bauariæ.

M.CC.XXV.

Chunradus Cardinalis Portuensis Episcopus, Romanæ sedis Legatus, per se & per plures cooperatores verbum Crucis per totam Alemaniam prædicauit, & quam plures Cruce signati sunt.

Imperator cum filia Ioannis Regis Hierosolymitani nuptias in Apulia celebrauit, ex qua genuit Chunradum postea Regē. Et Heinricus filius eius Rex declaratus duxit filiam.

filiam Luipoldi Ducis Austriæ Margaretam: Cum qua, præsentibus Principibus Regni, nuptias apud *Numburch solemniter celebrauit: Vbi propter frequentiam populi, circiter XL. personæ, inter quas quidam Prælati, Monachi, clerici erant, cum aliis oppressi occubuerunt.

* F. Nurnberg

Engelbertus Coloniensis Episcopus vir magnæ prouidentiæ, & tutor Regis, à Comite Friderico de Altenach sororio suo occiditur; manu mutilatus, & *triginta quatuor vulneribus, vt dicitur, fossus.

* F. triginta tribus.

His diebus Luipoldus Dux Austriæ consensu Ludvvici Ducis Bauariæ construxit castrum in Scherding.

M. CC. XXVI.

Sanctus Franciscus obiit.

Imperator condixerat solemnem Curiam apud Cremonam, ad quam vocauerat filium suum & principes Alamanniæ, qui propter rebellionem Lombardorum non permittebantur intrare: Vnde infecto negocio Imperator in indignatione in Apuliam se recepit.

Item inter Luipoldum Ducem Austriæ & Heinricum filium suum maiorem Gvverra est orta super hæreditate, quæ tandem mediantibus maioribus terræ ad concordiam reuocata est.

Fridericus iunior filius Ducis duxit sororem Reginæ Vngariæ.

Archiepiscopus instituit sedem Cathedralem apud sanctum Andream in Lauent; cui præfecit Vlricum in Hus.

Gvverra grauis inter Rapotonem Comitem Palatinũ Bauariæ, & Comiten de Bogen orta est, in qua quam plures Ecclesiæ sunt destructæ & spoliatæ, & prędia monasterij in inferiori Altach incendio sunt destructa: & Rapoto Co-

mes Palatinus Bauariæ ciuitatem * in Lithenvverde, quam Comes Albertus de Bogē prope Lithenvverde monasterium Altahense erexerat, incendio penitus deuastauit.

** F. in Linthēvverde. quam C. A. de B. prope monasteriū A. e.*

Chunradus Ratisponensis Episcopus obiit, cui Sifridus succedit, substitutus à Domino Gregorio Papa nono.

M. CC. XXVII.

Honorius Papa III. obiit, cui succedit Dominus *Hugelmus Hostiensis Episcopus, qui & Gregorius IX.

** F. Hugelinus.*

Magna copia cruce signatorum ad exhortationem & mandatum Domini Papæ iter peregrinationis arripuerunt: sed circa maritima magna pars ipsorum mortua est: inter quos Augustensis, & Ludvvicus maritus sanctæ Elisabeth, Lantgrauius de Tyringen cum aliis nobilibus obierunt. Reliqua pars credens Dominum Imperatorem transfretaturum, mare transiuit; Imperatore vero remanente in continenti ferè omnis illa peregrinatio rediit. Dominus Papa Imperatorem pro eo, quod votum peregrinationis non soluerat, excommunicatum solemniter denunciauit; Ex horum itaque facto grauissimum schisma oritur inter Regnum & Sacerdotium, ita vt ferè tota Christianitas per plures annos nouis & insolitis pressuris plurimum turbaretur. Nam electiones Episcoporum, Personatuum, & aliarū magnarum dignitatum, tunc à sede Apostolica & legatis eius taliter sunt suspensæ, vt contra voluntatem eligentium is vel ille præficeretur in qualibet dignitate, qui vel cuius amici tunc videbantur sedi Apostolicæ plus fauere. Principum etiam ac Comitum & ministerialium tantam multitudinem sibi attraxit Ecclesia, vt si ei perseueranter & fideliter adhæsissent, poterat pro suæ voluntatis arbitrio triumphasse.

Quamdiu autem durauerit, & quomodo sæuiens mors tam Pontificum quàm Regum inter se diffidentium sæpe inter-

interruperit gvverram iftam, patebit in fequentibus. Fortitudinem tamen eiufdem fchifmatis multa paria literarum oftendunt ex vtraq; parte hinc inde tranfmiffarũ. quarum quafdam hîc placuit annotari.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator femper Auguftus, Hierufalem & Siciliæ Rex dilecto Principi fuo N. gratiam fuam & bonam voluntatem.

Vide Pet. de Vinea lib. 1. c. 36.

Æmula Regum & Principum orbis terræ, ac confortũ impatiẽs dudum in fuperbiam fæculorum liberaliter adaucta per eos Romana fedes illius, qui Princeps effe dicitur facerdotum, in fuum aduerfus nos præconceptum odium ad vniuerfale fcandalũ fic exarfit, adeo auerfo Ecclefiafticę religionis ordine, pręter mandata legis, quorum lator & pater effe debuerat, quę peruertit, dum fe hoftilibus rebus immifcens dubios bellorum euentus, cædes hominũ, obfidiones vrbiũ & vniuerfaliter vndiq; procurat pericula populorum. Sponfam Chrifti Ecclefiam matrẽ noftrã, cuius auctoritate libitum pro licito fequitur, è fanctuario Dei fuarũ vindictas inimicitiarum exercens, reddit, proh dolor, mundo notabilem: vt fub tam inconftanti & volubili rerum actore, qui & præfidet, & nomine Ecclefiæ diuerfa variat & confingit, experientia facti fingulos edocente, nõ immerito ab Ecclefia pro eius præfide ac experto patre mendacij meticulofa fufpicio cordib. hominũ inferatur. Quapropter deuotionem tuã contingentia non patimur ignorare. Nuper n per quofdã de maiorib. fratribus tuis & religiofos alios viros afpirantes ad quietũ Ecclefiæ ftatum, & piis zelantes defideriis bonum pacis, adhibita eft cura propenfior inueniẽdi modum & habendi tractatum per quem inter nos Pontificẽ & Pharifæũ iftum contra noftri honorẽ nominis praua cõfilia colligentẽ ad certũ tempus treugarum cõpofitio fieret infraq; per te, quẽ habemus in omni dilectione præcipuum, & alios

Principes orbis terræ, ad integræ pacis reformationem opportunitas commodior haberetur. Cumque nos eisdem viris inuentoribus huius viæ, præter spem & creditum, pro Ecclesiæ reuerentia condescendere dignaremur, G. dictus Papa petebat Lombardos rebelles nostros & nostri bannitos Imperij treugis ipsis debere muniri. Quibus exclusis treugas ipsas non poterat acceptare, vt euidentiorem daret omnibus intellectum, quod negocium rebellium Lombardorum fouit & fouet in nostrũ odium manifestũ illud gerens, & reputans velut suum, quanquam hactenus alia palliaret, quod non in fauorem ipsorum sed ob transgressiones nostras, & alias quas fingebat contra nos, ad excommunicationis sententias processisset. Quod intolerabile visum est nobis, vt rebellibus nostris, diutino gvverrarum discrimine fatigatis, & in maiori parte depressis treugas concedere deberemus, ad quorum persecutionem & vindictam accincti, vexilla victricia, & præpotentia castra nostra triumphabiliter duximus educenda. Et licet nobis in confinio castra metatis Campaniæ suggereretur instãter ad ingressum illius prouinciæ data plena fiducia de obtentu, super quo doloris gladius ad iniuriatoris nostri animam pertransiret, nos ad præsens ob honorem Dei & reuerentiam beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quibus vtpote quod sacrũ diadema de* arâ beati Petri suscepimus, esse volumus non ingrati, ab ingressu & receptione ipsius terræ destitimus; expectantes interim, si nostrum iniuriatorem omissa aliàs vexatio reuocet ab offensis. Præterea non patimur te latere, qualiter homo iste dictus Papa in obsidione Ferrariç ciuitatis Imperij & Salingvverræ fidelis nostri Bononiensibus, Venetis, & aliis conuicinis nostris rebellib. conuocatis, Legatum suum cum Mediolanensibus fecerit cõuenire Ducem ibidem exercitus & Rectorem. Qui adeo cum suis com-

* al. arce.

complicibus eundem Salingvverram & Ferrariam in exhæredationem Imperij coartauit; qui à suis proditus receptis tamen promissionib. & pactis de indemnitate suæ personæ ac rerum suarum, & de salubri mora sua in eadem ciuitate, nec nō per eundem Legatum Ducem Venetiarum, potestates, Rectores, Capitaneos, exercitus, & generaliter per totum exercitum iuramento firmatis nomine Ecclesiæ iuramentum impendit, ac se & prædictam ciuitatem assignauit specialiter Ecclesiæ possidendam, commissa fide sua fidei Legati Ecclesiæ, q; præstita & iurata sibi securitas plenaria seruaretur, sed post deditionem ciuitatis & suam, legatus idē (tanquā si ex legationis officio fungeretur celebrare periuria, quemadmodū præstitit, iuramenta) eum prædictis omnibus deierauit, demolitis domibus & bonis eiusdē Salingv verræ ipsum simul deduxere fide mentita Venetias captiuatū. Ecce qualis inuenit in Legato fides, qualis à patre legati mentiēdi procedit authoritas, vt fidem reputent fidei vinculum nō seruare: O quam pestiferum ab Ecclesiæ rectoribus emanat exemplum, quàm euidens omissa veritate deceptio, vt Regibus & Principibus orbis, quibus propter impatiētiam potestatis inuident, sit præcipue præcauendum, ne de facili se præbeant in manibus eorundem, qui semper intercipere conantur incautos, & pium reputant, innocentiam condemnare. Nos autem, qui vniuersos & singulos iam tum ex vicinitate, tum ab experto intus & in cute iam cognouimus, taliter vos per indaginem rerum ab eorum fallaciis cautos volumus obseruari, vt vobis intendamus potissimum præcauere; sperantes in eo, qui Regna & Reges constituit, quod iustè iniuriam propulsantes, violentiam nobis illatam nostrarum virium conamine propellemus, & in gladio iustitiæ, quem auctore Domino baiulamus, sacerdotū gladios, quibus abiecta stola lumbos suos inhonestè præcingunt, iustius retundemus. Dignum

insuper duximus ad tuam notitiam deferendum, quod ipse Papa sicut est suis motibus præceps, & inconstans in omnibus viis suis, strenuis viris de Francia, Cruce signatis, & per voti executionem ad iter accinctis, prohibuit sub censura Ecclesiastica, ne transeant in præsenti, non attendens necessitatem exercitus in vltramarinis partibus commorantis, quibus in emergentis casus articulo nedum de cruce signatis, sed de nouiter consignandis deberet in auxilium venire. Vnde ab operibus eius, quæ suo testimonium profitentur auctori, potestis agnoscere, quod duplicitas viarum suarum scandalum generet, & totius vniuersitatis incommoda subministret. Datum in castris in obsidione Esculi xviii. Iulij. xiii. indictione.

Vide Pet. de Vin. l. c. 19.

FRIDERICVS Dei gratia Romanorũ Imperator, &c. Dum ad depopulationem vicinæ Bononiæ nostrum verteremus propositum & affectum, Prælatorum turbam cum Prænestino Episcopo, Magistro Ottone de * Turengo sancti Nicolai in carcere Tullianensi Diaconi Cardinalis, nostris aduersaturam processibus ex diuersis prouinciis congregatam contigit suo infortunio Ianuam peruenisse, vbi conueniente cum eis Gregorio de Romania addito legato legatis, vt insimul ligarentur, & conspiratione cum Ianuensibus rebellibus nostris facta, galearum copiam armari fecerunt, cum quibus ad Papam Rom. pro maiori parte cõiurauerant aduenire. Ad quorum impediendum transitum & accessum, nostrarum diu ante præuisum conuenire fecimus apud Pisas victoriosum * stolium galearum; quod eorum præcognita motione in locis & portubus, quà latenter vel alto mari præterire non poterant, velut obuia & necessario nauigabilia transituris, eis transeuntibus potenter occurrit, & aggressis galeis nostris galeas ipsorum, præpotens Dominus, qui ex alto videt & diiudicat æquitatem,

al. Zurch.

classem intellige.

vias

vias eorum & excogitatam malitiam meditatus in viribus & potentia nostra, quam fugere terra vel mari non poterant Domino fallente, Legatos simul tradidit, & Prælatos; & tribus galeis ipsorum inuersis, ac omnibus qui vehebantur in eis sine spe recuperationis amissis, viginti & duæ galleæ non sine magna cæde nauigantium cum paruis & rebus victæ sunt à galeis nostris, & triumphabiliter captæ: in quibus prædicti tres Legati cum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & multis Prælatis aliis & nunciis, & Prælatorum procuratoribus, vltra centum ambasiatoribus ciuitatum rebellium Lombardiæ, qui ad præfixum ire concilium properabant, quatuor milib. Ianuensiũ exceptis specialibus & electis personis de Ianua, quæ galeis præerant, & comitatui Prælatorum producendis eis de Ianua, sicut inter eos fuerat infortunatè conuentum, ad manus nostras peruenere ligati, vt de Prænestino illo, qui summum contra nos vbique odium incitabat, diuinum non defuisse iudicium arbitremur; quod sub latentis lupi specie in ouina pelle & agni clamyde Dm. inclusum gerere non confidat, & sciat Deum nobiscum esse sicut cum Diis eorum, quod non solum per sacerdotium, sed per regnum, & sacerdotium mundi machinam statuit gubernandam. Nos igitur suum nobis cælitus Domino reserante consilium, & in plana tot aspera conuertente, sudores bellicos & æstiuos pulueres non vitantes, nostrum fælix iter & intentionem omnimodam, & conatus ad ea dirigimus, quę nobis & cæteris regnantibus exaltationis & gloriæ afferant incrementum, vt te prædictorum nostrorum successuum participem fieri gaudeamus, quem in omni successuræ fælicitatis euentu cupimus habere consortem. Datum * Fauent. XVIII. Maij. XIV. Indictione.

* fort. Fauentiæ.

Grego-

Gregorius seruus seruorum Dei dilectis filiis Magistris Alberto Archidiacono Patauiensi & Philippo de Asisio nuncio nostro in Alemannia commoranti salutem & Apostolicam benedictionem. Quia Fridericus dictus Imperator de multis & grauibus excessibus suis à nobis diligenter & frequenter admonitus non solum satisfacere non curauit, sed corde nequiter indurato iugiter etiam deteriora committit, nos de fratrum nostrorum consilio in eum & in omnes illos qui in huiusmodi excessibus, vel aliâs contra Romanam Ecclesiam sibi præstiterunt consilium, auxilium, & fauorem, excommunicationis & anathematis sententiam duximus promulgandam: omnes qui ei fidelitatis iuramento tenentur, decernendo ab obseruatione iuramenti huiusmodi absolutos: & firmiter prohibendo, ne sibi fidelitatem obseruent, iuxta canonicas sanctiones. Ad hæc ciuitates, castra, villas & alia loca, ad quæ ipse peruenerit, quam diu ibi fuerit, Ecclesiastico supposuimus interdicto; ita quod publicè vel secreto nullum ibi officium diuinū celebretur, indulgentia vel priuilegio quolibet non obstante; Omnesque qui eidem præsumpserint celebrare, vel potius profanare diuina, pœnæ depositionis decreuimus perpetuæ subiacere. Vniuersis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis per Alamaniam constitutis nostris damus literis in præceptis, vt prædictam excommunicationis & anathematis sententiam pulsatis campanis, accensis candelis, necnon alia quæ continentur in ipsis in singulis ciuitatibus, castris, ac villis & locis suarum diœcesium absque dilatione aliqua publicari solemniter ac etiam nunciari singuli faciant eorundem. Et nihilominus omnes tam clericos quàm laicos, qui ei aduersus fidem Catholicam & libertatem Ecclesiasticā ac spōsam Christi sacrosanctam Ecclesiam machinanti cum armis vel sine armis auxilium præstiterunt,

terunt, vel fauorem, excommunicationis vinculo innodari. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mãdamus, quatenus, si dicti Archiepiscopi præceptum nostrũ neglexerint adimplere, vos eos ad id per excommunicationis sententiam, appellatione remota, cogatis; constitutione de duabus dietis in generali Concilio edita non obstante. Quod si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Lateran. IX. Cal. Decembris, Pontificatus nostri anno XIII. &c.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis Magistris Alberto Archidiacono & Philippo de Asisio nũcio nostro in Alamannia commoranti salutem & Apostolicam benedictionem. Rationalis spiritus exulanti extra suos terminos naturæ compatitur, & à naturali potentia frequẽter rationis excidium deploratur. Sed cum hæc duo deformationis vulnera sentiunt, de illatis sibi passionibus ad inuicem conqueruntur, nõ quod rationi vel naturæ possit inesse deformitas; à qua creator creaturam suam in creando facit penitus alienam, sed quod actiones proprias toties intentio praua deformat, quod iam corruptelæ vicium videatur naturæ priuilegiis insignitum. Vnde turbatur ratio, merito natura conqueritur, nisi ius ab iniuria prouocet, ab iniustitia vox innocentis appellet, ad tribunal recurratur supremi iudicis, vbi affectus noxij iustitiæ limitibus coërceantur. Quare Apostolica sedes iustitiæ languenti succurrere, sæuientis iniquitatis occursibus obuiare, vnius cultores attollere, & actores tenetur alterius rigore Ecclesiasticæ reprimere disciplinæ. Hinc est quod dolentes audimus, quod quidã Friderico dicto Imperatori, qui, sicut Herodes, Christianam religionem, & in pectore fidelium Iesum Christum conatur extinguere, & fidem Catholicam ac Ecclesiasticã libertatem totis molitur viribus conculcare, contra Deum

& Romanam Ecclesiam, consilium & auxilium ac fauorem impendunt. Dolentes referimus, quod praua mente Imperio, cuius iura & honores ac principum conseruari volumus & optamus illæsa, perniciosè incubat & incumbit: Decorem ipsius Imperij & honorem Principum, Imperij lege contempta & Principum priuilegio cancellato, quosdam de ipsorum Maioribus, quod actibus suis illicitis consentire renuunt, incarcerando, proscribendo & proditoriæ necis gladio feriendo, ac paganorum qui Asisini vocantur, quod inauditum est de quolibet Principe Christiano, gladiis exponendo deturpat. Nonnullos Episcopos præcones Christi, Rectores fidei, Pastores ouium, medicos languentium animarum, spoliatos bonis Ecclesiasticis & mundanis, de regno quod est beati Petri patrimonium Episcopale, aliisq; terris Imperio Romano subiectis, proscriptione damnabili exulare compellit: sacrosanctas Ecclesias sacrilega temeritate prophanans; religiosos (quorum vnum de ordine Fratrum Minorum absq; iuris ordine & debita causæ cognitione horribili crudelitate combussit) pupillos, orphanos, pauperes & viduas tegmine vili nudatos, quasi sublatis desuper carnibus exossauit. Excommunicationis quoq; ac anathematis latam contra se à nobis sententiam contemptis Ecclesię clauibus vilipendit; solemniter publicè sibi faciens celebrari, vel potius prophanari diuina. Nec non laqueo damnatæ hæresis se suspendens, eandem sententiã prędicat non seruandam. Verũ cum ex hoc, subsidio consilii & fauore fidelium populorum dictus Fridericus reddiderit se indignum, venerabiles fratres nostros Archiepiscopos, Episcopos, ac dilectos filios Abbates, Priores, Prępositos, & alios Ecclesiarum Prælatos, nec non nobiles viros, Duces, Marchiones, Comites, Barones & vniuersos alios Christi fideles per Alamanniam constitutos rogandos

duximus

duximus attentius & monendos sub debito fidei Christianæ, quo tenentur Domino Iesu Christo, districtè præcipiẽdo mandantes, vt præfato Friderico consilium, vel iuuamẽ operæ, vel operam aliquatenus non impendant.

Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eos qui contra præscriptum mandatum nostrũ venire præsumpserint, per excommunicationis sententiam, sublato appellationis obstaculo, à præsumptione huiusmodi compescatis, Constitutione de duabus dietis in generali concilio edita non obstante. Quod si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Lateran. VIII. Calendas Octobris, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

M.CC.XXVIII.

Imperator defuncta Imperatrice in puerperio, transfretauit, & per Cyprum vsq; *Ancona venit, vbi in magna gloria fuit susceptus, & post paucos dies legatos Soldani pacificè eum excipientes recepit.

*F. Accaron.

Otto filius Ducis Ludvvici Bauariæ apud Straubing, præsente Rege Heinrico, & multis aliis Principibus, in festo Pentecostes gladio accingitur. Vbi Vlricus primus *Lauentinensis Episcopus, ab Archiepiscopo in Episcopum consecratur. Isti autem Principes interfuerunt: Heinricus Rex filius Friderici Imperatoris, Ludvvicus Bauariæ, Luipoldus Austriæ, Bernhardus Karinthiæ, Otto *Morauiæ, Duces, Heinricus de Andechs. Episcopi, Eberhardus Saltzburgensis, Hermannus VVirtzburgensis, Ekkibertus Babnbergensis, Gebhardus Patauiensis, *Sifridus Ratisponensis, Siboto Augustensis, Heinricus Aystetensis, Rudgerus Kymensis, Karo *Secouensis, Albertus Lauentinus.

*F. Lauatinensis.

*F. Merania, Dux H. de A.

*F. Sigifridus.

*F. Seuensis.

M.CC.XXIX.

Imperator in transmarinis partib. positus, ciuitatẽ sanctã

Hierusalem & maiorem partem terræ sanctæ à Soldano Babylonico recepit,& treugis inter ipsos firmatis Imperator reuertitur in Apuliam,& fines regni Apuliæ ab exercitu Domini Papæ occupatos recepit. Exercitus Domini Papę,qui in tres partes diuisus erat,Teutonicis cruce signatis Passagium impediuit. Longobardi & Tusci cum Domino Papa contra Imperatorē conspirant. Agnes Ducissa Bauarię Idibus April. peperit filiū qui vocatus est Ludvvicus.

Poppo Altahensis Abbas obijt. Bertoldus Burensis Abbas eligitur,post quem Chunradus eligitur.

.M.CC.XXX.

Tiberis alueum suum egressus vicina loca occupauit,& in vrbe Roma vsq; ad gradus sancti Petri ascendit. Vnde Romani compulsi Papam ad vrbem reuocauerunt. Dominus Papa & Dominus Imperator mediantibus Principibus Alamanniæ, videlicet * Patriarcha Aquileiensi Bertoldo, Archiepiscopo Saltzburgensi Eberhardo, Episcopo Ratisponensi Sifrido, Austriæ Luipoldo, Morauiæ Ottone, Karinthiæ Bernhardo, Ducibus & quibusdam alijs ad concordiam redierunt,& Dominus Imperator ab excommunicatione absoluitur.& post absolutionem in hospitio & mensa à Domino Papa excipitur. Luipoldus Dux Austrię apud sanctum Germanum obiit,cuius corpus in monte Cassino in monasterio sancti Benedicti à Cardinalibus sepelitur,& ossa eius elata ipsius in die S. Andreę apud monasterium Lerneuelde,quod idē Dux magnifico opere,vt hodie claret, construxerat,ab Archiepiscopo sepeliuntur,& eodē die dictū monasteriū ab eodem consecratur. Rex Bohemię Austriā manu valida intrans magnam partem terræ vastauit. Episcopus Ratisponensis Cācellarius Imperialis aulę efficitur. Sifridus Moguntinensis Archiepiscopus obiit. Carolus primus Secouiensis Episcopus obiit. Castrum in * Flinspach ab Alberto Comite de Bogen erigitur. M,CC-

*F. Patriarcha Aquileiensi, Berchtoldo Saltzburgensi Archiepiscopo, Eberhardo Ratisponensi Episcopo, Sifrido Episcopo Augustensi, Sibot Austriæ, Lupoldo Meraniæ, Ottone & Bernhardo Karinthiæ Ducibus.

Sed vitiosam esse distinctionem & lectionem F. patet ex sequentibus vbi Luipoldus Dux Austriæ, & Bertoldus Aquileiensis Patriarcha dicitur, &c.

* F. Flinsperg.

M.CC.XXXI.

Geroldus Episcopus Frisingẽsis cessit, cui succedit Chunradus Canonicus eiusdem Ecclesiæ. Rapoto Palatinus Bauariæ obiit: Ludvvicus Dux Bauariæ præsente familia sua à quodã ignoto pagano cultro percussus obiit: Et hoc apud Chelheim insidiis Domini Friderici Imperatoris xvi. Calẽdas octobris. Præpositus Saltzburgensis, Abbas sancti Petri, & Abbas* Admuntensis de licentia Domini Papę ab Archiepiscopo in die sancto Paschæ mitris pontificalibus sunt insigniti, & priuilegiati. Monasterium monialium Cisterciensis ordinis à Ludmilla Ducissa in Lantzhuet construitur.

*F. ad Murten.

M.CC.XXXII.

Imperator Natalem Domini apud Rauenam celebrauit, & per Venetias transiens vsque ad Aquileiam & forum Iulii processit; vbi Rex filius suus & quidam alii Principes, scilicet Fridericus Dux Austriæ, qui iam apud VViennam gladio militari accinctus erat, cum quibus de pace Alemaniæ verbotenus ordinans in Apuliam se recepit. Gebhardus Patauiensis Episcopus propter infamiam occisionis Eberhardi canonici Patauiensis, & aliorum criminalium sibi obiectorum Episcopatum resignauit. Sanctus Antonius de ordine minorum fratrum apud Paduam signis coruscans à Domino Papa canonizatur, cum nondum annus integer post obitum suum esset elapsus. Ekkebertus Episcopus Babenbergensis cum Duce Karinthiæ bellum mouens plures eius munitiones destruxit, & terram pro magna parte vastauit. Dominus Archiepiscopus ex licentia Domini Papæ Præposito Saltzburgensi vsum virgæ pastoralis & annuli & chirothecarum indulsit. Chunrado electo Altahensi amoto Dietmarus fit Abbas.

M.CC.XXXII.

Sanctus Virgilius à Domino Papa Gregorio nono cano-

*F. Octauo.

 nizatus

nizatus est IV. Idus Iunij. Rudgerus primus Kymensis Episcopus auctoritate Domini Papæ Patauiēsi Ecclesiæ præficitur. Elizabeth filia Regis Vngariæ vidua Landgrauij post obitum suum multis miraculorum signis claruit. Episcopus Ekkebertus Babenbergēsis à ministeriali Ducis Karinthiæ per totam quadragesimā in captiuitate tenetur. Otto Dux Bauariæ curiam celebrandā Ratisponensem indixit, quam propter indignationem Regis Heinrici & aliorum quorūdam principum sibi non fauentium, apud Lantshuet celebrauit. Sed postmodū Rex cum multis principibus & magno exercitu Bauariam intrauit, Ducem destructurus. Sed mediante Archiepiscopo Saltzburgensi in gratiā eum recepit, & filium eius puerulum in obsidem Regi dedit, & tandē Curiam solemnem Ratisponæ Dux celebrauit, cui Archiepiscopus Saltzburgēsis, & omnes Episcopi Bauariæ interfuerunt. Dux Bauariæ cum magno exercitu fines Ducis Austriæ deuastauit, & *claustrum in Lambach exussit. Dux Austriæ magnum exercitum contra Regem Bohemiæ primo collegit, & Morauiam intrauit, & secundo alium exercitum aduersus Regem Vngariæ collegit, sed postea plures ministeriales suorum tam in Marchia quam in Austria aduersus eum conspirant.

*F. castrum in Lainbach.

M. CC. XXXIV. Dux Bauariæ super monasterium Vormbach repente irruens, multos proscriptos, qui se in eodem monasterio eiectis monachis receperant, comprehendit; quorum quosdam suspendi, alios capite plecti iussit circiter quadraginta.

M. CC. XXXV.

Agnes Ducissa Bauariæ XIII. Cal. Decembris peperit filium, qui vocatus est Heinricus. Albertus Comes de Bogē transfretauit, & apud Venetias captiuatur.

M. CC. XXXVI.

Fridericus Dux Austriæ.

Fridericus Dux Austriæ & Styriæ ab Imperatore proscribi-

ſcribitur apud Auguſtam. Iſte Fridericus cum eſſet ſeuerus homo in iudicio diſtrictus & crudelis, magnanimus in prælis, in theſauris congregandis cupidus, terrorem ſuum ſic fudit ſuper indigenas & vicinos, vt non ſolum non diligeretur, ſed ab omnib. timeretur. Ibat enim potenter cum exercitu in Morauiam contra VVencezlaum Regē Bohemorū. Deniq; etiam Vngariam intrabat, fines vtriuſq; Regni ferro & igne deuaſtans: Satagebat etiam nobiles & meliores terræ ſuæ opprimere & ignobiles exaltare. Agnetem vxorem ſuam filiam Ottonis Ducis* Morauiæ tanquam cognatam repudiauit, quam poſtea Vlricus Dux Karinthiæ accepit vxorem. Edicta Friderici Imperatoris, inimicitias Principū contempſit, donec ab ipſo Friderico per ſententias Principum in Curia Auguſtæ celebrata proſcribitur, & Principatuum ſuorum honore priuatur.

* al. Meraniæ.

M. CC. XXXVII.

Sequenti igitur anno Fridericus Imperator contra Fridericum Ducem in Auſtriam vadit, à ciuibus VVienenſibus, & quibuſdam miniſterialibus inuitatus; & hyemauit ibidem, habens ſecū Principes Imperij, videlicet VVencezlaum Regē Bohemorum, Bertholdum Patriarchā Aquilegiēſem, Sifridū Moguntinum, Eberhardū Saltzburgēſem, Theodoricum Treuerenſem Archiepiſcopos. Ekbertum Babnbergenſem, Sifridum Ratiſponenſem, Rudgerū Pataniēſem Epiſcopos. Ottonē Bauariæ, *Bernhardū Karinthię Duces. Heinricum Lantgrauiū Turingiæ, & alios quā plures Comites & nobiles. Tunc dictus Fridericus Dux terrore Imperialis fortitudinis non concuſſus cū paucis qui ſibi adhæſerāt, in oppido, quod dicitur Noua ciuitas, ſe recepit, exinde pro ſua defenſione, quæ poterat, exercendo. Imperator itaq; cernēs, quod Frideric⁹ Dux paruipēderet illata, nec curaret gratiam Imperij quærere, receſſit ab Auſtria, relin-

* F. male: Burchardum, nam paulo ante Bernardus dicitur.

Neuneſtat.

relinquens ibi Capitaneos, Ekbertum Babnbergensem Episcopum,& de Henneberch, & de Eberstein, & de Nurnberch Comites, celebrando festum Resurrectionis Dominicæ Ratisponæ. Ekbertus autem Episcopus Babnbergensis erat auunculus Belæ Regis Vngariæ, & frater Bertoldi Patriarchæ Aquileiensis, vir magnanimus & bellicosus; & ob hoc prædictus Imperator sibi tuendam terram Australem specialiter commendauit. Defuncto autem eodem anno Episcopo memorato, & Imperatore se ad Apuliam transferente, prædictus Dux Fridericus animosior effectus Albertum Comitem de Bogen in auxilium suum vocat, cum ipso Comite egressus muros Nouæciuitatis, in campo qui dicitur Stainueld, pugnam iniit cum VVienensibus & capitaneis eorum, reportans victoriam gloriosam. Capti namque sunt in eodē bello Rudgerus Patauiensis,& Chunradus Frisingensis Episcopi, & multi ex nobilibus, quos ad tuitionem terræ prædictus reliquerat Imperator. Actum Anno Domini M. CC. XXXVIII.

Dux itaque Fridericus his successibus prosperatus, recedente à partibus istis Cæsaris milite, in breui tempore totam hæreditatis suę terram, rehabuit, regens eam deinceps ita strenuè, quod in ipsa quoque iustitia,& vt multis videbatur, sæpe tyrannidem exercebat. Audacia itaque cordis sibi innata ipsum quiescere non sinebat, donec octauo post hæc anno Belæ Regi Vngarorum indixit, in cuius terram cum intraret exercitum validissimum ducens, congressione cum Vngaris facta & Cumanis, aduersa pars vincitur & fugatur. In qua victoria, dubium, vtrum ab amicis vel inimicis circa oculum cuspide vulneratus occubuit,*VI. Februarij in festo sancti Viti Anno Domini M. CC. XLVI. Occiso itaque Friderico potentissimo & inquieto Duce Austriæ & Styriæ, quanta mala ferè per sex annos vtraque Prouincia

*F. sexta feria.

uincia sit perpessa, nullus valet scribere vel narrare. Nam quilibet nobilium, imo magis ignobilium, nec Deum, nec homines reueritus, quæcunque volebat faciebat; homines ad munitiones vel cauernas terræ fugere non valentes captiuando, vulnerando, occidendo, ac excogitatis & hactenus inauditis tormentis miserabiliter cruciando. Bela etiã Rex Vngariæ orbatas hæredibus terras sibi attrahere cupiens, multa milia hominum per paganos homines, videlicet Cumanos in captiuitatem adduxit, multa occidit, ac vtriusque terræ Marchia ferè inhabitabilis facta. Tunc Hermannus Marchio de Baden natus ex Irmgarde sorore Dominæ Agnetis Ducissæ Bauariæ, auxilio Ottonis Ducis Bauariæ, duxit in vxorem Gerdrudam filiam Heinrici Ducis, qui fuerat frater Friderici Ducis Austriæ antedicti, & Ducatus Austriæ & Styriæ ratione talis coniugii vsurpauit. Qui genuit filium nomine Fridericum, & filiam nomine Agnetem, quæ Vlrico Duci Karinthiæ postea copulatur. Et cum dictus Hermannus Dux esset impotens, tantam malitiam hominum, quæ iam nimis inualuerat, morte etiam præpeditus, compescere non valebat. Moritur enim *quarto nonas Octobris.

Herman. Marchio Bad.

**F. tertio.*

M. CC. XL.

Dominus Otto etiam Dux Bauariæ mittens Ludvvicum filium suum cum exercitu ad terram illam sibi ciuitates Lintz & Anasum cum magna parte illius prouinciæ subiugauit. Postea misericordia DEI de cœlo prospiciente fatigatis & depauperatis iam nimium optimatibus terræ Dominus Primizel, qui & Otacher, filius Venezlai Regis Bohemiæ, consilio patris & vocatione magnatum ciuitatum Austriæ & Styriæ vtrumq; Ducatum sibi attraxit; Dominam Margaretam relictam Heinrici quondam Regis Bohemorum, sororem scilicet supradicti Friderici Ducis

accipiens in vxorem, ad cuius subiectionẽ statim tota Austria & Styria cum superioribus & inferioribus ciuitatibus est conuersa. Attamen quod Bela Rex Vngariæ *Bohem. ciuit. iam cum magna parte Ducatus Styriæ occupauerat, non desiit lædere terram, donec conuentione inter Reges facta, quædam pars Ducatus Styriæ sibi cum distinctis terminis assignatur, Domino Ottachero in pace partem reliquam cum terra Austria retinente. Extunc gratia diuina donante ac probitate dicti Domini faciente, pax ibidem optima renouatur, rura deserta coluntur, securum vbique acquirunt transitum mercatores. Sancta Elisabeth miraculis clarens apud Marchburch de tumulo transfertur, præsente Friderico Imperatore, qui etiã tunc temporis Heinricum Regem Alamanniæ filium suum pro eo, quòd contra ipsum cum Lombardis conspirauerat, captiuauit, & exilio relegauit, vbi & vitam in breui finiuit. & duo filio eius F. & H. similiter in Apulia obierunt. Ekkbertus Babnbergensis Episcopus obiit.

*F. Bethoniam ciuitatem.

Fridericus Imperator à Domino Gregorio Papa nono in Ecclesia Lateranensi in die Palmarum & subsequenter in Cœna Domini & in Pascha ex multis causis solemniter excommunicatur, approbantibus Cardinalibus vniuersis.

M. CC. XLI. Hoc anno Regnũ Vngariæ, quod CCC. & L. annis durauit, à Tartarorum gente destruitur. Gregorius Papa IX. obiit. Cælestinus Papa sedit dies XVIII. Eclipsis solis facta est in media die in Octaua Michaëlis, & stellæ visæ sunt.

Cælestinum IV.

M. CC. XLII.

Albertus vltimus Comes de Bogen obiit XVIII. Calend. Februarij. Dietmarus Abbas Altahensis obiit: Hermannus Abbas succedit. Heincus de Camtania nomine Imperatoris eligitur in Episcopum Babnbergensium.

Kempten.

M. CC.

M. CC. XLIII.

Symmbaldus Diaconus Cardinalis in Papam eligitur, & vocatus est Innocentius Papa IV. VII. Calendas Iulij. Iam enim, propter schisma inter Regnum & Sacerdotium, Sedes Apostolica vacauerat mensibus ferè XXII.

F. Synnibaldus. Innocentius IV.

M. CC. XLIV.

Heinricus filius Ottonis Ducis Bauariæ duxit vxorem Dominam Elisabeth filiam Belæ Regis Vngariæ. Aquæductus fit ad monasterium Altahense.

M. CC. XLV. Vniuersalis synodus celebratur apud Lugdunum, vbi Dominus Innocentius Papa contra Fridericum Imperatorem depositionis sententiam promulgauit. In ea synodo fuerunt tres Patriarchæ & Episcopi plurimi.

c. ad Apostolicæ De sent. & re iud. in 6.

M. CC. XLVI.

Eberhardus Saltzburgensis Archiepiscopus obiit. Sifridus Ratisponensis Episcopis obiit: Cui Albertus per Legatum sedis Apostolicæ subrogatur. Fridericus Dux Austriæ occisus est. Heinricus Lantgrauius Turingiæ à quibusdam principibus eligitur in Regem & eodem anno obiit. Chunradus filius Imperatoris Friderici Imperatoris duxit vxorem Dominam Elisabeth, filiam Ottonis Ducis Bauariæ.

Heinricus antirex.

M. CC. XLVII.

VVilhelmus Comes Holandiæ in Regem eligitur. Huius VVilhelmi Regis tempore ciuitates apud Rhenum cum Principibus optimam pacem ineunt, eligentes sibi capitaneos, destruentes castra nociua, & iniusta telonia remouentes, quę post obitum ipsius Regis, qui vixit quasi nouem annis, omnia redierunt in pristinum malum statum. Fuerunt autē subscripti Principes, & subscriptę ciuitates, quæ sanctę pacis fœdera iurauerunt; Gerhardus Archiepiscopus Moguntinensis, Chunradus Archiepiscopus Coloniensis,

VVilhelm. antirex.

Arnoldus Treuerensis Episcopus, Richardus VVormacensis Episcopus, Heinricus Argentinensis Episcopus, Bertoldus Basiliensis Episcopus, Iacobus Mettensis Episcopus, Abbas Fuldensis, Ludvvicus Palatinus Rheni Dux Bauariæ,* Comes Siluester, Dietherus Comes de Chazenellenbogen, Fridericus Comes de Lüningē, Bertholdus Comes de Zigenhagen, Encho Comes Syluester, Gotfridus frater suus, Dominus Poppo Comes de * Turingia, Vlricus Comes de Ferreto, Comes de * Verirnburch, Domina Sophia Lantgrauia Turingiæ, Domina Vdulhildis comitissa de Liningen, Dominus de * Tirenperch, Vlricus de Minzenberch, * Gerlacus de Limpurch, Philippus de * Herchenuels, Philippus de * Volchenstain, Dominus de Schtralenberch, Pincerna de * Erlach. VVernherdus Dapifer de Alzeia, Heinricus de Erenberch, Rumpoldus de * Stamach.

F. Conradus Comes Syluester, Richerus C. de C.
** F. Tubingen.*
** F. VVurnberg Virnberg.*
** F. Trinperch.*
** F. Geralatus.*
** F. Herchenveld.*
** F Valchenstain.*
** F Erpach, VVernherus dapifer de Alzaya.*
** F. Stainach.*

Nomina Ciuitatum confœderatarum ad pacem generalem Mogontium, Colonia, VVormatia, Spira, Argentina, Basilea, * Tirhigen, Fridburch, Brisacum, Columbaria, Slezestat, Hagenhovvia, * VVezenburch, Nimstat, VVimpfa, Haedelberch, Lauterburch, Oppenhaim. Frankhfurt, Friderberch, VVechflaria, Galenhausen, Marchburch, Agilsuelt, Voltda, Mulenhusen, Archaffenburch, Selistat, Pingia, Dipach, * VVacheratum, VVesalia, Popardia, Andernacum, Bunna, Nussia, Aquis sedes regalis, in VVestualia Munster, & aliæ ciuitates plusquam sexaginta, cum ciuitate * Bernensi, Gumperch, Hirsuelden.

** F. Thiringensis, Friburg.*
** F. VVessenburch, Nuinstat, VVimpina, Heydelberg, Lauternbuch, O. F. F. VVetlaria, Gaulenhausen, Marburch, Aglisueld, Voldta, Mulenhausen.*
** F. VVatheracum Bacharach.*
** F. Bernensi, Grumperch.*

Rugerus Patauiensis Episcopus multas crematas Ecclesias consecrauit, in mense Augusto.

Ludvvicus filius Ottonis Ducis Bauariæ Chunradum Comitem de VVazzerburch cum exercitu inuasit, & eum de Comitatu eiecit, omnibus munitionibus suis captis.

Phi-

Philippus filius Bernhardi Ducis Karinthiæ eligitur in Archiepiſcopum Saltzburgenſem, cui à Domino Papa Burchardus Comes de Cygenheim ſupponitur, & conſecratus ac pallio * Epiſcopali decoratus moritur.

* F. Archiepiſcopali.

M. CC. XLVIII.

Tertio Idus Februarij in nocte factus eſt terræ motus. * Ludvvicus Rex Franciæ transfretauit.

* S. Ludouicus.

M. CC. XLIX.

Ludvvicus Rex Franciæ Damiatam ciuitatem Sarracenorum fortiſſimam in Octaua ſanctæ Trinitatis miraculosè cepit.

Rapoto Comes Palatinus obiit.

M. CC. L.

Ludvvicus Rex Franciæ à Sarracenis captus, Damiatam & alias munitiones, quas priori anno ceperat, reddere cogitur, Ruberto fratre ſuo * cum XX. millib. Chriſtianorũ occiſo. In quo bello etiam occubuit paganorum innumerabilis multitudo. Rugerus Pataujenſis Epiſcopus propter hoc quod in ſchiſmate inter Regnum & Sacerdotium fauere videbatur parti aduerſæ, ab Innocentio Papa IV. ab officij & beneficij deponitur dignitate, & Dominus Bertoldus frater Alberti Ratiſponenſis Epiſcopi ſubſtituitur, cui ſtatim Capitulum & ciuitas Pataujenſis cum miniſterialibus obedire cœperunt vnanimiter & ſubeſſe; prædicto Rugero Epiſcopo, contra voluntatem Chunradi Regis & Ottonis Ducis Bauariæ, penitus refutato. Hermannus Marchio de Baden, qui ſibi vſurpauerat Ducatum Auſtriæ, moritur IV. nonas Octobris.

* F. plus quàm cum XX. M.

Fridericus Imperator in Apulia moritur menſe Decembri.

His diebus quidam frater Bertoldus de ordine Minorũ fratrum de domo Ratisponensi tantam gratiam habuit prędicandi, vt sępe ad eum audiendum plus quam sexaginta milia hominum conuenirent.

M.CC.LI.

Conradus I.V. Rex.

Chunradus Rex, Natali Domini Ratisponæ fuit, vbi, quia iam possessiones Episcopi & Ministerialium Ratisponensium incendijs vastauerat, dum proxima nocte post festum Innocentium in monasterio sancti Emmerani dormiret, Chunradus de Hohenuels, & alij Ministeriales Ratisponenses, quasi media nocte, in cameram suam irrumpunt; & cùm per explorationis dicta, non plures quàm Regem cum quatuor socijs suis in ea dormire putabant, duob. occisis & tribus captis, credebant se occidisse ipsum Regem; sed noctu sextus fortuito casu superuenerat, & loco ipsius Regis interfectus est. Rex autem latitans sub scamno valde miraculosè imminens periculum mortis euasit. Propter quod factum, quia Vlricus Abbas eiusdem facti suspectus etiam habebatur, dictum monasterium Rex & Dux in prædiis & ædificiis multiformiter offenderunt. Venerant autem Ministeriales cum Episcopo suo, qui Episcopus foras muros ciuitatis cum multis armatis euentum rei sollicitus expectabat.

Chamb.

Subsequenter circa festum Epiphaniæ Rex Bohemiæ filium suum in Bauariam cum exercitu destinauit, qui in Marchia Chambensi multas villas rapinis & incendiis vastauit. Interea mors Imperatoris propalatur, & Chunradus Rex ad partes Rheni festinat. Dominus Papa in cœna Domini VVilhelmum Comitem Holandiæ iam dudum à quibusdam Principibus in Romanum Regem electum, multis Episcopis præsentibus apud Lugdunum confirmat, & statim se transfert ad Italiam de Lugduno, vbi iam ferè

VIII.

VIII. annis continuè fecerat manſionem. Caſtrum in * Geiſpach à Ludvvico Duce noćte per inſidias pro parte captum & pro parte obſeſſum deſtruitur, & foſſata eius mirabiliter fortia complanantur. Et ex hoc Bauaria in ea æſtate pro magna parte incendijs flagrat, Bohemis partem Alberti Ratiſponenſis Epiſcopi adiuuantibus contra Duces. Chunradus tamen Rex in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli cum Ottone Duce Chambe venit, quos Rex Bohemorum videre contempſit. Otto Dux caſtrum & oppidum in * Digoluing conſtruere cœpit. Eodem anno Chunradus Rex in Autumno intrat Apuliam, & ibidem ferè totum Regnũ paternum potenter poſſedit, Domino Innocentio Papa tunc Peruſii commorante nec prohibere valente. VVilhelmus Rex Romanorum de Comitiſſa Flandriæ glorioſè triumphat.

* F. Teiſpach.

* F. Dingelfingen.

M. CC. LII.

Domina Eliſabeth filia Ottonis Ducis Bauariæ genuit Chunrado Regi filium in die Annunciationis ſanctæ Mariæ; & vocatus eſt Chunradus.

Milleſimo, CC. LIII.

Otto Dux Bauariæ nouam monetam in Lantzhuet fabricari iuſſit circa initium meſſis, mandans ipſos * denarios & non alios recipi in toto ſuo diſtrictu: & exercitum verſus Auſtriam mouens, in ipſa expeditione filii ſui Ludvvicus & Heinricus infra octauam Thebeorum apud Oeting militaribus gladiis ſunt accincti. Volens itaque cum Heinrico filio ſuo occurrere Belæ Regi Vngariæ, qui tunc, ſicut priori anno, cum valido exercitu Cumanorum & Vngarorum Auſtriam & Morauiam intrauerat, à munitionibus & militibus ſuperioris Auſtriæ præpe-

Otto Dux Bauariæ. Moneta.

* F. Vitioſe: denarium.

præpeditur. Nam priori anno Dominus Premizzel,qui & Ottacher filius Venezlai Regis Bohemorum Austriam & Styriam sibi attraxerat, ducta in vxorem Domina Margareta relicta à Heinrico quondam Rege Romanorum,quæ fuit illius nobilissimi quondam Ducis Austriæ & Styriæ Luipoldi. Auxilio itaq; Meinhardi Comitis Goriciæ & Ezilini nobilis de Taruisio, Heinricus filius Ottonis per vallem Tridentinam vadit in Vngariam ad socerum Belam Regem. Otto ergo Dux in principio sui regiminis seuerus Iudex,& Princeps mansuetus, postea propter fauorem quē impendere videbatur Friderico quondam Imperatori & Chunrado filio eius,ab Innocentio Papa quarto,& Episcopis iam diu & sæpe excommunicatus,persequi cœpit clerū; & mala malis addens, in vigilia sancti Andreæ Apostoli, cū in sero cum vxore è familiaribus suis valde iocūdus fuisset, præsentem vitam subitanea morte finiuit. Eodem tempore mense scilicet Nouembri famosus ille prædicator frater Bertoldus in Lantzhuet prędicationis officium exercebat, & morabatur in castro cum Duce prædicto, cupiens eum inducere ad obedientiam Ecclesiæ,& suum erga Ecclesias & clerum animum mitigare. Tunc superuenit quidam pauper rusticellus,asserens se in nocte præterita festi Michaëlis raptum & ductum ad tribunal iudicij cuiusdam, vbi audiuisset, quod ad querimoniam Sanctorum sententia mortis data esset in Ottonem Ducem & cæteros Principes, pacis turbatores & Ecclesiarum ac pauperum vastatores: asserebat etiam, quod sub pœna mortis à Sanctis ex parte Dei sibi esset iniunctum, vt hæc Duci & aliis Principibus nunciare deberet; quod si non admitteretur, deberet aliis propalare. Is igitur homulus cum non fuisset admissus ad præsentiam Ducis, prædicto fratri Bertoldo & aliis quibusdam talia propalauit. Sed & sexto die ante obitum Ducis idem homo

homo venit ad monasterium Altahense, & dixit hæc Abbati & Alberto Abbati de Metem ex parte illius iudicij, quod cum non admitterent talia manifestare dicti Abbates cum Heinrico Abbate de Ebersperch, deberent intimare Duci prænotato, quod nisi citius destrueret monetam nouam, & resipisceret à vexatione pauperum & Ecclesiarum, mortis esset in breui sententiam subiturus. Cuius visionis efficaciam sæpe dictus Dux, Innocentius Papa, Chunradus Rex, & alii Principes per mortem insperatam tunc, proh dolor, sunt experti. VVenzeslaus etiam Rex Bohemorum moritur in mense Septembri.

Ottone Duce defuncto, Dominus Ludvvicus Heinrico fratre suo in Vngaria existente, cum Alberto Episcopo Ratisponensi concordiam facit & diuina iam per multos annos suspensa in illa diœcesi relaxantur.

Millesimo. CC. LIV.

Bertoldus Episcopus Patauiensis obiit; cui per electionem canonicam & concordem succedit Otto de Lonstorf, eiusdem Ecclesiæ Canonicus & Archidiaconus. Ludvvicus Dux adhuc absente fratre concordiam facit cum Philippo Saltzburgensi. Chunradus Rex priori anno Neapoli expugnata, & muros eius in terram prostrauit; homo pacificus & seuerus iudex in vigilia Ascensionis diẽ clausit extremum, de cuius obitu Teutonici, Apuli, & Lombardi, præter illos qui erant de parte Ecclesiæ, dolore nimio sunt turbati. Heinricus Dux Bauariæ, auxilio Domini Philippi Saltzburgensis electi de Vngaria reuertitur, & ambo Duces ad consilium Domini Heinrici Babenbergensis Episcopi suum regunt concorditer principatum. Eodem anno sterilitas frugum magna fuit, & maximè circa Danubium, vt nec semina possint haberi. Sed & in nocte sancti Marci Euangelistæ per maximum frigus vineæ & fructus arborum perierunt

rierunt,ita vt valde modicum vini nascеretur,& illud nimis acerbum. ChunradoRege mortuo Innocentius Papa fines Regni Siciliæ est aggressus, & vsque Neapolim obtinuit, in qua ciuitate dum obtenta terræ illius parte & spe obtinendi totum Siciliæ regnum lætus moraretur, Dominus qui dissipat consilia principum & reprobat consilia populorum, ipsum Papam per mortis vocationem tali lætitia & spe priuat. Moritur itaque septimo die intrante mense Decembri, & ibidem sepelitur: cui statim in ea ciuitate à Cardinalibus tunc præsentibus Dominus Reinaldus Ostiensis Episcopus subrogatur & vocatus est Alexander quartus. Iste Papa bonus & mansuetus ac timens DEVM, non tantum curans de negotiis Principum & Regnorum, multa reuocat & cassat, quæ in grauamen multorum suus constituerat antecessor. Manifredus etiam filius Friderici quondam Imperatoris principatum tenens in Apulia, potenter terram ipsam defendit nomine Chunradi paruuli fratruelis sui,qui adhuc cum domina Elisabeth matre sua in Bauaria morabatur.

Alexander IV.

Bela Rex Vngariæ, qui iam plus quam per biennium Austriam, Styriam & Morauiam vastauerat, multis millibus hominum interfectis & in captiuitatem abductis, concordiam facit cum Otakkero Duce, recipiens Ducatum Styriæ, suæque potestati subiiciens terram ipsam. Ipse autem Otakker in tribus suis principatibus, videlicet Bohemia, Morauia, & Austria tanquam Princeps omni probitate præclarus,inopinatam & optimam pacem facit, vadens in hyeme subsequenti in Prussiam cruce signatus, & magnam partem ipsius terræ cultui subdidit Christiano.

Millesimo CC. LV.

Bauariæ diuisio.

Ludvvicus & Heinricus Duces Bauariæ circa Pascha suos inter se diuidunt Principatus, & Heinrico cessit nomē Ducis

Ducis cum maiori parte Bauariæ, videlicet Ratiſpona, Chambia, Chelheim, Ærding cum Lantshuet, Oeting, Purchauſen, & Halle, & quidquid eſt inter loca prædicta & terras Auſtriæ & Bohemiæ. Ludvvico autem ceſſit ſuperior pars Bauariæ cum *palatio Rheni & nomen Purchgrauij Ratiſponēſis; vnde & caſtrum in Regenſtauff, in *Lengueld, Chalmunz, & alia, quæ ad eundem pertinent Comitatum, ſibi in ſortem ceſſerunt. Heinricus itaque Dux cum Alberto Epiſcopo Ratiſponenſi plenè concordans, monetam Lantshutenſem, quam pater ſuus fabricari iuſſerat, caſſauit, & innouatam monetam Ratiſponenſium denariorum dari, ſicut prius, per ſuum diſtrictum permiſit & præcepit. Concordiam etiam facit cum Domino Ottone Patauiēſi Epiſcopo, ac interdictum diuinorum iam plus quam per triennium obſeruatum in diſtrictu ſuo eiuſdem relaxatur diœceſis. Interea VVilhelmo Rege Rom. cum Comitiſſa Flandriæ & Freſonib. bellica agente negocia, Ciuitates Rheni quaſi deſtitutæ Regia defenſione, vinculo ſocietatis fortiſſimè ad inuicem coniunguntur, Capitaneum eligũt, telonia eiuſdem fluminis, quæ à pluribus fuerant aggrauata, remouent, vicinos Principes & Comites ſuæ ſocietati adhærere compellunt, vndique in finibus ſuis pacem ordinantes optimam & hactenus inauditam. Quo ſuperueniens Dominus Ludvvicus nouus Palatinus Comes Rheni fœdus laudabile ſocietatis iniit cum ciuitatibus ſupradictis. Iſta autem pax more Lombardicarum ciuitatum inchoata propter malitiam reſiſtentium non diu durauit.

* F. Palatino.
* F. Legenueldе.

M. CC. LVI.

Ludvvicus Dux Comes Palatinus Rheni Dominā Mariam vxorem ſuam, ſororem Heinrici Ducis Brabantiæ ſuſpectā habens de adulterio, tunc in Sueuico VVerde mo-

rantem xv. Kalendas Februarii præcepit decollari. Ipso mense Bernhardus Dux Karinthiæ obiit, cui Vlricus filius eius succedit. VVilhelmus Rex eodem mense in Fresia cum exercitu exiens à Fresonibus est occisus. Qui cum ad quandam ciuitatem eiusdem Prouinciæ venisset, fertur ibidem inuenisse sepulchrum opere mirifico constructum, & dum à ciuibus quæreret, cuius esset hoc sepulchrum opere tàm sumptuoso decoratum, dicebant, quod nondum quisquam ibi sepultus esset, sed antiqui patres eorum construxerint, illud per fatum cognoscentes, quod in eodem loco deberet Romanorum Regum aliquis tumulari. Deuicta itaq; & subiugata tota Fresia cum iam victor ipsam terram exiret, à quibusdam, fugitiuis secus viam in harundineto latitantibus cuspidibus occiditur, & in prædicto tumulo ab indigenis sepelitur; Anno regni sui nono.

M. CC. LVII.

Principes Regni pro eligendo Rege iam diu habitis diuersis conuentibus, tandem diffinitiuum electionis diem in Octaua Epiphaniæ statuerunt in Franckefurt celebrandum. Vbi dum quidam conuenissent, Moguntinus & Coloniensis Archiepiscopus, & Ludvvicus Comes Palatinus Rheni & frater suus Dominus Heinricus Dux Bauariæ, in Richardum fratrem Regis Angliæ conuenerunt. Et electus ab ipsis subsequenter in die Ascensionis Domini apud Aquisgranum in Regem vngitur, & potenter in Regni solio collocatur. Dominus autem Treuerensis Episcopus cum aliis quibusdam Principibus consentire nolens electioni prædictæ, in media quadragesima fretus literis & auctoritate Regis Bohemiæ, Ducis Saxoniæ, Marchionum de Brandenburch, & multorum Principum elegit Dominum Alphonsum Regem Hispaniæ, qui electioni de se factæ consensit persuasus à Regibus & Principibus & amicis.

Philippus

Philippus Saltzburgensis electus iam per decem annos nolens Ordinem Presbyterij ac Episcopalem suscipere consecrationem, à Domino Alexandro Papa deponitur, & Vlricus Secovvensis Episcopus ei in Archiepiscopum eiusdem Ecclesię subrogatur. de cui' electi ab electione multa hinc & inde literarum paria euolarunt, quarum hic quędam propter illos, quos talia legere delectat, placuit annotari.

Venerabili Patri DEI gratia Patauiensi Episcopo frater Heinricus eadem gratia Chymensis Episcopus salutem & sinceram in Domino charitatem.

Licet olim Dominus Papa volens pedetentim Dominū Philippum quondam electum Ecclesiæ Saltzburgensis, qui perperam & contra constitutionem ipsius in eadem administratione timebat ab ipsius Ecclesiæ regimine remouere; sicut claruit ex post facto; nobis in mandatis dederat vt ab ipso & detentionibus castrorum & munitionum Ecclesiæ Saltzburgensis, eadem castra & munitiones requirere deberemus, & nobis assignari faceremus, alioquintā ipsum Philippum quàm detentores castrorum & munitionum Ecclesiastico percelleremus mucrone; nosque licet circa omnia prædicta mandatum Domini nostri Papæ & fuissemus diligenter & fideliter executi, tamen idem Philippus perire magis eligens quàm parere, nec castra nec munitiones nobis assignare curauit. Vnde nos ipsum & prædictos detentores excommunicauimus, & loca Ecclesiastico supposuimus interdicto: sicut per nostras literas, quas vobis & alijs Pręlatis super hoc negocio trānsmisimus, & per famam publicam, quæ rem gestam super tecta prædicat, credimus esse notum. Verùm cùm prędictus Dominus Papa ipsum Philippum à prædicta Ecclesia remouerit per diffinitiuam sententiam, & eidem de pastore legitimo videlicet Domino Vlrico quondam Episcopo Se-

covvensi duxerit prouidendum, volens eidem assignari castra & munitiones tanquam vero Prælato, nobis super eodem negocio denuò suas literas misit, hanc seriem continentes.

Alexander Episcopus seruus seruorum DEI venerabili fratri Chymensi Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem. In contemptum veniens Philippus, quondam Saltzburgensis Ecclesiæ electus, nimis videtur à se timorem Domini & hominum reuerentiam abiecisse, dum adhuc munitiones & castra & quædam alia bona ipsius Ecclesiæ, in sua detinet potestate, quasi non suffecerit, dictam tenuisse Ecclesiam in suam & multorũ perniciem tanto tempore viduatã. Errata igitur dicti Philippi corrigi misericorditer cupientes fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum ex parte nostra moneas attentius, & inducas, vt prædicta omnia venerabili fratri nostro Saltzburgensi Archiepiscopo vel alij eius nomine sine qualibet difficultate resignet; alioquin cùm ferro abscindenda sint vulnera, quæ fomentorum non sentiunt medicinam, tàm eum quàm alios, qui eadem nomine detinent; ad id per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. contra quos si necesse fuerit, omnium Suffraganeorum, Ministerialium & Vasallorum eiusdem Ecclesiæ auxilium inuoces, vt super his tibi & ipsi Archiepiscopo fuerint requisiti; Suffraganeos ipsos ad hæc auctoritate nostra, Ministeriales verò & Vasallos eosdem per priuationem feudorum quæ tenent ab ipsa Ecclesia, monitione præmissa, ratione prçuia, coartando. Datum Viterbij II. Nonas Decembris, Pontificatus nostri Anno III.

Nos igitur auctoritate huius mandati prædictum Philippum per nostras literas monuimus, & per alios moneri fecimus, vt infra XV. dierum spacium castra & munitiones

nes prædictæ Ecclesiæ, sublato cuiuslibet difficultatis obstaculo, prædicto Domino Vlrico Saltzburgensi Archiepiscopo, vel eius deuotis, quorum sibi nomina in nostris literis expressimus, suo nomine restituat & assignet; alioquin ipsum & detentores prædictorum castrorum & munitionum iterum exnunc excommunicamus, & loca ipsa Ecclesiastico supponimus interdicto. Vestram igitur prudentiam hortamur in Domino, vt districtè, salua tamen reuerentia, commissa nobis auctoritate præcipimus, quatenus tenorem huius literæ & mandati Papalis, nostram etiam monitionem & sententias, quas contra memoratum Philippum & detentores prædictorum castrorum & munitionum, & in sua malitia gloriantes, sicut hactenus mandatis nostris, imò Domini Papæ non obedierunt, ferimus, in Ecclesia nostra & alijs Ecclesijs nostræ diœcesis per nos & alios singulis diebus Dominicis & alijs festiuis publicè denunciantes vt faciatis solemniter publicari. Cæterum proinde pensans summus Pontifex vos & alios Suffraganeos Ecclesiæ Saltzburgensis, qui vocati sunt in partem solicitudinis, esse nobilia membra corporis tantæ metropolis, quod vtique corpus per nexus salutaris obedientiæ, & iuncturas venustæ concordiæ subministratum crescit in augmentum roboris Ecclesiastici ad destruendum omnem principatum & potestatem, quę se nititur extollere contra id, quod Romana Ecclesia dicitur ac colitur, & in quo libertas Ecclesiastica solidatur, ex affectu cordis satagit & intendit, vt vos, in quorum potentatibus consistit dexteræ suæ salus, parati in hoc tempore opponatis vos murũ pro Domino Saltzburgensis Ecclesiæ, ad deprimendam domini Philippi malitiam, qui non armis iustitiæ, sed facibus iniquæ potentiæ, & telis præsumptuosæ violentiæ armatus ad depressionem ipsius & internecionem tanquam

quam hostilis prædo insurgere nititur ex aduerso: sicut per literas ipsius Domini Papæ, quas ad nos super ipsius negocio transmittit, & earum executionem nobis committit, limpidè patet vobis. Rogamus igitur, & qua fungimur auctoritate vestram monemus deuotionem, quatenus dolentes vicem matris nostræ Saltzburgensis Ecclesiæ, dudum per memoratum Philippum tribulatæ miserabiliter & oppressæ opem detis & operam cum affectu, vt ipsa de sua tyrannica oppressione vestro adiutorio liberetur, parati contra ipsum in fortitudine brachij secularis Domino nostro venerabili Archiepiscopo Saltzburgensi, cum vos super hoc requisierit vel nos Domini Papæ vice facere iuuamen, ne præualeant filij alieni, errantes ab vtero & à iustitiæ semitis claudicantes, lacerare dente vipereo materna viscera; & cultus iustitiæ habeant in opprobrium, si fidei pugiles, æquitatis zelatores, Ecclesiarum sanctarum Præsules, animarum Pontifices, quorum est ingressus per portas iustitiæ, iniquis potentiis, nefariis insolentiis, pertinacibus violentiis, Ecclesiarum libertates & iura calcantibus non resistunt. Vos igitur obsecramus in Domino ad persecutionem huius negocij taliter accingite, vt non personam, sed iustitiam amplecti videamini, & apud Dominum Papam & totam Curiam, quæ suum reputat hoc negocium, & ipsum venerabilem Archiepiscopum vester zelus commendabilis habeatur. Datum Venetiis anno Domini M. CC. L VIII. Nonis Maij.

* al. Primislaus.

Eodem anno Otakker, qui & *Primizel Rex Bohemiæ, Dux Austriæ, iuuenilis ætatis audacia persuasus, sine prouida deliberatione consilij, quæ bellicis rebus agendis summè necessaria est, per Patauiensem ciuitatem in terram Bauariæ hostiliter est ingressus, iactans se tanquam diuitiis & potentiæ præditum velle & posse contra omnium hominum

minum voluntatem ad ignominiam Domini Heinrici Ducis & terræ ſuæ, anre muros ciuitatis vel caſtri in Lantshuet potenter militiæ opera exercere. Nam tunc ibi prædictus Dominus Heinricus Dux Bavvariæ cum Domina Elyzabeth vxore ſua virtutibus & ſanguine nobiliſſima morabatur. Sed cum per pagum qui dicitur * Chunzing & per vallem Vilſæ fluminis, incẽdiis vaſtando plurimas villas & Eccleſias, vſque iuxta caſtrum in * Fanhouen perueniſſet, ecce memoratus Dominus Heinricus Dux, licet vix quinq; diebus ante introitum prædicti Regis in Bauaria talium inimicitiarum literas recepiſſet, celeri volatu nunciorum & literarum circumquaque diſcurrentium, ſuis conuocatis hominibus & amicis, tanquam animoſus princeps, & qui de ſua iuſtitia & de DEI miſericordia confidebat, cum exercitu valido pedeſtrium & equeſtrium, ad campos contra ſuos audacter egreditur inimicos. Iam etiam ſuperueneratcum paucis Domin⁹ Ludvvicus Dux frater ſu⁹ de partib. Rheni, velociter euocatus, in cuius abſentia præfatus Rex ſperabat ſe ſui propoſiti deſiderium adipiſci. Rex itaq; ſæpe fatus cernens animoſitatem Ducum & Bauaricæ gentis, timuit congredi cum illis, & in feſto ſancti Bartholomæi Apoſtoli, quod tunc occurrerat in ſexta feria, treugis per illam diem petitis & impetratis in nocte ac ſubſequenti ſabbato fugit cum ſuis omnibus verſus Müldorff, vbi dum vexilla victricia nobilium Ducum dorſa fugientium ſequerentur, pons ibi per Oenum fluuium traiectus ſtrepitum tot hominum & equorum, certatim & impetuosè tranſire volentium ferre non valens, ſub hoſtib. ruit, & ſic plurimi ſunt ſubmerſi. Videbantur ibi electi milites in equis & armis natantes, quorum aliqui tranſierunt, aliqui aduerſæ partis littori viciniores, dum applicare nituntur, volentes ſe potius captiuitati dare quàm morti, per lanceas & ſagittas littus tangere prohibentur. Sed & hi qui remanſerant circa

F. Chũzinger & per vallem Eilſæ.

F. Fraunhouen.

Vehdbrief.

flumen, receperunt se in suburbio, sub terra quadam, fugere non valentes; qui omnes cum armis & equis optimis per indignationem subitam Domini Ludvvici Ducis incendio sunt cremati. Tunc itaque in aqua & igne quasi quadringenti homines perierunt, reliqui ferè omnes præter Regem, qui cum nobilioribus iam transierat, in prædicto oppido sunt inclusi. Inter obsessos autem hi fuerunt nobiles de Bohemia, VVocho de Rosenberch, Zimlo de *Luechtenburch, VVichardus de Tyrnach, Schatzla de Fridlam, VVilhalmus de Gordebratt, Ibis de Schechnum, Bencis de Valchenstein, Burchardus de * Clinberch, Vlricus Pincerna de Ellenbogē, Genezo Burchgraui⁹ de Gratzinil frater VVochonis, Haur cognatus VVochonis, Dlohomil de * Nabetzdē, Styborius dictus Caput, Vlricus de Rosental: De Austria vero Albertus & Heinricus de Chunring, Vlricus de Lobēstein, Vlricus de Capella, Ludvvicus & Albertus *de Zelking, Sighardus dictus Piber; qui cum aliis omnibus nono die obsidionis eorum per clemētiam Ducum prędictorum sub quadam forma compositionis cum equis & rebus quas tunc habebant ad propria sunt remissi. Heinricus Babenbergensis Episcopus obiit. xiv. Kalendas Octobris, cui succedit Bertoldus Comes de Leiningen eiusdem Ecclesiæ Canonicus.

*F. Leutēburg.

*F. Klingēberg

*F. de Nabzen, Styborius.

*F. Zelkinga-rij.

*M. CC. LVIII.

*F. 1259.

Chunradus Frisingensis Episcopus obiit xv. Kalendas Februarij, cui succedit Chunradus VVildgrauius eiusdem Ecclesiæ Canonicus. Domina Elyzabeth Ducissa Bauariæ peperit filiam in secunda vespera sancti Gregorij, quæ vocata est Elyzabeth. Gebhardus Comes de Hirtzberg, quia priori anno bonus adiutor fuerat Ducum Bauariæ contra Bohemos, Dominam Sophiam ipsorum Ducum

soro-

fororem, egregiæ formæ fœminam ducere meruit in vxorem. Eclipsis Lunæ facta est. xv. Kalendas Iunij. D. Ludvvicus construxit castrum in Geiersperch contra Ratisponenses, quod postea destrui permisit magnæ pecuniæ interuentu. Albertus Ratisponensis Episcopus pro quibusdam criminibus apud Sedem Apostolicam accusatus cùm se defendere non posset, cessit, eiq; frater Albertus de ordine Prædicatorum subrogatur. Meinardus Comes Goriciæ duxit in vxorem Dominam Elyzabeth fororem Ludvvici & Heinrici Ducum Bauariæ relictam scilicet Chunradi Regis, in octaua sancti Michaëlis apud Monacum nuptiis celebratis, Domina Agnete matre prædictorum tunc apud filiam suã Sophiam Comitissam de Hirtzperch manente, quæ priori feria quarta peperit filium nomine Gerhardum.

M. CC. LX.

Dominus Ludvvicus Palatinus Rheni Dux Bauariæ duxit Dominam Annam filiam Chunradi Ducis Poloniæ in vxorem. Eodem anno ab Alexandro Papa subscripta epistola est transmissa.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopo Saltzburgensi eiusq; Suffraganeis, nec non & dilectis filiis Abbatibus, aliisque Ecclesiarum Prælatis ordinariam in subditos obtinentibus potestatem per Saltzburgensem Prouinciam constitutis, tam exemptis quam nõ exemptis, salutem & Apostolicam benedictionem. Si verè quod dicitur, pastores ouium CHRISTI sumus, non impauidè ferre possumus terribiliter intonantia nostris sensibus contra pastoralis curæ negligentiam sacrarum oracula scripturarum, quæ determinata Dominici gregis in præsidentium desidiam retorquentes, minaciter inclamant, pereuntium sanguinem

ſtras, feſtinate, quæſumus, liberari ab illo, qui ſupremus eſt actor & iudex, nullum nobis de allegationis nitore præſidium relicturus. Diſcurrite nec ceſſetis, ne fiant animæ veſtræ pro illis, quos in cuſtodiam ſub tanto vadimonio ſuſcepiſtis. Excitet vos ſummi Paſtoris amor, qui nos paſcendis rationalibus ouibus dedicauit. Exterreat corda veſtra & corporis ſomnũ depellat ab oculis metus periculi, eis proculdubio, qui ſupra greges ſuos vigiles non obſeruat excubias, imminẽtis. Sed ecce lethalis incuriæ ſopor paſtoralis vitæ vigilantiam, quod gemẽtes dicimus, oppreſſiſſe videtur in plurimis, prout teſtatur nimia de pleriſque regionibus clamans Chriſtiani populi corruptela, quæ cùm deberet ex ſacerdotalis antidoti curari medelis, inualeſcit, proh dolor, ex malorum contagione, quod procedit à clero, ita vt alicubi verum ſit quod ex Prophetica querela teſtatur: Factus eſt, inquiens, ſicut populus ſic ſacerdos. Malitiam namque dierum labentium, quæ cum tempore corrupit & mores, dante quàm plurimis ex impunitate audacia ſemper in deteriora procliuem infrenis licentiæ libertatem, nonnulli clerici præcipiti lubricæ voluptatis arbitrio laxas committentes habenas, poſt carnis ſuæ concupiſcentias abierunt, & relegata pæne penitus à conuerſatione vitæ ſuæ clericalis mundicie, honeſtate, tenent etiam in conſpectu populi concubinas, cum quibus impudicæ frontis irreuerentiam induentes fœdas manus & fætidas, quas ſordidis libidinoſæ coinquinationis fœtibus immiſerunt, non erubeſcunt in ſuum periculum & ruinam populi ſacris miniſteriis immiſcere, à quibus ob publici concubinatus inſaniã quæ nulla tergiuerſatione ſceleris, vel ſecundum ſcita Canonũ tàm quoad ſe quàm ad alios ſunt ſuſpẽſi, & ne quis talium Miſſam audire præſumat, arctius in eorum contemptum Canonicæ auctoritatis cõſtitutio interdicit. Per tales

maximè nomen Dñi blasphematur in terris: per tales derogatur Sacramentis fidei orthodoxę, cum vasa Dñi pollutis eorũ manib. prophanantur: Per tales ergo perdit religionẽ Cathol. deuotio reuerẽtiæ Christianæ: Per tales decipitur populus in diuinis, & Ecclesiastica substãtia dissipatur. Hinc detrahitur verbo Dei, dum imũdis labiis taliũ nunciatur: Hinc hęretici mussitant & insultant: Hinc Tyrãni sæuiunt: Hinc perfidi persequũtur: Hinc grassantur audaci' in Christi patrimonio sacrilegi exactores, à quibus, proh pudor, ob huiusmodi carnes putridas, quas disciplinalis mucro nõ resecat, sicut decet, sincerũ catholicæ matris corpus in ostentum ducitur & contemptũ. Profectò patres qui huiusmodi filios sub dissimulationis conniuentia fouent impunè, etiã si cum Heli sacerdote sunt boni, forsitã in seipsos merito pro consimilis negligentiæ malo, repentina patris interitus ruina deiiceret de sella retrorsũ. Ecclesiæ quoq; Principes qui zelo Phynees ardenter non feruntur in tales, sine causa videntur portare gladiũ potestatis, quem ad vindictã malorũ, laudẽ vero bonorum desuper acceperunt. Nos igitur cupiẽtes tantum malũ de medio Ecclesiæ, tantumq; scandalũ ab oculis fideliũ remouere, vniuersitatẽ vestram rogam', monemus & hortamur, auctoritate nobis per Apostolica scripta in virtute iniungentes, ac vos singulos sub obtestatione tam iudicii singularis quo quisq; citatur ad Dominũ de corpore mortis huius, quã iudicii generalis, in quo vniuersi stabimus ante tribunal æterni iudicis, obsecrãtes quatenus in vobismet ipsis curetis ostendere, quam piè ad Dominum, quam sanctè ad seipsos, quam iustè ad proximos oporteat cæteros in Dei Ecclesia conuersari. Totius namq; familiæ status & ordo vacillat, si quod requiratur in membris, in eorum capite non habetur, & in eius ore aduersus peccantes necesse est redargutionis obiurgatio cõticescat, q admittere cognoscitur arguẽdã. Qua. n. frõte fieri quis poterit morbi cu-

bi curator dũ languore consimili detinetur, aut sectator virtutũ, dum sectator ostenditur vitiorũ? Ad inquirẽdos aũt ac puniendos subditorũ vestrorũ excessus & maxime incontinentię fœditates in clericis, præsertĩ concubinariis manifestis, qui odorẽ fœtere faciũt domus Dei, tanto feruẽtius assurgatis, quanto dãnabilius pręteriretis eorũ cõtagia incorrecta. Verũ vt aduersus cõcubinarios huiusmodi officij nostri debitũ tam auctoritate nostra quã vestra liberi⁹ exequi valeatis, nos pdecessorũ nostrorũ attendẽtes vestigia & plenius exprimẽtes, super hoc pcessus vestros p appellationis obiectũ volum⁹ aliquatenus ĩpediri. Si vero huiusmodi cõcubinarij quorũ culpas cõtigerit canonica districtione feriri, super appellatiõe aut absolutione vel restitutiõe sua literas Apostolicas reportarĩt, illas nisi forsitã in eis appellationis aut excõmunicationis seu amotiõis suæ huiusmodi causã expresserĩt manifestè, decernim⁹ nullius esse momẽti, sed eis vel pcessib. per eas habitis nequaq̃ obstantibus, censura vestræ animaduersionis in tales inuiolabilẽ obtineat firmitatẽ. Preces aũt, monita, mandata, & pcepta nostra sup his taliter ĩplere curetis, q conuersationis honestas in clero, & deuotionis antiquę synceritatis in populo per solicitudinis vestrę diligentiã reformẽtur. Cumq; Princeps pastorũ aduenerit ab vnoquoq; nostrũ fructũ iniũcti negocij quæsiturus, corã ipso appareatis intrepidi & dignã sibi possitis villicationis vestræ reddere rationẽ. Volum⁹ aũt atq; pcipimus, vt tu frater Archiepiscope Suffraganeis tuis & aliis Prælatis tuę Prouĩciæ has literas sine moræ dispẽdio facias psentari, vt sup pmissis præceptũ nostrũ exacta diligẽtia exequãtur. Datũ Idus Febr. Pontific. nostri añoV. Ottaker⁹ Rex Bohe. Dux Austriæ, dolẽs q aliquando coactus esset à Bela Rege Vngariæ relinquere sibi Ducatũ Styriæ, congregato valido exercitu castra metatus est circa fluuiũ * Marcha, vbi cum Stephanus iunior Rex Vngariæ ex altera parte fluminis sibi occurreret, cum exercitu suo transitum ei fluminis impediuit.

* F. Marchin.

pediuit.

dus ipsius pœnitentiæ ad patiendum durus, horribilis & miserabilis ad videndum; Nam ab vmbilico sursum corpora denudantes, quadam veste partem corporis inferiorem vsque ad talos tegentem habebant, & ne quis eorum agnosceretur, cooperto capite & facie incedebant. Procedebant etiam bini, terni, tanquam clerici, vexillo præuio vel cruce, flagellis semetipsos bis in die per XXXIII. dies, & deinde in memoriam temporis humanitatis Domini nostri Iesv Christi super terram apparentis, tamdiu cruciantes, quousq; ad quasdam cantilenas, quas de passione ac morte Domini dictauerant, duobus vel tribus præcinentibus circa Ecclesiam vel in Ecclesia compleuerunt, nunc in terram corruentes, nunc ad cœlum nuda brachia erigentes, non obstante luto vel niue, frigore vel calore. Miserabiles itaq; gestus ipsorum & dira verbera multos ad lacrimas & ad suscipiendam eandem pœnitentiam prouocabant. Sed quia origo eiusdem pœnitentiæ nec à sede Romana, nec ab aliqua persona auctorabili fulciebatur, à quibusdam Episcopis & Domino Heinrico Duce Bauariæ cœpit haberi contemptui, vnde tepescere in breui cœpit, sicut res immoderatè concepta.

M. CC. LXI.

Domina Elysabeth Ducissa Bauariæ peperit filium in proxima nocte, post festum sanctæ Scholasticæ virginis, quem Dominus Heinricus Dux nominari fecit Ottonem. Eodem anno Dominus Alexander Papa direxit literas Regibus, & Ducibus, Archiepiscopis, & Episcopis, ac vniuersis Principibus Christianis, hortando ipsos vt contra horrendam rabiem Tartarorum consiliis & armis se præmunire deberent. Nam iidem Tartari deuictis iam & deletis omnibus Regibus & regnis Saracenorum in partibus transmarinis, Antiochiæ, Akaron ac aliis Christianorum Prouinciis

terrorem tam validum incusserunt, vt ad dictos Papam & Reges supplices & frequenter legationes dirigerent pro succursu. Vnde cum super hoc negocio consilium in Octaua Apostolorum Petri & Pauli habendum in Viterbio condixisset ipse Papa, VIII. Kalendas Iunij diem clausit extremum, cui successit Iacobus Patriarcha Ierosolymitanus, & dictus est Vrbanus IV. Otaker Rex duxit Kunigundam filiam Regis Russiæ, neptem Belæ Regis Vngariæ ex filia Domina Margareta vxore sine iudicio Ecclesiæ repudiata, & vnà cum ipsa insequenti festo Natalis Domini regali diademate coronatur à Bernhero Archiepiscpo Moguntino. Frater Albertus Ratisponensis Episcopus fugiens tam magnam curam animarum Domino Vrbano Papæ offert voluntariam cessionem, cui succedit Dominus Leo eiusdem Ecclesiæ canonicus.

M. CC.LXII.

Domina Elyzabeth Ducissa Bavvariæ peperit filium in vigilia sancti Matthiæ, qui dictus est Heinricus.

*M.CC.LXIV.

*F. 1263.

In Octaua sanctæ Agnetis ventus tam validus est exortus, vt non solum ædificia plurima subuerteret, sed etiam prosternendo multas arbores magnum damnum faceret in nemoribus & in syluis.

Eodem anno in mense Iulio & Augusto apparuit stella, quædam quæ à se miræ altitudinis & longitudinis radios emittebat: Hanc stellam dicebant esse Cometam.

Eodem anno in Autumno Dominus Premizl Rex Bohemiæ, qui & Otaker, copulauit filiam sororis suæ, videlicet filiam Ottonis Marchionis de Brandeburch, Belæ iuniori Regi Vngariæ.

Vrbanus Papa moritur in mense Octobris, & apud Perusium sepelitur.

M. CC.

M. CC. LXV.

Dominus Guido quondam miles vxoratus habens duas filias per vxorem, postea factus Episcopus Podiensis ac postmodum Archiepiscopus Narbonensis, & subsequenter Sabinensis Episcopus Cardinalis, III. Nonas Februarij eligitur in Romanum Pontificem, & dictus est Clemens Papa quartus: qui per incrementa virtutum, quæ in ipso primitus floruerunt, prouectus est ad tanti nominis dignitatem. Otto Pataviensis Episcopus obiit quarto Idus Aprilis, vir pijssimus & pater cleri, qui non bellator, sed diligens pacem, Ecclesiam sibi commissam honoribus & diuitijs plurimum ampliauit; In cuius locum primo postulatus Dominus VVelodizlaus postea Saltzburgensis electus, Dominus Petrus à Domino Papa substituitur.

Et quam bene ac mirabili modo vtrique Ecclesiæ videlicet Saltzburgensi & Pataviensi à sede Apostolica sit prouisum, in subscriptarum patet serie literarum.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio VVelodizlao electo Saltzburgensi salutem & Apostolicam benedictionem.

Romana Ecclesia, cui diuina inscrutabilis altitudo dispositione incommunicabile præcipuum contulit super cæteras Magistratum, pium ad cunctas alias in huius orbis latitudine constitutas Ecclesias materna prouisione habens respectum, laudabili studuit hactenus obseruantia custodire, vt de illis potissimam curam gerens eis opportunitatis tempore occurrente congrua subuentionis non differret consilia tam libenter quam liberaliter exhibere. Nos etiam, qui licet insufficientibus meritis in sublimi culminis Apostolici specula sumus disponente Domino constituti, prædecessorũ nostrorũ Romanorũ Pontificũ in hoc vestigiis inhęrẽdo pręd ictas Ecclesias tã proximas quã

longè positas paternæ considerationis oculis intuentes iniunctum erga ipsas solicitudinis nostræ ministerium circumstantijs vniuersis ac variis personarum, rerum, locorum & temporum emergentibus necessitatum articulis diligenter inspectis, quantum nobis ex alto permissum fuerit, ita vigilanter intendimus exercere, vt nihil prorsus in spiritualibus vel temporalibus desit ibi, quod per diligentiæ nostræ studium possit aut debeat procurari. Et quamuis ministerii huiusmodi debitum circa singulas Ecclesias exsoluere cupiamus, erga illas tamen, quæ viduitatis deplorant incommoda, vt videlicet ipsis de pastoribus iuxta cor nostrum idoneis cœli prouidentia vtiliter consulatur, curis continuis, eoque anxius attingimur insultibus, quod successiuis eo instâtius propulsamur, quo ipsę, dum vacant, periculis subiacentes maioribus, potiori noscuntur Apostolico suffragio indigere. Sanè venerabilis frater noster Vlricus quondam Saltzburgensis Archiepiscopus rectæ considerationis meditatione aduertens, quod ipse qui iam vergens in senium, multa proprii corporis debilitate grauari dicitur in commisso sibi plebis gubernaculo, variis de causis se fructuosè gerere, sicut erat expediens, non valebat, ac proprium & subditorum periculum reformidans, zelo charitatis, quo erga Ecclesiam suam vigebat, inductus, ne occasione suæ impotentiæ gregem suum inimicus insidiator inuaderet, vel Ecclesiæ Saltzburgensi vtilitatibus per dispensatoris inualitudinem forsitan deperiret, ipsius Ecclesiæ regimine elegit spontè cedere; per literas & nuncium specialiter supplici à nobis deposcens instâtia, vt cessionem ipsius quam sic offerebat spontaneus, de benignitate Apostolica recipere dignaremur. Nos autem tam ipsius Archiepiscopi quieti & commoditatibus prouidere, quam eiusdem Ecclesiæ occurrere periculis opportuna diligentia

ligentia intendentes cessionem ipsius duximus admittendam. Per huiusmodi vero cessionem in manibus nostris factam, eadem Saltzburgensis Ecclesia pastore vacante, ordinationem illius nobis specialiter reseruantes, inhibuimus expresse capitulo Saltzburgensi, ne ad electionem seu postulationem aut nominationem aliquam procederent de Archiepiscopo illa vice: ac decreuimus nihilominus irritum & inane, si quid contra inhibitionem huiusmodi contingeret attentari. Et demum de salubri prouisione ipsius Saltzburgensis Ecclesiæ solicitè cogitantes, post exactæ deliberationis examen decens ac necessarium nihilominus & expediens fore vidimus, vt eadem Ecclesia titulo nobilitatis insignis, quæ currentium dierum faciente malitia multis est discriminibus exposita, varijs conquassata molestiis, grauiterque in temporalibus diminuta, & enormiter in spiritualibus deformata, nobilis decore sponsi, ac vtilis ornaretur, cuius potentia & prouidentia circumspecta, damna resarciantur, ipsius regantur directa, & indirecta in debitam rectitudinis semitam dirigantur, Ecclesiastica defensetur libertas, cleri status reddatur tranquillior, & commodis salutis & gaudii plebs lætetur. Vnde nos laudabiles actus tuos, quibus de virtute in virtutem proficiens in oculis hominum à tuæ iuuentutis primitiis te gratum reddere studuisti, delectabiliter in animo reuoluentes, ac de redolentis tuę famæ suauitate, quæ publico prædicatur testimonio, quod claram serenissimorum tuorum nobilitatem natalium, studiis ac operibus nobilitare satagis virtuosis, odorem acceptabilem sentientes, in te generosum ac benedictionis filium direximus oculos mentis nostræ. In quo te ipsi Saltzburgensi præficiendo Ecclesiæ noster non indignè spiritus requieuit, spem grandem ac fiduciam obtinentes, quod cum sis multorum

principum consanguinitate & affinitate subnixus, litera sufficienti dotatus, gratus moribus, conuersatione placidus, vitæ honestate conspicuus, aliisque virtutibus multipliciter insignitus, in spiritualibus, nihilominus prouidentiam ac in temporalibus discretionem obtinens, Ecclesia eadem per tuam potentiam & circumspectionem fructuosam ab instantibus periculis efficaciter eruetur, à futuris præseruabitur salubriter; & non solum in suis bonis iuribus, immunitatibus, & libertatibus magnificè defensabitur, verum etiam optatæ fælicitatis & prosperitatis augmentum spiritualiter & temporaliter ad pacem & bonum statum subditorum sibi cleri & populi diuina fauente clementia consequetur. His itaque digna meditatione pensatis, Ecclesiæ prælibatæ, cuius in hac parte profectum potissimè attendimus, speciali volentes diligentia prouidere, de fratrum nostrorum consilio & Apostolicæ potestatis plenitudine in nomine Domini, non obstante defectu, quem in ordinibus pateris, & ætate, tè tunc Præpositum VVisegradensis Ecclesiæ, capellanum nostrum, prælibatæ Saltzburgensi Ecclesiæ in Archiepiscopum præfecimus & pastorem, curam & administrationem illius tam circa spiritalia quam temporalia tibi totaliter committentes. Quapropter discretionem tuam rogamus, monemus attentius, & hortamur per Apostolica scripta, tibi in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandantes, quatenus tibi onus à Domino impositum reuerenter suscipiens ad commissam tibi Ecclesiam cum plena nostræ gratia benedictionis accedas, & illius commissum tibi regimen sic prudenter & vtiliter exequaris, quod ipsa tuo salubri ministerio gubernetur fæliciter ac prosperè dirigatur, tuque velut pastor solicitus gregis Dominici tuæ custodiæ deputati vigilem curam gerere comprobe-

ris,

ris, ex quibus clara tui fama nominis extendatur latius, & erga personam tuam beneuolentia nostræ synceritatis dignè de bono in melius augeatur. Datum Perusij IV. Idus Nouembris. Pontificatus nostri anno primo.

Clemens Episcopus seruus seruorum DEI dilecto filio Petro electo Patauiensi salutem & Apostolicam benedictionem.

In supremæ speculationis vertice, cui nos licet indignos Apostolicæ dignitatis gradus prætulit, constituti, de variis immensisque negociis iugiter emergentibus solicitudinis Apostolicæ studio dirigendis continua reddimur attentione soliciti, ne diligentiæ nostræ ministerium videatur deesse, vbi pastorale tenemur iniunctum nobis officium exercere. Inter quæ de statu prospero ac salubri Ecclesiarum omnium vbilibet positarum curæ nostræ specialiter, superna disponente clementia, commissarum assiduè cogitamus & profundis vigiliis excitamur, vt aliquid penitus non desit inibi, quod ad ipsarum vtilitatem per nos valeat procurari. Specialiter autem ad illas, quas viduitatis incommoda deplorare conspicimus, nostrum animum conuertentes in hoc præcipuè nostra sedulitas officiosa versatur, vt eædem de personis secundum cor nostrum idoneis celeriter ordinentur, ad quod eo instantius vigilamus, quo ad id ex susceptæ administrationis cura specialius obligamur. & quo Ecclesias ipsas per vacationem illarum diutinam maioribus spiritualiter & temporaliter exponi discriminibus intuemur. Sane Patauiensis Ecclesia pastoris solatio destituta dilecti filij Capellani eiusdem Ecclesiæ pro futuri electione Pontificis, vt est moris die ad eligendum præfixa conuenientes in vnum, Spiritus sancti gratia inuocata, dilectum filium VVelo-

VVelodizlaum, nunc Saltzburgenſem electum, tunc Capellanum noſtrum, & Eccleſiæ VViſegradenſis Præpoſitũ in eorum Epiſcopum vnanimiter & concorditer poſtularunt, & poſtulationem huiuſmodi præſentantes illam admitti cum inſtantia poſtularunt. Nos quidem poſtulatæ perſonæ, de cuius probitate multa laude digna relata nobis fuerant, nec non & de illius meritis certam volentes notitiam obtinere, eundem electum ad noſtram duximus præſentiam euocandum, qui velut obedientiæ filius ſe noſtro conſpectui præſentauit. Licet autem poſtmodum inſpecta electi eiuſdem laudabilium copia meritorum, de quibus tam per communis famæ præconium & multorum fide dignorum laudabile teſtimonium, quàm etiam per experiẽtiã facti nobis euidenter conſtitit, poſtulationem prædictã velut de perſona ſufficienti & idonea canonice celebratam deliberaſſemus admittere; Interim tamen venerabili fratre noſtro Vlrico quondam Saltzburgenſi Epiſcopo, pro eo quod ipſe in commiſſo ſibi plebis gubernaculo variis de cauſis ſe vtiliter gerere, ſicut erat expediens, non valebat, ceſſionem ſuam Archiepiſcopalis regiminis nobis per ſpeciales literas & nuncium offerente, illámque à nobis admitti cum inſtantia poſtulante, nos tam ipſius Archiepiſcopi quieti & commoditatibus prouidere, quàm Saltzburgenſis Eccleſiæ occurrere periculis, opportuna diligentia intendentes, ceſſionem ipſius duximus admittendam. Recepta huiuſmodi ceſſione nos attendẽtes, quod nobilis Eccleſia ipſa, quæ currentium dierum faciente malitia multis periculis eſt expoſita, virtuoſi ac potentis indigebat cura Rectoris, ipſum electum eidem Saltzburgenſi Eccleſiæ in Archiepiſcopum præfecimus & paſtorem. Demum vero ne præfata Patauienſis Eccleſia, quæ præpoſiti paſtoris carebat ſolatio, prolixioris vacationis detrimenta ſentiret, ſtudio-

ſtudioſè vacauimus ad exquirendum virum talem, qui ad ipſius Eccleſię regimē idoneus haberetur, vnde nos ad perſonam tuam quam noſtræ beneuolentiæ plenitudinem aſſecutam odor famæ nobis reddit acceptam, cum ſufficiens tibi literarum ſcientia ſuffragetur, & habearis vir vitæ laudabilis & conuerſationis honeſtæ, morum honeſtate decorus, diſcretionis maturitate conſpicuus, clarus meritis & aliàs in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectus, noſtræ conſiderationis dirigentes intuitum ac ſperantes, quod virtutibus deſurſum tibi traditis inſignitus, ipſam Patauienſem Eccleſiam fœliciter dante Domino gubernabis, ipſaque vtilis gubernationis munita prę ſidio ſalubriter prę ſeruabitur à noxijs, & optatis proſperitatis affluet incrementis, in nomine Domini te tunc Eccleſiæ Vratizlauenſis Canonicum ipſi Patauienſi Eccleſiæ de fratrum noſtrorum conſilio & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis præfecimus in Epiſcopum & paſtorem. Ideoq; diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ firmiter pręcipiendo mandamus, quatenus impoſitū tibi onus à Domino ſuſcipiens reuerenter ad commiſſam tibi Eccleſiam cū gratia noſtrę benedictionis accedas, illius amplificādis honoribus, & profectibus procurandis de te ſic reddendo ſolicitum, vt laudabilis famę tuę titulus apud remotos & proximos clareat per effectum, & in delectationem nobis veniat, te ſemper & condigna gratia proſequi & tuis deſiderijs fauorem beneuolum impertiri. Datum Peruſij VIII. Kalendas Decembris. Pontificatus noſtri anno primo.

Ex his verbis & ex ordine continuo, quo noſter m.ſ. hæc coniungit, patet eundem autorem præcedentium & ſequentium eſſe; & quidem Steronem, quē F. hic diſerte apponit & ſeiungit quæ noſter m.ſ. coniungit.

Cometam priori anno viſam multa incommoda ſubſequuntur. In diuerſis namque regionibus inter Reges & Principes cædes hominum multæ fiunt. Mortalitas quoque hominum & pecorum non mediocriter eſt ſecuta vt patebit plenius in * ſequentibus.

Pp M.CC-

M. CC. LXVI.

Tertio nonas Martij facta est congressio in Apulia inter Karolum fratrem Regis Franciæ, & Manfredum Regem Siciliæ; & Manfredus deuictus occubuit. Eodem anno bellum magnum factum est in pago VVirtzburgensi VI. Idus Augusti, inter Hermannum Comitem de Hennberg & VVirtzburgenses, vbi ijdem ciues victores cum suis fautoribus extiterunt. Tunc etiam Otakerus Rex Bohemiæ inimicitias, iam dudum contra Ludvvicum & Heinricum Duces Bavvariæ conceptas, totis viribus in arma conuertit, adsciscens sibi Saltzburgensem, Patauiensem, Ratisponensem ciuitates cum munitionibus earundem, ex quibus tunc facta sunt in Bavvaria multa incendia, occisiones hominum & rapinæ. Ipse quoque in mense Augusto cum multis millibus armatorum versus Chamb Bavvariam intrauit, destruens * Regenstaph & Nitnau, & alia castra, in quibus per incendium & iacula sagittarum magna perijt hominum multitudo: & morante ipso per biduum Ratisponæ per Egram reuertitur in Bohemiam exercitu penuriam victualium patiente. Recedente autem ipso Rege de Bauaria, Dominus Heinricus Dux misso exercitu vltra flumen * Ilesam oppidum in Velden & alias munitiones cum tota prouincia ibidem incendio deuastauit. Subsequenter III. Kalendas Nouembris idem Heinricus Dux Bavvariæ per portam quandam ciuitatis Patauiensis procuratione siue traditione quorundam per adulterinas claues obtentam, nouum forum cum quibusdam domibus & etiam cellario Canonicorum, ac magna parte ciuitatis exussit, aliquibus ibidem ciuibus interfectis; totamque ciuitatem cepisset, si sui non fuissent propter inuasionem rapinæ & noctis tenebras hinc inde dispersi.

*F. Regenstauf & Nittaun.

* F. Ilsam.

Anno

Anno ab Incarnatione Domini M. CC. LXVII. Dominus Gvvido Cardinalis Apostolicæ sedis legatus, VI. Idus Maij apud VViennam concilium celebrauit, cui interfuerunt Ioannes Pragensis, Petrus Patauiensis, Bruno Brixinensis, Chunradus Frisingensis, Leo Ratisponensis, * Amultricus Lauendinensis Episcopi, & alij quam plures de ipsis diœcesibus Prælati, Archidiaconi, & Decani. Tunc etiam in priori Dominica factus est terræ motus, ita vt in multis etiam locis ruinam ædificia paterentur. Otakerus Rex Bohemorum & Heinricus Dux Bavvariæ rursus per pacis osculum ad concordiam redierunt. Et Elyzabeth Ducissa Bavvariæ V. Idus Iunij peperit filiam, quæ baptizatur à Leone Episcopo Ratisponensi, & vocata est Katherina. Subsequenter Dominus VVladizlaus apud Saltzburch in Dominica Trinitatis in Archiepiscopum consecratur. Idibus Septembris natus est Ludvvico Duci filius, qui vocatus est Ludvvicus.

Acta huius Concilij infra hoc eodem tomo reperies.

** Amalricus Lauadinensis.*

M. CC. LXVIII.

Chunradus Rex inuitatus diu à Lombardis & Apulis priori anno Italiam ingressus, adhærentibus & fauentibus sibi plurimis ciuitatibus, Romam ingreditur, vbi gloriosè tanquam Imperator cum magno tripudio suscipitur, Domino Papa tunc apud Viterbium existente. Post hæc versus Apuliam progreditur cum exercitu, ac habito conflictu cum Karolo Rege victus & captus est apud Neapolim, iussu prædicti Karoli decollatur IV. Kalendas Nouembris feria secunda. Cum ipso etiam tunc decollatus est Fridericus Dux filius Hermanni quondam Marchionis de Baden, Ducis Austriæ, de quo spes non modica fuerat, quod deberet aliquando paternos Ducatus, Austriæ videlicet & Styriæ obtinere. Deinceps Karolus memoratus tanquam duobus Regibus Manfredo scilicet filio Friderici

Imperatoris & Chunrado fratruele ipsius Manfredi victis & occisis, regno Siciliæ liberè potitur, defensionis Ecclesiæ de plurimis habens laudem. Subsequenter in eodem mense Nouembri in die sancti Chrysogoni moritur Clemens Papa, qui quoniam in Papatu nunquam Romam intrauerat, in loco vbi iam diu steterat, videlicet in Viterbio sepelitur. Exhinc sedes Romana diu vacare cœpit propter discordiam Cardinalium, qui permittente Domino ad malum totius Christianismi in eligendo pastorem Ecclesiæ Catholicæ non poterant concordare.

M. CC. LXIX.

In ipso festo Natiuitatis Domini tanta facta est inundatio aquarum quanta nunquam à tunc viuentibus visa fuit.

Gregorius Patriarcha Aquileiensis obiit; in cuius locum eligitur Philippus quondam Saltzburgensis electus frater Vlrici Ducis Karinthiæ. Quo Vlrico post hæc in breui sine hæredibus defuncto memoratus Philippus sibi eundem Ducatum tanquam verus hæres ipsius attrahere attentabat; sed per Otakeri Regis Bohemiæ potentiam impeditur. Heinrico Duci Bauariæ nascitur filius in die sancti Dionysij, qui vocatus est Ludvvicus.

Anno M. CC. LXX.

VVladizlaus Archiepiscopus Saltzburgensis obijt, cui subrogatur Fridericus eiusdem Ecclesiæ Præpositus. Bela etiam Rex Vngariæ, frater videlicet sanctæ Elyzabeth, & pater Elyzabeth Ducissæ Bauariæ ex hac vita decessit, relinquens filium suum Stephanum Regni successorem. Maria Regina Vngariæ etiam non post longum tempus obiit. Subsequenter etiam in festo Assumptionis beatæ Mariæ Elyzabeth virgo filia Domini Heinrici Ducis Bauariæ iam XIII. annum ætatis suæ gerens in mona-

monasterio in Lantshuet habitum religionis assumpsit. In ipsa etiam æstate tanta siccitas fuit vbique, vt sata omnia arescerent; & ex hoc fames maxima est secuta: Attamen vinum in abundantia natum fuit. Ludvvicus Rex Franciæ cum Ioanne filio suo tunc obiit in partibus transmarinis, relinquens filium suum Philippum regni successorem. Stephanus Rex Vngariæ circa festum S. Thomæ Apostoli misso exercitu in Austriam à parte meridiana Danubij illam prouīciam deuastauit, occisis & in captiuitatem abductis plus quam * septendecim millibus hominum. *F. sedecim.*

M. CC. LXXI.

Otakker Rex Bohemiæ congregato valido exercitu infra octauam Paschæ inuasit Vngariam, & deuictis munitissimis castris, videlicet Presburch, & * Altenburch & Tirna, *F. Altenberch & Tyrnau.* & castro sancti Georgij ac aliis plurimis munitionibus captis & deuictis circa festum Pentecostes propter consumptionem victualium reuerti cogitur in Bohemiam exercitu relaxato. Stephanus autem Rex Vngariæ missis in Morauiam, & in Austriam Vngaris & * Comanis per incendia *F. Cumanensibus.* & rapinas & multas strages hominum plurima mala gessit. Tandem circa solstitium æstiuale per Episcopos & religiosos viros Deum timentes ad inopinatam & subitam pacis concordiam redierunt. Domina Elyzabeth Ducissa Bavvariæ peperit filium II. idus Martij, qui baptizatus ab Hermano Abbate Altahensi, & vocatus est Stephanus. Ipsa vero Ducissa in subsequente autumno IX. Kalendas Nouembris diem clausit extremum. Quæ cum esset fœmina virtuosa & omni bonitate præclara, morte sua toti Prouinciæ inconsolabilem luctum fecit. Castrum nobilissimum & fortissimum dictum Starchenberch in transmarinis partibus Saraceni occupant & expugnant, quod cōparauit Ludvvicus senior Dux Austriæ.

M. CC. LXXII.

Dominus Theobaldus Archidiaconus Leodienſis iam priori æſtate per formam compromiſſi in ſummum Pontificem electus cum glorioſo apparatu in quadrageſima intrat Vrbem, & ibi in Eccleſia ſancti Petri conſecratus Gregorium decimũ ſe appellat. Stephanus Rex Vngariæ circa Kalendas Auguſti moritur relinquens duos filios ſucceſſores, & Ladizlaus primogenitus ipſius ſtatim Regni ſolio collocatur.

Eodem anno poſt obitum prædicti Stephani Regis quidam Comes de Gruezzing, *nomine Heinricus*, qui ab eodem Rege de Vngaria eiectus fuerat, & receptus à Rege Bohemiæ, filiam Domini Zimlonis de * Luchenburch duxerat in vxorem, dimiſſa eadem vxore, in Vngariam eſt reuerſus, & reconciliatus Domino Ladiſlao primogenito præfati Stephani Regis tunc in Regem ſolenniter coronato. Accidit autem, vt cum Domino Bela Duce de * Matſvvere auunculo Regis prædicti, & conſobrino Regis Bohemiæ Comes idem in verba contumelioſa prorumpens, actione præſumptæ proditionis contra ſupradictum Dominum Ladizlaum, ipſum Ducem Belam in inſula apud Budam miſerabili nece proſterneret, ita vt membra ipſius in fruſta conciſa materteræ ſuæ videlicet * duæ filiæ Domini Stephani Regis in monaſterio ibidem conſtituto colligerent, ac cum planctu & dolore maximo ſepelirent. Ob quam cauſam Rex Bohemiæ maximo furore commotus, initam olim cum Regno Vngariæ concordiam, & ad magnam vtriuſq; partis inſtantiam auctoritate ſedis Apoſtolicæ confirmatam reſcindens, nec Treugas nec pacem ſolennibus nunciis Vngarorum poſtulantibus voluit indulgere, ſed in confiniis eos iuſſit inuadi & ſtatuit cum grandi exercitu ipſum Regnum ſe hoſtiliter aggreſſurum.

** F. Leuchenburch*

** F. Marſaune*

** F. dominæ ſobrina filia.*

*Eo-

* Eodem año Bela Dux de Machſchovve affinis Regis Bohemiæ ab Heinrico Comite de Gruezing occiditur.

Anno igitur milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo tertio Vngari & Cumani præuenientes motum prædicti Regis Bohemiæ poſt feſtum Purificationis quaſdam partes Auſtriæ, Styriæ, & Morauiæ ſub magna ſtrage promiſcui ſexus hominum intrauerunt.

Eodem anno feria V. poſt, Miſericordiam Domini, Cathedralis Eccleſia Ratiſponæ cum palatio Epiſcopali & optimis campanis incendio totaliter eſt conſumpta.

** F. editio hic inserta habet hæc verba: Dominum Heinricus monachus Altahenſis factus eſt Abbas Piburgēſis. An iſte Heinricus Stero?*

Hic finit noſter m.ſ & ſine intervallo Eberhardus incipit.

F. editio hæc adiūcta habet.

In feſto B. Gregorij Dominus Hermannus venerabilis Abbas Altahenſis, qui iam XXX. annis & amplius eandem Abbatiam cum tanta rexerat honeſtate, vt in ſpiritualibus adeò profecerit, quod religionis vigeret illic obſeruantia ſpecialis, & cultus DEI per ipſius diligentiam fuiſſet multipliciter ampliatus, ita quod in perſonis ibi ſub regula educatis excreuerit, vt ſui regiminis tempore ex eiuſdem loci monachis Formbach, Aſpach, ObernAltach, Priul, & Piburch, Abbates electi eſſent. In temporalibus quoque poſſeſſionibus honore & pace & quiete, per deſtructionem caſtrorum vicinorum videlicet Fleinſperg & Zirberch & Moſe, in turribus eiuſdem Eccleſiæ abundantia ex dignè promerito fauore Principum & nobilium terræ Bauariæ facta erat. In ædificiorum quoque diuerſis hinc inde ſtructuris tam in renouatione chori, quàm alijs infra ſepta clauſtri quam extra, & vtiliſſimo aquæ ductu ad vſum molendini & inundationem areæ tanta per ipſum præclara opera cernebantur, vt meritò poſſet dicere cum Cæſare Auguſto, Vrbem lateritiam inueni marmoream relinquo. Erat denique in hoſpitalitatis gratia totus hilaris, omnino prouidus, cuilibet ordini dignitati, conditioni ætati vel ſexui adeò ſe conformans vt quaſi omnib. omnia factus in ſe & in honorē ipſius loci affectus omniū prouocaret. O virum omni religioſa dignum laude, qui ſub tanta tanquam fidei ſolici-

solicitudine tot annis ipsi Ecclesiæ præesse non timuit, nec tamen in spe quidem boni successoris viuus & incolumis eidem regimini cedere recusauit. Ipso quidem die B. Gregorij in manus Domini Theodori tunc Abbatis de Alderspach, qui ex mandato Domini Petri venerabilis Episcopi Patauiensis accesserat monasterium Altahense, idem Dominus Hermannus vergente quidem deorsum ex debilitate senilis ætatis conditione corporea, sed spiritu in sublimiora scandente, mitram & baculum cum omni cura pastorali coram positis fratribus, maximo cessionis iam diu feruens desiderio resignauit. Ex quo planctus familiaribus ipsius Ecclesiæ & vicinis oritur nimis insolitus atq; grauis admiratio, ante Prælatis aliis per Bauariam constitutis, eo quod se illi in vtilitate regiminis, aut proposito renunciationes impares æstimarent, omnibus in commune optantibus tanto cessore successorem idoneum ex diuina prouidentia subrogari. Prædictus autem Dominus Hermannus post cessionem ipsius Abbatiæ superuixit duobus annis, detentus maximis infirmitatibus, ita vt de lecto in quo decumbebat, non posset surgere, stare, vel ire sine adiutorio sibi seruientium: qui infirmitates & omnes molestias corporis patientissimè tolerauit, cottidie abundantissimè fundens lachrymas & orans Dominum Iesum pro peccatis suis. Qui, vt supra dictum est, laudabiliter rexit Ecclesiam Altahensem annis XXX. mensibus IV. dies XVI. faciens maximas eleemosynas, & alia multa bona opera, obiit bono fine pridie Kalendas Augusti, anno vitæ suæ LXXV. Ego Heinricus Stero Capellanus suus hæc addidi, videns in eo timorem Domini, & sapientiam magnam esse, & super omnia ipsum habere misericordiam circa omnes homines, & alias virtutes multas, ad testimonium sibi perhibeo, & scio, quod verum est testimonium meum.

FINIS.

ANNA-

ANNALES EBERHARDI DE INFERIORI ALTACH,

RATISPONENSIS ECCLESIÆ ARCHIDIACONI

AB

IMPERATORE RVDOLPHO HABSPVRGIO SIVE

AB

Anno 1273. vsque ad annum 1305.

Nunc primum editi

EX

CODICE MANVSCRIPTO AVGVSTAni Monasterij SS. Afra & Vdalrici.

AD LECTOREM.

IN eodem m. s. codice monasterij S. Vdalrici sequuntur hi annales Eberhardi: quos qui legerit & conferre voluerit cum iis, quæ Francofurtensis editio ab anno 1273. nomine Heinrici Steronis edidit; mirabitur sanè in tam multis ad verbum conuenire. Licet enim noster hic m. s. multis partibus auctior sit, tamen necesse est, vt vel Stero Eberhardum, vel hic illum viderit, & quædam transcripserit. Nos summa fide ex m. s. damus Eberhardum, qui hactenus lucem non vidit: quam inferre historiæ illius æui aptus natus est. Mentio huius est in Bibliotheca Gesneri his verbis: Eberhardus Ratisponensis diaconus historiam quandam scripsit.

ANNALES

EBERHARDI ALTAHENSIS, RATISPONENSIS ECCLESIÆ ARCHIDIACONI,

Nunc primùm editi ex m. s. Augustano.

QVIA ea, quæ in patria nostra scilicet Bavvaria à tempore electionis Rudolphi Romanorum Regis gesta sunt, in multis locis quæsiui, nec scripta reperi, ego Eberhardus, natus de inferiori Altach, Ratisponensis Ecclesiæ Archidiaconus, iuxta Hismeniũ mihimetipsi canens, illa quæ requirendo scire poteram vel audiendo, & digna reputaui memoria, hîc fideliter annotaui.

Anno Domini M. CC. LXXIII.

Mortuo Richardo Romanorum Rege Principes Imperij circa Octauam S. Michaëlis ad eligendum alium Regem in Frankhenfurt conuenerunt, & dum omnes qui vocandi erant interessent, præter Heinricum Ducem Bauariæ, qui & solẽnes miserat nuncios, & per ratihabitionem suum eidem electioni præbuit consensum, electus est Rudolphus Comes de Habspurch in Romanum Regem, postea in Imperatorem consecrandus. Qui Rudolphus statim exegit à Principibus, Clericis ac Laicis fidei iuramentum, quod cùm recusarent propter sceptri absentiam, ipse electus signum Crucis accipiens talia dixisse fertur: Ecce signum, in quo nos & totus mundus est redemptus; & hoc signo

vtamur loco ſceptri: & deoſculata Cruce omnes Principes tam ſpirituales quàm ſæculares ipſam Crucem loco ſceptri oſculantes, recipientes feuda, ſibi fidelitatis iuramentum præſtiterunt. Ipſe etiam Rex adhuc exiſtens in palatio Aquenſi, ad quod iam *pridie intronizatus à Principibus fuerat, duas filias ſuas, vnam Domino Ludvvico Comiti Palatino Rheni, alteram Duci Saxoniæ matrimonialiter copulauit.

*pridem.

Eodem anno Rex Bohemiæ Otakerus & Heinricus Dux Bavvariæ ad plenam concordiam redierunt, Rege Bohemiæ de caſtro in Scherding, & quibuſdam iuribus, quæ pertinebant ad Ducem, refutationem faciente. Ipſi etiam contra omnem hominem huiuſmodi iurauerant mutuo ſe iuuare.

Anno Domini M. CC. LXXIV. Ad Curiam noui Regis in Franchenfurt Principes euocantur.

Anno Domini M. CC. LXXIV. Celebratum eſt generale Concilium apud Lugdunum per Gregorium Papam decimum, cui interfuerunt plus quam DCC. Epiſcopi & Abbates & Præpoſiti, cæterique Eccleſiarum Prælati in numero copioſo. Item eidem concilio interfuerunt ſolennes nuncij ſeu Procuratores Græcorum, qui coram toto Concilio Symbolum Niceni Concilij, Credo in vnum Deum: quod à ſuo veteri errore, quo dicebant Spiritum ſanctum tantum à Patre, & non à Filio procedere, ſe receſſiſſe demonſtrarent; & velle credere, quod ſancta mater Romana & orthodoxa Eccleſia credit & prædicat, ſcilicet quòd Spiritus ſanctus à Patre & Filio æterna ſpiratione procedit. Sicut patet per Decretalem, quæ ſuper hoc eſt in eodem Concilio promulgata, cuius tenor talis eſt: Fideli ac deuota profeſſione fatemur, quòd Spiritus ſanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duo-

bus

bus principiis, sed tanquam ex vno, non duabus spirationibus sed vna spiratione procedit. Hoc professa est hactenus prædicauit & docuit sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium & magistra, hoc habet orthodoxorum Patrum, atque Doctorum Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis & vera sententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabilis pręmissæ ignorantiam veritatis in errores varios sunt prolapsi, nos huiusmodi erroribus viam præcludere cupientes, sacro approbante concilio damnamus & reprobamus omnes, qui negare pręsumpserint, ęternaliter Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere; siue etiam ausu temerario asserere, quòd Spiritus sanctus ex Patre & Filio tanquam ex duobus principiis non tanquam vno procedat. Sed ipsi Græci ab hoc fide & promissione subito recesserunt, propter quod Dominus Papa Martinus in vrbe veteri eos excommunicatos nunciauit, vt patet in litera subsequenti. Martinus Episcopus seruus seruorum Dei ad certitudinem præsentium & memoriam futurorũ Michaëlem Palleologum, qui Græcorum Imperator nominatur, tanquam eorundem Græcorum antiquorũ schismaticorum, & in antiquo schismate constitutorum, & per hoc hæreticorum, nec non & hæresis ipsorum ac schismatis antiqui fautorem de fratrum nostrum consilio denunciamus præsente ac fidelium multitudine copiosa excommunicationis sententiam, latam à canone incurrisse ac ipsius fore sententiæ vinculo innodatum. Cæterũ vniuersis & singulis Regibus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus & cęteris omnibus cuiuscunque sint præeminentiæ, conditionis, aut status; nec non vniuersitatibus ciuitatum, castrorum, & aliorum locorum, districtius inhibemus, ne cum eodem Michaële Palleologo in huiusmodi excommunicatione manente societatem vel confœ-

 dera-

derationem aliquam contrahere sub quouis ingenio, vel machinatione præsumant, vel etiam ei alias in his, pro quibus excommunicatus est, denunciatus à nobis, prçstare cõsilium, auxilium vel fauorem publicum vel occultum. Et si secus præsumptum fuerit, omnes singulares personas contrarium facientes, non obstante qualibet indulgentia, sub quacunq; forma verborum vel expressione ipsis ab Apostolica sede concessa vel inposterum concedenda, quam quoad hoc viribus volumus omnino carere, sententiã excommunicationis, quam exnunc in ipsos ferimus, volumus incurrere ipso facto. Terras autem ipsorum nec non vniuersitates prædictas, quæ secus attentare præsumpserint, prout expedire viderimus Ecclesiastico subijcere curabimus interdicto ad priuationem omnium bonorum, quæ à quibuslibet tenentur Ecclesijs. Et ad pœnas alias spirituales & temporales, prout vtile putabimus processuri, & nihilominus societates confœderationum ipsas, etiamsi pœnarum & iuramenti adiectione, vel quacunque fuerint alia firmitate vallatæ, decernimus irritas & inanes. Vt autem huiusmodi noster processus ad communem omnium notitiã deducatur, chartas siue membranas processum continẽtes eundem, in maioris Vrbenetanç Ecclesiç appendi vel affigi ostijs seu superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum quasi sonoro præconio & patulo iudicio publicabunt, ita quod idem Palæologus, & alii contra quos processus ipse contigit, nullam possint postmodum excusationem prætẽdere, quod ad eos talis processus non peruenerit, vel quod ignorauerint eundẽ, cùm nõ sit verisimile remanere quoad ipsos incognitũ vel occultum, quòd tam patenter omnibus publicatur. Actum apud Vrbem veterem in platea dictæ maioris Ecclesiæ in festo dedicationis Basilicæ Principis Apostolorum, Pontificatus nostri anno primo. Itẽ quia

in partibus Alemanniæ & forsitan in aliis etiam in quua cõsuetudo inoleuerat, de impignorationibus, in quibus vnus pro alio siue innocens pro nocente indebitè prægrauatur. contra impignorantes huiusmodi idem Papa Gregorius in eodem concilio edidit Decretalẽ, cuius tenor est talis. Etsi impignorationes, quas vulgaris elocutio Represalias nominat, in quibus alius pro alio prægrauatur, tanquam graues legibus & æquitati naturali contrariæ, ciuili sunt constitutione prohibitæ; vt tamen earum prohibitio in personis Ecclesiasticis tantò amplius timeatur quantò in illis specialius inhibetur, eas concedi contra personas prædictas seu bona ipsarum, aut quantumcunq; generaliter prætextu cuiusuis consuetudinis, quam potius reputamus abusum, fore concessas, ad illas extendi pręsenti decreto districtius inhibemus. Illi autẽ, qui contra fecerint aduersus personas easdem impignorationes seu represalias concedẽdo vel extendendo ad eas, nec pręsumptionẽ huiusmodi reuocauerint à concessionis vel extensionis tempore infra mẽsem, si personę singulares fuerint, sententiam excommunicationis incurrant: Si verò vniuersitas, Ecclesiastico subiaceat interdicto. Ex hac tamẽ salubri constitutione modica prouenit vtilitas, vel quia rite post Concilium in Prouinciis publicata nõ extitit, vel quia excomunicationis præcipitiũ à malis hominib. non timetur. Item pro subsidio terrę sanctę imposita fuit in eodẽ Concilio omnibus Ecclesiis & Monasteriis, nõ tamẽ Xenodochiis nec Orphanotrophiis, solutio decimarũ omnium prouentuum Ecclesiasticorũ per sex annos continuos idẽ Conciliũ subsequentes. Quę decima, quãuis studiosè exacta fuerit & recepta, nõ tamẽ est euidẽs, quę vtilitas terrę sanctę exinde fuerit procurata. Post idem Conciliũ prędictus Papa Gregorius accessit apud Losannã Rudolphũ electũ per Principes Alemañię in Romanorum

Regem,

Regem, & electionem de ipso factam confirmauit, sibi nomen & dignitatem regiam ascribendo, & promisit ipsum Imperatorem postea consecrare.

Anno Domini M. C C. L X X V I I.

Austriam Rudolfus recuperat.

Cum prædicto Rudolpho Romanorum Rege omnes Comites & Barones & communitates ciuitatum & ciuium de Rheno, Franconia, Sueuia, & Bauaria, se sponte subdiderunt, ei fidelitatis iurando homagia, castraque & ciuitates & terras quas tempore vacantis Imperij, scilicet à temporibus Friderici olim Imperatoris occupatas tenuerant, sibi voluntariè resignarunt. Otakerus quintus Bohemorum Rex, qui Austriam, Styriam, Karinthiam, Carniolam, ac Portum Naonis tempore vacantis Imperij tenuerat, resignare noluit, dicens quod easdem terras, bona fide & iusto titulo possideret, ac ex mandatis & commissionibus Apostolorum, qui tempore suo fuerant, contra insultus Vngarorum, Comanorum & Tartarorum per x x i v. annos cum grauibus sumptibus & laboribus, imò & multa impensa suorum sanguinis defensasset. Quam allegationem Rudolphus Rom. Rex non aduertit, sed validum exercitũ congregans intrauit terram Austriæ, euntibus secum in exercitu Moguntino, & Coloniensi Archiepiscopis, Herbipolensi, Ratisponensi, Pataviensi Episcopis, Ludvvico Comite Palatino Rheni, Heinrico Duce Baiuariæ, & aliis multis nobilibus de Rheno, Franconia, & Sueuia. Et ciuitates ibidem & castra se suo dominio subdiderunt, excepta ciuitate VViennensi, quam etiam obsidione cinxit, nec tamen per violentiam cepit, sed per quoddam arbitrium q ipsi ambo Reges inierunt, incepit ipsam ciuitatem VViennensem, & totam terram Austriæ trans Danubium versus meridiem pacificè possidere, altera parte eiusdem trãs Danubium versus Aquilonem siue Bohemiam eidem Regi

Bohe-

Bohemiæ per idem arbitrium remanente. Tandem per tres vel duos annos, prædicto scisso arbitrio, præfatus Rex Bohemiæ de terris suis, scilicet Bohemia & Morauia, & etiam de aliis terris scilicet Polonia, Pomerania, Saxonia, Michsna fortem exercitum congregans castrametatus est super flumine March in campo qui dicitur Marchueldt, prope Cistesdarff. & cum idem Rex Bohemiæ cum Rudolfo Romanorum Rege de mane congredi cogitaret, ecce multi nobiles de parte aduersa ipsum Regem Bohemiæ præmonuerunt literis & nunciis dicentes, quod in ipsa congressione nobiles sui essent eum prodicionaliter in manus hostiumondituri: quod cognoscens idem Rex Bohemiæ nobiles suos ad se in suum conuocauit tentorium, & se eis inermem omnimodis præsentauit dicens: Ecce inermis in conspectu vestro sto, & licet de fidelitate vestra non diffidam, tamen si cui contra me proditionis vel iniquæ factionis esset voluntas, melius existeret, vt me nunc solum occideret, quàm quod cras mecum in bello multa millia hominum moriantur. Sed ipsi nobiles multis iuramentis, se ipsi velle fideliter assistere, promiserunt. Item idem Rex Bohemiæ cuidam strenuo militi promisit plurima se daturum, si vel Romanum Regem, vel saltem equum eius occideret in congressu, qui miles hac promissione accepta, cuneum fortissimorum militum penetrans, ipsum Regem Romanorum vehementi ictu ad terram prostrauit, & equum eius occidit. Sed nobiles qui latus Regis stipauerant, eundem captiuauerunt militem, & Regem in equo alio locauerunt. Sed ecce mirabilem prædicti Romanorum Regis clementiam, quia eundem militem sibi captiuum præsentatum postea abire permisit illæsum, dicens quod Reipublicæ damnum esset, si miles adeo fortis & strenuus deperiret. Ipso etiam Rege Romanorum, deuinctis sibi Vn-

garorum & Comanorum Regibus,& nobilibus de Rheno, Franconia,& Sueuia, conflictũ habente cum prædicto Rege Bohemiæ, ipse Rex Bohemiæ est occisus & inter cadauera mortuorum nudus omnimodis est inuẽtus, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo octauo, septimo *Kalendas Septembris*. Idem enim Rex Bohemiæ nobiles & populum prædictarũ terrarum Bohemiæ, Austriæ, Morauiæ,Styriæ,Karinthiæ & Carniolæ, qui ante sua tempora rapinis & spoliis assueti fuerant, multa austeritate compescuit, & sine delectu personarũ in seueritate iustitiæ ita magnum iudicauerat sicut paruum, & ob hoc prædicti nobiles eum latenter habentes odio, deseruerunt aciẽ, ac ipsum cũ paucis expositum hostibus dimiserunt, quod cum ipse Rex conspiceret scilicet suorum adiutorio se priuatum, cum illis paucis qui mori elegerant pro domino & Patria, in turbas hostium prosiliit, & aliqua strage ab eis facta tam ipse quam prædicti sibi fideles in acie ceciderũt. Post eius mortem terra Bohemiæ & Morauiæ multis tribulationibus est exposita, nam filius ipsius Regis iuuenis erat, & per Marchionem de Brandenburch in tutelæ custodia seruabatur, & ipsa terra Bohemiæ tam per incolas quàm per Ducem Heinricum Vraceslauiæ miserabiliter vastabatur. Interea etiam relicta prædicti Regis Bohemiæ duxit legitimè quẽdam nobilem de Bohemia Zebischum nomine de cognatione Bitigonũ, qui sæpe fati Regis Bohemiæ validus fuerat persecutor. Sed tandem filius Regis Bohemiæ ducens in vxorem filiam Rodolfi Romanorum Regis, & regnare incipiens,eundem Zebischum,qui per Reginam quam duxerat thesauros regios habere cœperat, nec Regi assignare voluit,mortua quondam Regina captiuauit & occidit,duobus filiis quos ex eadẽ domina habuerat, exilio deputatis. & quia fratres eiusdem Zebischi & aliqui alij de sua parentela

Ottocarus cæsus. Æn. Syl. in Bohemia c. 27.

tela se ob hoc Regi Bohemiæ opposuerunt, eos à regno suo penitus expulit & fugauit.

Eodem anno Domini M. CC. LXXVII. Leo Ratisponensis Episcopus obiit, in Vigilia beatæ Margaretæ, qui rexerat Ratisponensem Ecclesiam XVIII. annis. Et vir multæ literaturæ & prudentiæ fuit. Cui successit Dominus Heinricus Comes de Rotenekke, eiusdē Ecclesiæ Canonicus, & Archidiaconus; qui cathedralem Ecclesiam B. Petri consumptam Ratispon. & destructam incendio & ab antecessore suo reædificari inceptam sumptuoso opere, q̄ & materiam superabat, vt ad finē perduci posset, multis laboribus procurauit, & multa preciosa ornamenta Ratisponensi Ecclesiæ & aliis tradidit. Campanas etiam comparauit, & dedit Ratisponensi Ecclesiæ sicut hodie patent, maximas & sonoras. Suum etiam patrimonium scilicet comitatum & castrum in Rotenekk cum pertinenciis suis Ludvvico Duci Bauariæ vendidit, & Ratisponensem Ecclesiam *ornatam multis debitis, ab vsuris & damnis aliis liberauit. Et Aduocatiam in Velden, & iudicia in Velden, Eberspent, Teispach, Francchausen, Ergolzpach, Essenpach, Pilsting, & Aueting à dominis Ducibus Baiuariæ, & alia multa magna pecunia comparauit. Et ferè omnia castra Ecclesiæ muris & turribus firmius quam antea fuerant, exaltauit: Redditus etiam tam Episcopales, quam Canonicas præbēdas per suam industriam mirabiliter ampliando, & quod inter sua opera memoriæ magis dignum reputo, vbicunq; Patriam bellorum vel gvverrarum horror perterruit, ibi vt sacerdos magnus tempore iracundiæ factus est reconciliator, nec in hoc pepercit laborib. vel expēsis, quatenus discordantes ad concordiam reuocaret; Pacem non solum Bauariæ, sed etiā vicinis procurando; Et pro Repub. quæ paucis cordi existit, plus omnibus suo tempore laborauit.

* Oneratam.

m. s. 1281.

M. CC. LXXIX.

Petrus Patauiensis Episcopus obiit, qui pontem trans Danubium Patauiæ primus fecit. Cui successit VVichardus eiusdem Ecclesiæ Præpositus. Eodem anno Albertus de * Hals factus est Comes à Rege Rudolfo.

* al. Hale.

m. s. 1286.

M. CC. LXXXI. Vxor prædicti Rudolphi Rom. Regis nomine Anna obiit, & eodem anno ipse Rex exiuit terram Austriæ, & ipsum Ducatum Alberto filio suo primogenito commendauit: Sed postmodum eundem Ducatum eidem Alberto & Rudolpho filiis suis in feudum obtulit coram Principibus suis super hoc Augustæ in Curia congregatis. Eodem anno Chunradus Comes de Mosburch moritur sine hæredibus, & Comitatus ad Heinrici Ducis Baiuariæ deuoluitur potestatem. Item eodem anno à Friderico Saltzburgensi Archiepiscopo apud Saltzburgam concilium celebratur.

Anno Domini M. CC. LXXXII. Petrus Rex Aragoniæ expulso Karolo Rege regnum Siciliæ potenter occupauit, propter quod Papa Martinus Excommunicationis sententiam protulit contra ipsum, sicut plenius patet in litera sequenti.

Martinus Episcopus seruus seruorum Dei ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum. Cogit nos temporis qualitas, & nequitia plurium detestanda solicitat, vt infra scriptorum prædecessorum nostrorum gesta, quæ plenius in archiuo conseruantur, Ecclesiæ ipsius prouidere quieti cautius studeamus. Sanè fælicis recordationis Innocentius Papa IV. prædecessor noster culpas graues, imò grauissimas ac multiplices, ac manifestos excessus quondam Friderici olim Imperatoris Romanorum, propensi maturitate consilij, recti iudicij censura diiudicans, eique secundum praua sua opera reddens, ipsum honore Imperij,

Regno

Regno Siciliæ, Ducatu Apuliæ, ac Principatu Capuæ, generali super hoc congregato * Lud. concilio approbante ac iustitia exigente priuauit, prout in vniuersalem mundi notitiam non est dubium deuenisse, nec ab eadem creditur verisimiliter alienum, qualiter Fridericus ipse aucto superbiæ Spiritu, quamquam sic dignè depositus, sic iustè priuatus, sententiæ huiusmodi priuationis prolatæ in eum pertinaci animo parere contemnēs, regnum & Imperium supra dicta post eiusdem prolationem sententiæ occupata detinere præsumpsit. Qualiter autem post iam dicti Friderici obitum quondam Chunradus natus eius, paternæ malitiæ imitator, dictum regnum præsumptuosis ausibus occupauit, & tandem prædicto Chunrado humanis rebus exempto quondam Manfredus olim Princeps Tarentinus, eiusdem vt dicitur Friderici filius, qui etiam absque priuatione prædicta non iniustè legitimę successionis participium perdidit, quia ipsum partus legitimus non agnouit, vtpote de damnabili commixtione susceptū, ad occupationem prædicti regni temerarias & occupatrices manus extendit. Grauibus ergo & enormibus admodum per potentiam & malitiam eorundem iniuriis irrogatis Ecclesiæ, ipsaque in suis afflicta multipliciter fidelibus respexit altissimus sponsam suam & conuertens illi nubilum in serenum, scelestam prædicti Friderici domum, quæ consueuerat quantumuis malis abundare personis, sic pænè redegit in nihilum, sic illam iacturam multimodæ dissipationis oppressit, vt de ipsa non scintilla vnica remaneret; Chunradinus videlicet Chunradi filius supradicti, qui cum in eo malitia suppleret ætatem, ipseque annorum suorum curricula nequitia superaret, progenitorum suorum nefarios actus sequens, ac illorum profanas iniquitates amplectens, mentisque ambitiosæ vitio Imperium expetens, sibi regnum inti-

 tulando

tulando Siciliæ,se ipsius regni Regem denominare temerè præsumebat:& cum nonnullis Ecclesiæ inimicis Lombardis, Tuscis, Marchianis, & Apulis præcipuè de regno profugis prælibata fraudulentis se implicando commertijs in vrbe Lombardia, Tuscia & per alia diuersa loca suas disseminare literas præsumebat,sub expressione sui proprij nominis & præmissæ intitulationis temerè sigillo regiæ maiestatis impressas,per quas commouere populum, concitare gentes, ac turbare pacem Ecclesiæ nitebatur, in ipsius Ecclesiæ ac carissimi in Christo filij nostri Karoli Siciliæ Regis illustris graue præiudicium & discrimen. Vnde piæ memoriæ Clemens Papa prædecessor noster, cum sibi de his euidentius constitisset, diligenter attendens multam ipsius Chunradini malitiam, & suorum conatuum peruersorum volens obuiare principijs, certum habuit cõtra eum in hac parte processum,prout vidit rationabiliter expedire,ac negocij qualitas persuasit. Demum præfato Chunradino sublato de medio,eidẽ Regno pax redijt,aurora tranquillitatis illuxit,sedatis turbationibus,fluctibus,quos ipsius Chunradini praua studia suscitarent. Sed sicut nuper nõ sine multa turbatione fide dignorum relatu percepimus, nonnulli proteruè assumentes, ad nostram nec non Ecclesiæ dictiq; Regis turbationem & scandalum aspirantes in prædicto regno ignẽ turbationis emortuæ reaccendere moliuntur, ad id sua studia iniquè congerunt, ad id suarum virtutum potentiam coaceruant, manus præsumptuosas apponunt, & etiam occulti fauores auxilium largiuntur. Testatur hæc inter cætera horrendi sceleris feralis immanitas de nouo in ciuitate Panormitana patrati, vbi sic debacchatus est gladius,ferrũ infremuit,furor incanduit, rabies insaniuit, manus truculenta desæuijt,quod sicut rumor mœstus enunciat,nõ suffecit virorum ac mulierũ multitudinem inibi cędi dari,

nisi

nisi & hi quos nondum in lucē natura produxerat, maternis apertis vteris necarentur, trucidarentur innati, & delitescētibus visceribus genitricū impię præfocationis exitiū terretur. Quia ergo pręfatum regnū Sicilię ad Romanā Ecclesiā spectare dinoscitur, suiq; iuris & proprietatis existit, ac propter hoc nos qui vnà cum Ecclesia ipsa medullitùs in hac parte contingimur, & quasi cuiusdā acerbę punctionis aculeo excitamur, volentes tā grauibus huius malorum initijs, prout possumus, obuiare, ne tam horrenda principia cōualescant, pręsente hac fideliū multitudine copiosa, de fratrū nostrorum Concilio vniuersos & singulos cuiuscunq; pręeminentie, dignitatis, conditionis, aut status monemus attētè, districtè pręcipientes eisdē, ne in prędicti regni, vel eius parte, nos & eandē Ecclesiā & pręfatum Sicilię Regem, qui prædictū regnū ab eadem tenet Ecclesia, per se vel per aliū aut alios molestent, seu impetant, aut perturbent, occupādo vel inuadendo hostiliter, seu occupari vel inuadi hostiliter faciant regnū ipsum vel aliquā partem eius. Præcipimus insuper Vniuersis & singulis Christi fidelib. specialiter autem Marchionib. Comitib. Baronib. Ciuitatib. Communitatib. & vniuersitatibus castrorum, villarum, & aliorum quorumcunque locorum Italiæ, & maximè Iurisdictioni temporali Ecclesiæ Romanæ subiectis, ne prædictis in occupatione vel inuasione huius prorsus intendant, & ne cum armis vel sine armis ad turbandam in prædicto regno pacem eiusdem Romanæ Ecclesiæ, ac præfati Regis Siciliæ in eadem pręstent eis occupatione vel inuasione prędictis consilium, auxilium, fauorē, publicè vel occultè, & ne super hoc societatē, coniurationē, aut fœdus aliquod ineant cum eisdem. Si qui autem contra monitionē & pręcepta nostra pręmissa per se vel per alium aut alios quoscunque, dolo, fraude, arte, vel machinatione fecerint, cuiuscunq; sint pręeminētiæ dignitatis,

dignitatis, conditionis, aut ſtatus, excommunicationis ſententia, quam exnunc in illos proferimns, ipſo facto ſe nouerint innodatos. Ciuitates quoq; & communitates quaſlibet, quæ contra monitiones & præcepta noſtra prædicta, quocunque dolo, fraude, ingenio, arte, vel machinatione venire præſumpſerint, Eccleſiaſticæ ſententiæ interdicti, quam exnunc in illos proferimus, volumus ſubiacere. Apertè quoque prędicimus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & aliis inferioris gradus Prælatis, quod ſi contra monitionem & præcepta noſtra præmiſſa, vel eorũ aliquod venire tentauerint, nos eos omni Eccleſiaſticæ dignitatis honore; cæteros autem clericos non Prælationis officium, ſed dignitatis forſitan, vel perſonatus, aut alicuius Eccleſiaſtica beneficia obtinentes, & obtentis priuare curabimus, & inhabiles reddere ad alia obtinenda, prout nobis facti qualitas ſuggeret, & iuſtitia ſuadebit. Laicis verò cuiuſcunque pręeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut ſtatus, & præcipuè Iuriſdictioni temporali Eccleſiæ Romanæ ſubiectis denunciamus expreſsè, quod ſi contra monitiones & præcepta noſtra huiuſmodi, per ſe vel per alium ſeu per alios temere veniendo, ea non curauerint obſeruare, nos tantę temeritatis audaciam non intendentes relinquere impunitam, ipſos feudis & aliis omnibus, quæ à prædicta & aliis Eccleſiis ac perſonis Eccleſiaſticis obtinere noſcuntur, priuare, & Vaſallos eorum, quos habent, à fidelitatis iuramento, quo tenentur, eiſdem reddere penitus abſolutos, & perſonis eorum citra mortis & mutilationis periculis expoſitis, ad expoſitionem bonorum eorum procedere Deo auctore curabimus, prout eorundem culpæ exegerint, & videbimus expedire. Cæterum quia prædicta ciuitas Panormitana, & nonnulla caſtra ſeu villæ illarum partium cõtra præfatum Regem Karolum, qui regnum ipſum ab eadem.

dem tenet Ecclesia, rebellionis spiritum assumpsisse dicuntur, nos circa illa nolentes in hoc iuris rigorem obseruare, sed vti potius mansuetudinis lenitate, quam in actibus nostris libenter amplectimur, intendentes ac volentes eadem ab huiusmodi erroris initio paternis studiis reuocare; Comitatibus, Ciuitatibus, & castrorum ac villarum prædictaram districtè præcipimus, vt sublato cuiuslibet difficultatis & dilationis obiectu, ad nostra mandata, & Ecclesiæ ac Regis prædictorum redire procurent. Eisdemque Comitatibus districtè præcipimus, ne prædictos molestatores, & turbatores, occupatores seu etiam inuasores, aut dantes eisdẽ in prædictis consilium, auxilium, vel fauorem, in ciuitatem, castra, & villas seu districtus eorum quouis modo recipiant, vel receptent, nec ipsorum vel alicuius eorum dominio vel regimine quouislibet se submittant; neque ipsis vel eorum alicui contra nos & eandem Ecclesiam ac Regem prædictũ in ea impendant in prædictis consilium, auxilium, vel fauorem publicum vel occultum. Nos enim confœderationes seu colligationes quaslibet, si quæ inter communitates easdem vel ipsos & quoscunque alios initas vel factas super occupatione, vel inuasione prædictis penitus dissoluentes, ac iuramenta de illis seruandis, vel alio quocunque modo prędictis hinc inde præstita relaxantes omnino, Comitatibus ipsis apertè prædicimus, quod nisi pręmissa curauerint quãtocyus adimplere, contra eas & ciuitatem & castra & villas earum spiritualiter & temporaliter, auctore Domino, procedemus, quod pœna dicente cognoscere poterunt, quàm sit temerarium & superbum mandatis Apostolicis contraire, vt aut &c. Datum apud Vrbem veterem in platea dictæ maioris Ecclesię, in die Ascensionis Domini. Pontificatus nostri anno secundo.

Quam excommunicationem cum prædictus Rex A-

ragoniæ contemneret, Papa excitauit contra eum Philippum Regem Franciæ, qui cum multis millibus militum intrauit Aragoniam, sed per multitudinem muscarũ illius terræ, & inopiam alimentorum, quæ etiam pro pecunia haberi non poterant, multi equi & homines perierunt; & ipse Rex mortuus ibidem reductus est Parisios & apud sanctum Dionysium est sepultus anno Domini 1280. Cor autem ipsius Regis est apud Prædicatores Parisijs tumulatum: de qua indiuisione indiuidui plures clericorum & laicorum contra eosdem fratres, qui dicuntur illud obtinuisse precibus & exhortationibus, scandalizati sunt.

Stero ed. F. ait captã 14. Kal. Iun. 1291.

Millesimo C C. X C I. Ciuitas Akaron, quam solum habebant Christiani in terra sancta, obsessa est per Soldanem Babylonensem, & per XL. dies & noctes sine intermissione impugnata, capta est, & ibidem multa Christianorum millia & capta sunt & occisa: aliqui autem per nauigium fugerunt, & quia multorum erat opinio, quod si fratres domorum ibidem scilicet Hospit. Templ. & Teutonici, & reliquus populus omnino concordasset, ciuitas capta non fuisset. Mandauit Papa Nicolaus omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & alijs Prælatis, vt Concilia Prouincialia celebrarent, & deliberarent, qua ope vel consilio eidem terræ possit subueniri. Et per Concilium habitum Saltzburgæ rescriptum fuit Domino Papæ & consultum, vt prædicti tres ordines counirentur ad vnum ordinem, melioribus eorum obseruantijs in vnum redactis; & quod ad succursum eiusdem terræ sanctæ Rex Romanorum cum Principibus vocaretur. Qui nuncij antequam venissent ad Curiam, Papa mortuus est; & sic hoc negocium remansit infectum.

M. CC. LXXXIV.

Fridericus Saltzburgensis Archiepiscopus obiit; Cui successit

ſucceſſit Rudolfus Romanorum Regis viceCancellarius. Qui licet à principio contra aduerſarios ſui Epiſcopatus ſe validum propugnatorem oſtenderet, tamen vltimo ob timorem, qui non debuerat in virum conſtantem cadere, ſtatuta ſui Concilii, quod celebrauerat milleſimo ducenteſimo octogeſimo octauo, quando etiam corpus beati Virgilii tranſtulerat, non ſine totius patriæ ſcandalo in conſpectu Ducis Auſtriæ reuocauit. Poſt ipſum Rudolfum electus eſt, imò potiùs datus per ſedem Apoſtolicam Chunradus dictus de Vonſtorf tunc Epiſcopus Lauentinus.

M. CC. LXXXV.

Gotfridus Patauienſis Epiſcopus natione de Beſtualia obiit, cui ſucceſſit Bernhardus dictus de Pranbach eiuſdem Eccleſiæ Canonicus, qui beatorum Valentini & Maximiliani corpora in loco humili repoſita in tumba honorabili de nouo in medio Eccleſiæ Patauienſis erecta, decentius collocauit: & incepit reædificare de nouo & bono opere Eccleſiam Patauienſem. Præterito anno, hoc eſt anno Domini M. CC. LXXX. * tempore Ladizlai Regis Vngariæ filii Regis Stephani, Tartari in tanta multitudine intrauerunt Vngariam, quod dicebantur cum exercitu ſuo vndecim milliaria occupare, qui tandem non humano auxilio ſed diuino iudicio perierunt. Superuenit enim grando, nix, & pluuia in tanta quantitate, quod ſe de loco mouere non poterant, & ſic à Chriſtianis in circuitu poſitis ſunt occiſi, & iuſti tulerunt ſpolia impiorum: multi etiam eorum euaſerunt.

M. CC. LXXXVII.

Dux Brabantiæ* deuictus auxilio ciuium Colonienſiũ, Archiepiſcopus Colonienſis, & Comes de * Gelerr ipſoſque captiuauit, & in eodem conflictu multi ſtrenui milites ſunt amiſſi. Eodem anno Rudolfus Romanorum Rex

m. ſ. 1288.

**Stero: deuicit cum auxilio ciuium Coloniẽſium, Colonienſem Archiepiſcopum & Comitẽ de Belere.*

**forte: Gelria.*

Comitis Burgundię rebellantis sibi, terram ingreditur cum exercitu, & licet Comes idem multorum de Picardia & Flādria iuuaretur auxilijs, tamen cum prædicto Rege congredi non audebat, sed per Ducem Burgundiæ ad gratiam & concordiam redijt cum eodem. Item eodem anno mota est discordia inter omnes Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos, & totum Clerum regni Franciæ ex vna parte, & fratres Prædicatores & Minores ex altera super priuilegio dato eis à Domino Papa Martino. Cuius tenor talis est.

Vide Pet. de Vine. l. c. 37.

Martinus Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Ministro generali, & Prouincialibus Ministris Ordinis Fratrum Minorum salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad fructus vberes, quos in agro Dominico, prædicando pariter & exemplo, confessiones audiendo, & per alia virtutū exercitia satis Ordo vester, & humiles ipsius ordinis professores produxerunt hactenus, & sperantur in futurum, Deo auspice, producturi, attentæ considerationis aciē conuertentes, vt fratres eiusdem ordinis prædicationis & audiendi confessiones officia eò liberius & efficacius exequi valeant, quò citius de ipsorū circa eadem de auctoritate Apostolica cōstabit tibi, fili, Ministro generali, per te; vobis verò Prouincialib. Ministris cum diffinitorib. in prouincialibus vestris capitulis congregatis, committendi auctoritate Apostolica fratribus eiusdē Ordinis sacra pagina eruditis, examinatis, & approbatis à vobis, prædicationis officiū, audiendi vero confessiones, absoluendi pœnitentes, salutares eis iniungendi pœnitentias, & fratribus aliàs idoneis concedendi: eisdem quoque sæpe fati ordinis, quibus dicta officia per vos taliter concessa seu commissa fuerint, quod eadem liberè valeant exercere, plenam damus & concedimus auctoritate præsentium facultatem, districtius inhibentes, ne quis fratres ipsius ordinis, quibus dicta officia taliter

liter concedenda duxeritis, vt premittitur, siue etiam committenda in exercitio siue executione officiorũ ipsorum, audeat quomodolibet impedire. Volumus autem quod hi qui fratrib. cõfitebuntur, eisdem suis parochialibus presbyteris confiteri saltem semel in año, prout generale Concilium statuit, teneantur. Quodque iidem fratres eosdem ad hoc diligenter & efficaciter secundum datam eis gratiam à Domino exhortentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & inhibitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum apud Vrbem veterem IV. Idus Ianuarij, Pontificatus nostri anno primo.

Dicebant enim ipsi Prædicatores & Minores, quòd confessi ipsis non tenerentur suis parochialibus presbyteris eadem peccata in numero iterum confiteri. Cuius tamen contrarium Archiepiscopi & Episcopi asserebant per idem priuilegium & per Decretalem, Extra. de pœnitentiis & remissionibus, Omnis vtriusque. Cuius in eodem priuilegio mentio facta fuit. Quæ quæstio per Doctores seu Magistros Theologiæ & iuris Canonici multipliciter fuit Parisiis disputata, & validissimis ostensum fuit rationibus, præcipuè tamen per Magistrum Heinricum de Gãdauo, quod eadem peccata in numero, quæ aliquis cõfessus fuerit Prædicatori, vel Minori, vel alias priuilegiato, teneretur iterato confiteri saltem semel in anno suo proprio sacerdoti. Cuius tamen contrarium cum fratres multis rationibus niterentur ostendere, tale consilium dederunt Magistri & Sapientes Parisiis, à scholaribus requisiti, quod quãdiu hæc quæstio esset dubia Parisiis vbi magis quàm alibi in mundo est copia peritorum, tam diu deberent confiteri suis parochia-

chialibus presbyteris, de quorum certa auctoritate nulli sacræ Scripturæ vel Canonum sapientes dubitauerunt hactenus, qui in locum LXXII. discipulorum, sicut Episcopi in locum Apostolorum certissimè successerunt. Tandem super eadem quæstione omnes Archiepiscopi, Episcopi & totus Clerus totius regni Franciæ solēnes nuncios cum aliis viris sapientibus, ad sedem Apostolicam transmiserunt, & quilibet eorum centesimam partem omnium redditũum & prouentuum Ecclesiasticorum contribuit eisdem nunciis pro expensis. Sed Dominus Nicolaus Papa quamuis assumptus esset de ordine Minorum fratrum, eandem quæstionem pro neutra parte voluit terminare; vnde remanet vsque hodie in suspenso. Eodem etiam tempore venit quidam Parisios de Arabia, homo prouectæ ætatis, qui promittebat, se per quasdam figuras, non tamen artis notoriæ, breui tempore omne scibile scholaribus traditurum, qui cum à Magistris & Cancellario examinaretur, apparuit de quæstionibus cuiusq; scientiæ respondere, tamen quod in traditione suæ scientiæ modum Philosophicum non habuit, à scholaribus suis breuiter est relictus, & sic suæ scientiæ euidens signum Parisiis non reliquit.

*m.s. 1287. Anno Domini * M. CC. XC.

*al. Erphord. Vide Siffrid.

Rudolfus Rex apud * Herbipolem solennem curiam habuit cum Principibus Alemanniæ, Et eodem tempore Ioannes Tusculanus Episcopus Apostolicæ sedis legatus ibidem celebrauit Cōcilium: & quod multa onera & graues expensas volebat clero imponere, à quibusdam Episcopis aduersus eum extitit ad sedem Apostolicam appellatum, & propter hoc sua intentio & consilium desideratum ab eo euentum non habuit, & ipse subito ad propria est reuersus. Intellexerat enim prius aliis de morte Domini Papæ Honorij, qui prius dicebatur Iacobus de Sabello, cui successit

Frater.

frater Ieronymus de ordine fratrum Minorum & vocatus est Nicolaus, de quo supra dictum est, de quo non intellexi, quod fratribus quondam sui ordinis aliquas fecerit gratias speciales: & tempore suo noluit discutere quæstiones, quas fratres Prædicatores & Minores contra Episcopos habuerunt, vt per ipsum neutra partium grauaretur. Quo mortuo vacauit sedes Apostolica propter discordiam Cardinalium plus quam tribus annis, & tandem iidem Cardinales, vt creditur, nutu diuino concordauerunt in quendam virum rectum & religiosum, qui in cella sua per XL. annos & amplius sub regula beati Benedicti strenuè vixerat, qui electus Cælestinus est vocatus, & cum educeretur è cella, nullum equum tunc, & etiam postea ascendere voluit, sed tantum asellum; exemplo Domini venientis Ierosolymã equitauit. In via etiam transeundo Dominus per eum multa miracula fecit; Qui licet miræ sanctitatis existeret, tamen adeo simplex erat, quod petentibus concedenda & nõ concedenda concessit. Et cum consideraret, quod consuetum silentium & abstinentiam, quæ in claustro seruauerat, propter intolerabilem rerum curam tenere non potuit in Papatu, renũciare eidem Præsulatui cogitauit, & cum sapientum esset opinio, quod Papa non posset cedere, talẽ constitutionem edidit, quod Papæ possint cedere tam præsens quam futuri, dicẽs quod de plenitudine potestatis eandem constitutionem facere bene posset. Qua facta statim cessit. & electus est post ipsum Benedictus Cardinalis, qui vocatus est Bonifacius, qui statim post creationem suam omnes gratias & concessiones, quas prædecessor suus fecerat, reuocauit, & omnis populus propter euidentem sanctitatem prædictum Cælestinũ libenter habuisset pro Papa, sed Dominus Bonifaci⁹ ipsum reclusit, ne schisma fieret, si à populo raperetur. Post duos aũt annos idẽ Cælestinus mortu⁹ est,

Celestinus V.

Bonifac. VIII.

& dicitur, quod Dominus per eum multa miracula operetur,& sepultus est in quodam monasterio inter Anaginam & Florentinum.

Anno Domini M. CC. XCI. XVIII. Kalendas Augusti mortuus est Rudolfus Romanorum Rex & sepultus est in Spira, regnauitque annis XVII. in Alemannia, & Italiam non intrauit. Post quem infra tempus VI. mensium electus est Adolfus Comes de*Nasovve in Romanorum Regem miles multum strenuus,qui año Domini M. CC. nonagesimo IV. Terras Turingiæ & Michsen,rebellantes sibi intrauit,& duobus annis manens ibidem expugnauit easdem; Et nepotes olim Friderici Imperatoris persecutoris Ecclesiæ, qui easdem terras occupauerant, eiecit penitus ab eisdem. Postquam enim Ciuitatem in Freiberch obtinuisset,castrum quod in eadem ciuitate extitit,subfodi latenter præcepit, & congregatis ibidem maioribus aduersariis Regis & fortioribus, muri eiusdem corruerunt. Et idem Rex cum suis eandem ruinam præsciens,subito impetu omnes qui in castro fuerant captiuauit,inter quos LX. viros,qui magis nocêtes fuerât, proscriptos ante sicut hostes Imperij in continenti decapitari præcepit, aliis ad petitionem suorum nobilium pro tempore reseruatis; quod factum adeo incolas terræ terruit, quod plures eorum desertis castris fugerunt, & ipse Marchio Michsensis, cui adhuc ciuitas & castrum in Michsen cum paucis castellis remanserat, se ipsius Regis gratiæ subdidit, vt Rex illis parceret, quos de seruitoribus suis in suis vinculis detinebat. Quod & factum est,& sic pax eidem terræ rediit. Ipse enim Marchio præter alia mala, quibus terram turbauerat, Episcopos & Canonicos Michsenses à suis habitaculis & rebus eiecerat, & horreum fœni pro equis suis fecerat de Ecclesia Cathedrali.

* al. Nassouv.

M. CC. XC.

Pridie nonas Februarij Heinricus Dux Baiuariæ moritur,& reliquit tres filios Ottonem, Ludvvicum & Stephanum.

M. CC. XCIII.

Cum Albertus Dux Austriæ cum Chunrado Saltzburgensi Archiepiscopo discordaret, ex vtraque parte sibi grauia damna intulissent, idem Archiepiscopus confœderauit sibi Ottonem Ducem Bauariæ, & vna cum prædicto Duce Karinthiam est ingressus, fiduciatus ab incolis, quod posset terram Styriæ obtinere, sed tandem eos redire infecto negotio densitas niuium compellebat. Sequenti vero tempore prædictus Archiepiscopus cepit filium Ducis Karinthiæ, cuius liberatio magna occasio fuit, quod pax inter ipsos extitit reformata. Super qua reformatione Heinricus Ratisponensis Episcopus, vna cum Ludvvico Duce Bauariæ solicitè laborauit: qua concordia durante vix ad tres annos vel paulò plus, Dux Austriæ obsedit oppidum * Rastat, ad duos menses vel modicum amplius, à qua obsidione tandem propter inopiam victualium, quæ per angusta montium adduci sufficienter non poterant, dicitur recessisse, quia & Dux Otto cum exercitu vsque in Saltzburgam processerat contra ipsum.

m. s. 1290.

* al. Ratstein.

Anno Domini M. CC. XCIV.

Orta est discordia inter Regem Franciæ ex vna parte, & Eduardum Regem Angliæ ex altera. Et Adolfus Romanorum Rex plus fauens Regi Angliæ, repetiuit à Rege Franciæ Regnum Arelatense, & quasdam alias terras, & Prouincias, quas dicebat esse Imperij: Insuper & Spineam Coronam Domini: quas nisi redderet, eas quod in manu forti vellet requirere demandauit. Et ob hoc multi nobiles, sicut Comites Flandriæ, & de Bar, & alij se eidem Regi

Franciæ opposuerunt, qui ei antea consueuerant adhærere. Propter quod prædictus Rex Franciæ anno Domini M. CC. XCVII. eduxit super eosdem Comites adeo magnum exercitum, quod in eo præter Christianos sellatores dicebantur plusquam xxx. millia Iudæorum, quos etiam primi belli auspiciis exponere cogitabat.

al. 1295.

M. CC. XCV.

m. s. 1294.

Mortuus est Ludvvicus Comes Palatinus Rheni Dux Baiuariæ in partibus Rheni apud Haidelberch Kalendis Februarij, in ea camera, vt dicitur, vbi natus fuit, & reliquit duos filios, quorum primogenitus videlicet Rudolfus duxit in vxorem filiam Adolfi Romanorum Regis.

Anno Domini M. CC. XCV.

m. s. 1284. vitiosè.

Ciues Ratisponenses cœperunt ædificare antemuralia ciuitatis suæ, opus decorum, & forte munimentum, & à clero ciuitatis eiusdem pro eodem opere contributionem cum multa instantia exigebant. sed Adolfus Rex Romanorum eodem tempore videlicet infra Pascha & Pentecosten veniens Ratisponam, & proponente sibi Heinrico Ratisponensi Episcopo hanc exactionem cognoscens, eosdem ciues per se ipsum & Cõsiliarios suos exhortatus est & monuit, vt nihil à clero ratione huius operis exigerẽt, sed eum consueta & concessa à Deo & Romanis principibus gaudere permitterent libertate. Renouauerat siquidem eidem clero ad petitionem eiusdem Heinrici Ratisponensis Episcopi nuper ante apud Frankenfurt quoddam priuilegium olim Friderici Romanorum Imperatoris, quod incipit; Ad decus & decorem. Et ferè de verbo ad verbum in libro vsus feudorum est expressum: quod multam & maximam libertatem cleri cõtinet, pœnasq; infligit grauissimas his, qui contrarium eidem priuilegio ausi fuerint attentare. quod priuilegium in præsentia sua per Heinricum Prixinensem

nensem Episcopum eisdem ciuibus legi fecit, vnde ipsi Ciues ab eadem exactione cessauerunt, & permiserunt vsque adhuc clerum gaudere debita libertate.

Anno Domini M. CC. XCVI.

* Septimo Kalendas Augusti Heinricus Ratisponensis Episcopus filius Comitis de Rotenekke moritur, postquã enim in die beati Iacobi Apostoli, quem speciali consueuit venerari honore, cum multa deuotione Missarum solennia personaliter celebrasset, & cum clero & populo se in mensa refecisset, hora vesperarum incepit subito viribus corporis destitui, & sic in die altera exspirauit. qui miræ prouidentiæ & sagacitatis extitit, in tantum etiam, quod anniuersarium suum viuus & sanus plusquam ad XIV. annos ante mortem suam instituit, & eiusdem celebrationem cum candelarum accensione, & pulsatione, quæ consueuit fieri in funere Episcopi. Vigiliis & Missis annis singulis interfuit. Sepulchrum similiter sibi longe ante ad XII. annos fabricauit, & prouidit iuxta altare beatæ Virginis in maiori, veteri tamen Ecclesiá Ratisponæ. Trucam etiam, in qua sepeliri debuit, cum vestibus funeralibus ibidem impositis in memoriam continuam mortis suæ per eosdem annos habuit locatam à latere lecti sui.

* m. f. sexto.

Truhen, loculum.

Item in spiritualibus mirabiliter prouidus extitit, non solum vetera statuta seruando, imò & multa noua salubriter condendo. Musicam primus in choro Ratisponæ cantari ordinauit, libros eiusdem artis secundum cantum & chori consuetudinem prouidendo; Ecclesiam Ratisponensem etiam multis preciosis decorauit ornamẽtis, crucibus, calicibus aureis & argenteis, gemmis preciosis, mitris, cappis, casulis Dalmaticis, vexillis, cortinis, libris, &

 alios

aliis quibus fuit ante sua tempora quodammodo omnimodis destituta. Item primus vinum Latinum Canonicis ad præbendam quibusdam certis temporibus dari instituit. Præbendam etiam eorum in multis auxit. Monasteria Monachorum & Monialium sæpe cum multa prouidentia visitauit. Et inuenire non possum, quid ei in temporalibus & spiritualibus defuerit: qui tempore suo adeo discordantium factus est reconciliator, quod non solum Baiuaria, imò & vicinæ terræ per suam industriam & laborem pacis pulchritudine floruerunt. Rexit autem Ratisponensem Ecclesiam XIX. annis. Eodem anno in die beati Petri ad vincula electus est in Ratisponensem Episcopum Dominus Chunradus de Lumppurch, vir ingenuus tunc Ratisponensis Præpositus, in mansuetudine ac pietate etiam Moysi coæqualis.

Anno Domini M. CC. XCVII.

Adolphus Rex Romanorum præparans se cum militia ad inuadendum Regem Franciæ impeditur, quia Moguntinus Archiepiscopus, Rex Bohemiæ, Albertus Dux Austriæ, duo Marchiones de Brandenburch, & Dux Saxoniæ congregati in die Pentecostes, quo idem Rex Bohemiæ per Dominum Mogōtinum coronabatur Pragæ, condixerunt diem, in quo apud Egram cōuenire deberent, vt contra prædictum Romanorum Regem conspirationis suæ intentum perficerent, sed per potentiam ipsius Regis impediti in loco condicto non poterant conuenire, sed apud quoddam oppidum Bohemiæ nomine Chadam conuenerunt prædicti sine Archiepiscopo Mogontino, qui per militiam Regis obsessus in quodam castro, est à suo itinere retardatus. Et ob hoc eorundem Principum, qui se dicebant alium Regem velle eligere, machinatio in ridiculum est conuersa. Eodem anno Rex Franciæ congregatis quasi omni-

omnibus viribus suis, & exercitu magno valde in quo dicebantur esse præter alios bellatores, multa millia phaleratorum equorum, intrauit Comitatum Flandriæ, & *medium Regiæ Angliæ, cuius filiam Comes Flandriæ habuit in vxorem, obsedit ciuitates eiusdem terræ videlicet Prukk quam etiam cepit, & quasdam alias. Eodem anno mortuus est *Reinboto Eystetensis Episcopus. Cui successit Chunradus dictus de Pelfenhausen Ratisponensis Ecclesiæ Canonicus, & Archidiaconus, vir multæ industriæ & sagacitatis. Eodem anno Ciuitas Ratispona per Ottonem & Stephanum Duces Baiuariæ impugnatur, & prohibetur per eosdem ad eam deduci victualia, vnde & ciues forum *Maberach exusserunt. Tandem per diligentiam Chunradini Ratisponensis Episcopi cum ipsis dominis Ducibus ad gratiã & concordiam redierunt.

* al. medium Regn.

* al. Remboto.

* al. in Abach.

Anno Domini M. CC. XCVIII.

Circa medium quadragesimæ Albertus Dux Austriæ filius quondam Rudolphi Romanorum Regis cum fauore Ottonis Ducis trãsiuit Baiuariam cum exercitu, habens secum quosdam Australes, paucos tamen Vngaros & Bohemos, & ad partes Rheni veniens per auxilium Mogontini Archiepiscopi, & Argentinensis & Constantiensis Episcoporum & quorundam nobilium ibidem maiorem fortitudinem collegit, & contra Adolfum Romanorum Regem ad bella se exposuit. Qui Rex Illustrium Principum Ottonis prædicti & Rudolphi Comitis Palatini Ducis Bauariæ & quarundam Ciuitatum Imperij, vtpote Spira, VVormatia, & auxiliis iuuabatur, eidem Alberto Duci Austriæ, qui iam sibi nomen Regis assumpserat, post multos circuitus hinc inde habitos in loco qui dicitur * Geg cum præpropera festinatione, quæ in rebus bellicis & magnis exercitibus non expedit, occurrit in die Processi & Martiniani, & prę-

* al. Hasenpuhel.

dictis Ducibus Bauariæ dimicantibus in prima acie per nouum bellandi genus, scilicet gladios præacutos, omnes eorum dextrarii sunt occisi, adeo vt & ipsi Principes Baiuariæ vnà cum multis suis nobilibus equis priuati: sed adhuc animi virtute non fracti, super interfectorum hominum & equorum stantes cadauera longo tempore cum hostibus dimicarent, propter occisorum enim equorum aggerem hostes equites eos accedere non valebant, quod & vice versa ipsi per similē stragem perdiderant equos suos. Prima igitur sic dimicante acie, ipse Rex volens cum sua turba eis succurrere & præcedendo suam aciem ordinare, equo suo cadente ex infortunio ante ingressum ad bellum cecidit, & ab eodem equo grauissime est concussus: adeo vt cum à suis restitueretur in equo, minime sui compos esset, sic & amens ad bellum veniens, quia & galeam præ debilitate recente ferre non potuit, & hostibus se exposuit minus cautè, subito est occisus, prædictis adhuc Ducibus Baiuariæ locum tenentibus, vt est dictum. Sed Rege mortuo ipsi Duces se apud Heidelberch receperunt. Attamen Otto Dux erat tribus grauibus vulneribus sauciatus, in tantum quod vix periculum mortis euasit. Qui etiā Otto Dux cum prædictum Regem sequeretur ad partes Rheni & castra metatus esset in ..... Comes Albertus de Hagerloch auunculus Alberti Ducis Austriæ ipsum Ottonē Ducē improuisè inuasit, cum longe maiori equitum & peditum copia, quā idem Dux habuerit illa hora, de quo tamen idem Dux ipso Comite & ferè CCCC. de suis occisis triumphauit. Dicitur etiā, quod in ipso conflictu Regis & Ducis pauci homines scilicet mille CCCC. dextrarii sunt occisi. Postmodum vero Rege sepulto apud Monasterium Rosental eiusque filio capto, Electores Imperii præfatum Albertum Ducem Austriæ in Regem Romanorum apud Frankenfurt vnanimiter elegerunt.

Eodem

Eodem anno Ciuitas Patauienſis ſe Domino ſuo Patauienſi Epiſcopo VVerhardo oppoſuit, & tam Epiſcopus quam Canonici Ciuitatem exeuntes eam per excommunicationem interdictas perſonas, & interdictum in locum ſpiritaliter & etiam per machinas à monte ſancti Georgij & alijs modis licet non multum fortiter eoſdem ciues ciuiliter impugnarunt: Volebant enim prædicti ciues habere Magiſtratum Ciuium, Conſules & Rectores ciuitatis à ſe electos, & ſigillum ſpeciale, & campanas iam erexerant ad eorum conſilium conuocandum, & ſic intendebant more Regalium Ciuitatum, vtpote Ratiſponæ, non regi mandatis Epiſcopi ſicut ante conſueuerat, ſed proprijs Rectoribus & Magiſtro. Et ſuper prædicta diſcordia tam ipſe Epiſcopus quam Ciues, Albertum Regem in Curiam, quam celebrauit apud Nuerenberch, acceſſerunt ſuas querimonias proponentes. Prędictus vero Rex non per formam iudicij, ſed per arbitrium eoſdem Ciues cum Epiſcopo concordauit, ita videlicet quod ſigillum & campanas Domino Epiſcopo tradiderunt, quarum campanarum vna etiam hodie in Eccleſia ſancti Stephani Patauiæ habetur. Promiſerunt etiam prædicti Ciues memorato Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus de cætero fideliter obedire, nec ſimilia attentare, & inſuper coacti ſunt dare duo millia librarum Patauienſium pro emenda.

Eodem anno ſcilicet M. C C. X C V I I I. orta eſt fama quædam de Iudæis, quod Corpus Dominicũ in mortario contuderint, & ſanguis in multa quantitate emanauerit, quod poſtea à Iudæis non potuit occultari, & ob hoc omnes Iudæi in Herbipoli, Nuerenberch, * Rotenberch, & etiam per totam Franconiam per inſultum populi, & quoſdam qui ſe in magna multitudine collegerant, & quendam qui Rintfleiſch dicebatur, quem pro Principe

* al. Rotẽburg.

Principe elegerant, volentium vindicare tam recentem iniuriam Saluatoris, incendio sunt cremati, & adeo valida fuit eorum persecutio, quod etiam castrum regale in Nuernberch, castrum prope nouum forũ, vt de aliis oppidis Franconiæ taceam, in quibus se Iudæi cum armis defensionis coniunctis Christianis nec paucis receperant, sint in breui diei spacio expugnata: & tam ipsa castra quam Iudæi & Christiani ibidem incendio perierunt. Et quod durum est dictu, licet durius sit facto, Iudæi seniores, timentes ne pueri & fœminæ baptisma, vt ignem euaderent, peterent, eos propriis manibus ante se ignibus subiecerunt & ipsi postmodum insilierunt in ignem. Arma etiam & pecuniam, ne Christianis cederent, postquam seipsos flammarum voragini tradiderunt, & apud Babenberch & etiam *Ernberch contigit illud idem. Ciues tamen Ratisponenses suam volentes honorare ciuitatem ipsos Iudæos absque iudicio occidi & destrui vetuerunt, dicentes quod voluntati DEI in Iudæorum interfectione nollent resistere, sed expectare donec de hoc, quod hæc vindicta esset à Domino, eis fieret maior fides, & sic Iudęi Ratisponæ licet cum multa difficultate vsque hodie incendium euaserunt.

*al. Emberch.

M. CC. XCIX.

m. f. 1298.

Albertus Rex Romanorum celebrauit curiam solennem cum Principibus Almanię apud Nuerenberch, cui interfuerũt Coloniensis, Treuerensis, Mogontinus, & Saltzburgensis Archiepiscopi, & Ratisponensis, Pataujensis, Frisingensis & alij Episcopi multi. Item Rex Bohemiæ, Dux Bauariæ Rudolfus Comes Palatinus Rheni, Duces Karinthiæ, & alij nobiles multi: & in eadem curia edixit leges, quæ inferius continentur; & filium suum primogenitum pro Duce Austriæ deputauit, cui etiam postmodum videlicet anno millesimo trecentesimo primo, filiam Philippi

regis

Regis Franciæ nomine N. natam ex filia Ducis Brabantiæ vxorem copulauit,& ad terram Austriæ est deducta. Circa idem tempus Bonifacius Papa fecit & ad generalia studia sub bulla transmisit sextum librum Decretalium, in quo multa,quæ antea erant in scholis & in iudiciis ambigua,declarauit,& duos Cardinales deposuit,vt patet clarius in eodem. Item controuersias & materias quæstionum inter Episcopos,Prælatos,& Clerum ex vna parte;& fratres Prædicatores & Minores ex altera, quæ iam per plures annos suscitatæ durauerant,& de quibus superius est dictum.......

M. CCC. primo.

Orta est discordia inter Albertum Romanorum Regem ex vna parte; & Coloniensem, Treuerensem, & Mogontinum Archiepiscopos & Rudolfum Comitem Palatinum Rheni ex altera; & tandem ad concordiam redierunt.

Chunradus de Lumppurch sine liberis moritur, & castrum Lumppurch cum pertinētiis suis ad Dominū Chunradum Ratisponensem Episcopum fratrem prędicti Chunradi tanquam ad verum hæredem deuoluitur & ab eo Ratisponensi Ecclesiæ perpetuo donatur, quod etiam castrū multis sumptibus & laboribus est obtentum.

M. CCC.

Quinto Kalendas Iulij Otto, & Stephanus Duces Bauariæ ferè cum CC. nobilibus terræ suæ apud Lantshuet gladiis militaribus accinguntur, & memoratus Stephanus Dux priori anno duxerat in vxorem Dominam Ieutam filiam Poltonis Ducis Poloniæ.

M. CCC. minus trium annorum nauale bellum habitum est inter Venetos ex vna parte; & Ianuenses ex altera, & victis Venetis xxx. M. perierunt armis & mari, & captiui à Ianuensibus sunt abducti.

M. CCC. mortuus est Andreas Rex Vngariæ sine hæredibus; & Bonifacius Papa deputauit pro Rege ibidem nepotem Caroli quondam Regis Siciliæ, natum ex filia Rudolfi quondam Romanorum Regis; qui etiam anno sequenti est in Strigonia coronatus, licet Rex Bohemiæ pro VVenezlao filio suo, & etiam multi alij aspirarent. Ipse etiam Venezlaus Rex Bohemiæ, anno Domini M. CCC. IV. vt obtineret regnum Vngariæ filio suo, intrauit Vngariam cum exercitu; & coronato eodem filio suo à multis millibus Vngarorum, acceptisque corona regni & obsidibus à prædictis nobilibus, qui eum in Regem elegerant, cum ipso filio suo in Bohemiam est reuersus. E contrario autem nepos Karuli quondam Regis Siciliæ ab aliis Vngaris, vt Rex eorum fieret, est assumptus.

Anno Domini M. CCC. Bonifacius Papa IV. motus multorum querelantium clamoribus pro bono pacis & cõcordiæ cleri ex vna; & Fratrum Prædicatorum & Minorum ex altera parte, fecit institutionem quandam quæ incipit: Super Cathedram. & infra in hoc libello, in quodã speciali quaterno cum aliis constitutionibus & literis continetur. Verum cum hæc cõstitutio publicaretur per Saltzburgensem prouinciam, & clerus & populus eam desideraret in omnibus articulis obseruare, ipsi Prædicatores & Minores eandem constitutionem attendere non curabant: propter quod Chunradus Saltzburgensis Archiepiscopus, habito consilio suffraganeorum suorum, misit nuncios ad Romanã curiam, qui tandem à Domino Papa obtinuerunt declarationem eiusdem constitutionis, prout patet in litera, quæ inferius cum aliis constitutionibus continetur.

Anno Domini M. CCC. II.

Papa Bonifacius misit Regi Franciæ quasdam literas & nuncios, monens ipsum, vt ab offensione cleri desisteret,

&

& monetam, quam fabricari denuo in præiudicium regni fecerat, immutaret. Idem autem Rex prædictos nuncios Papæ infra XV. dies mandauit exire terminos regni sui, alioquin contra personas eorum procederet nimis durè, præcipiens per totum regnum suum sub pœna capitis & omnium bonorum confiscatione, ne aliqua persona parua vel magna literas Domini Papæ reciperet publicè vel occultè, ponens custodes in omnibus finibus regni sui, ne aliquis importare posset literas vel mandatum Papæ, & ne aliquis Prælatorum exire posset, vel ad Papæ præsentiam literas destinare.

Eodem anno mandauit idem Papa Bonifacius omnib. Archiepiscopis & Episcopis, & maioribus Prælatis, & Magistris Theologiæ, iuris Canonici & Ciuilis, oriundis de regno Franciæ, vt ipsum Romæ accederent circa festum omnium Sanctorum. Sed ipse Rex volens eos ab hoc itinere retardari, fecit Parisiis in Ecclesia beatæ Mariæ publicũ Perlamentum, mandans ne ad ipsum Papam aliquis Prælatorum vel Episcoporum accederet cum equis, vestibus, vel pecunia, quo volebant, vt dixit, regni sui terminos spoliare, dicens, quod Papa hanc collationem fecerit lucri causa; & super his & aliis misit sex nuncios ad cœtum Cardinalium non ad Papã, significans eis quod secundũ mandatum Papę non posset facere. Quod si omnes Archiepiscopos & Episcopos à regno permitteret recedere, iam non esset, tanquã concussis colũnis Ecclesiæ, qui consecraret chrisma vel ordinaret clericos, vel ministraret Ecclesiastica Sacramenta: Et si Magistri Theologiæ à regno Franciæ recederent, iam non inueniretur aliquis, qui periculosis hæreticorum quæstionibus responderet. affirmãs similiter de Magistris Iuris Ciuilis & Canonici, quod per eorum absentiam indiscussæ manerent omnium litigãtium questiones, & ex hoc nollet,

quod regnum Franciæ tam preciosis Xenijs priuaretur. Ad quæ omnia Papa responderi fecit, quod ipse non intendebat eosdem Prælatos & Magistros in Curia sua perpetuo detinere, sed habito eorum consilio super statu regni Franciæ eos esset in breui tempore ad propria remissurus, & sic sine intento fine à Romana Curia recesserunt. Eodem anno venerunt ad Romanam Curiam nuncij Regis Tartarorum, moribus & habitu nobis satis dissimiles, & primo certificarunt Papam de legatione sua, deinde articulos fidei plenè confessi sunt per interpretem coram eo; Postmodum verò petiuerunt nomine Regis sui, vt cum ipse Rex vellet terram sanctam à Soldano eripere proprijs laboribus & expensis & eam restituere cultui Christiano, ipse Papa transmitteret ad eandem terrã milites, qui defensarent eam ab impugnationibus paganorum, & Episcopos & Clericos, vt prædicarent fidem, & docerent: Item agricolas, vt terram colerent supradictam. Cui petitioni annuit, promittens eos velle transmittere cum primum adesset sibi opportunitas, & Regi eorum auream crucem misit, dans ei eandem crucem in signum susceptæ fidei, & in remissionem peccatorum omnium, vt terram sanctam restitueret cultui Christiano.

Anno Domini M.CCC.III.

Prædicto Bonifacio Papa manente cùm curia sua in Anagnia, circa festum beati Michaëlis, quidã de Anagnia & Serra de Columna ipsum inuaserũt, capta domo sua, omnibus seruitoribus suis fugientibus, irruerunt super eum, & vnus ei dixit, Tu vilissime hæretice, modo tu es in potestate nostra, & de te, quicquid voluerimus, faciemus: & ipse Papa sedens in Sede sua cum ornatu Papali tenensque in manu crucem, cui erat Dominica imago infixa, talia intrepide respondisse fertur: Ego non sum hæreticus, sed

pater

pater tuus fuit hæreticus, & ficut conftat, fuit etiam pro hærefi condemnatus;& tandem ille * Serra de Columna, *al. Scarra. & fui complices detinuerunt eundem Papam captum in Camera fua per tres dies fine cibo & potu,& totum thefaurum Ecclefiæ abftulerunt: fed poftmodum per ciues Anagnienfes liberatus eft,& veniens Romam paruo tempore fuperuixit,ficut hæc omnia clarius patent in quadam litera, quæ incipit: Flagitiofum fcelus. & inferius continetur. De prædicto Bonifacio fecit quidam hos verfus:

Nomina bina bona tibi funt.praclarus amictus
Papa Bonifacius modo fed quondam Benedictus,
Ex re nomen habe,benefac, benedic,benedicte,
Aut cito peruerte,malefac,maledic,maledicte.

Mortuo autem eodem anno Bonifacio Papa,electus eft in fummum Pontificem frater Nicolaus de ordine Prædicatorum Epifcopus Hoftienfis,& vocatus eft Benedictus, qui fauore fratrum ordinis fui multa,quæ prædictus Bonifacius Papa pro concordia ciuili ex parte vna;& Prædicatorum & Minorum ordinum fratres ex altera ftatuerat, repentino confilio retractauit, vt patet infra: Inter cunctas follicitudines noftras;in litera, quæ inferius cum alijs literis continetur.

Anno Domini M.CCC. primo.

Cum Rex Franciæ captiuaffet Comitem Flandriæ & filios eius & totam Flandriam fibi fubiugaffet, iidem Flandrenfes poft aliquod tempus,occifis cuftodibus eis deputatis,eidem Regi Franciæ rebellare cœperunt. Propter quod Rex nobiliores & fortiores regni fui mifit, vt de Flandrenfibus fumeret vltionem. Ipfi autem Flandrenfes exeuntes eis obuiam in campo prope Brux habuerunt victoriam de eifdem: Fecerant enim prædicti Flandrenfes quafdam foueas occultas in campo, vbi ambo exercitus congredi

debebant, quas exercitus Regis ignorabat, & sic in paratum eis præcipitium corruerunt, & occisa sunt ex eis & submersa plusquam XX. millia, inter quos erant X. personæ illustres de genere Principum, & plusquam XL. Comites, & ferè quingenti famosi milites, præter mediocres alios bellatores.

Durauit autem dissensio per IV. annos & amplius, & Flandrensibus prospere successit, & plures postmodum victorias habuerunt.

Anno Domini M. CCC. III.

Albertus Romanorum Rex veniens ad impugnandum Regem Bohemiæ Venezlaum, castrametatus est prope Ratisponam apud ripam Regñ. & tandem transiens ciuitatem Ratisponam, & de permissu Ottonis Ducis Baiuariæ rapinis & incendijs non modica ibi damna fecit, & processit versus Austriam, euntibus secum in exercitu Saltzburgensi Archiepiscopo; Frisingensi, Ratisponensi, Patauiensi, Augustensi, Spirensi & Herbipolensi Episcopis; Ottone & Rudolfo Ducibus Baiuariæ de Huspch, de Oeting, de Birtenberch, de Haierloch & Hohenloch Comitibus, & alijs pluribus, veniens igitur in Lincz per nauigium transiuit cum toto exercitu Danubium & intrauit Bohemiam & in eadem processit hostiliter vsque Argentifodinam, quæ dicitur Chutt, intendens eundem locum, qui abundat diuitiis, expugnare. Mansit autem in obsidione illius ad quatuor dies, & tandem ab inde recessit nulla impugnatione ibi facta; & per aliam viam cum exercitu in Austriam est reuersus: Traxerat enim moram in Bohemia ad sex septimanas vel paulo minus, & nullum castrum nec ciuitatem aliquam expugnauit; quia Rex Bohemiæ munitiones suas militum & bellatorum multitudine & alimentorum copia abunde muniuerat, ita quod sine multa strage non poterant

tant obtineri: & Romanorum Rex expectans quotidie cum eodem Rege conflictum, noluit quasi ad promptum periculum suos milites exponere, sed incolumes suo conflictui reseruare. Prædictus etiam Rex Bohemiæ, de terris Alamanniæ, Poloniæ, Saxoniæ, Michsniæ & Brandenburch multa militia iuuabatur, itaq; dicebatur habere exercitum, X. millia magnorum equorum, cum militibus, & aliorum equestrium & pedestrium plusquam C. millia bellatorum & pro stipendiis expendit CC. millia marcarũ argenti. Prçterea Rex Romanorum duxit secum Regem Vngariæ, qui habuit multos Vngaros, & insuper XX. millia paganorum, qui in Morauia & Bohemia fecerunt stragẽ miserabilem in populo Christiano, ita videlicet quod abscissis manibus & pedibus paruorum Christianorum, & eis in salina confectis eos inhumaniter comederunt, aliis viris & mulieribus crudeliter neci datis, quos tamen prædictus Rex Romanorum in ipsorum immanitate nolens diutius sustinere, missis militibus eorundem paganorum X. millia occiderunt, & alii per fugæ præsidium euaserunt.

Præterea Rex Bohemiæ de fæcibus, quod superfuit in examinatione argenti, quasdam aquas Bohemiæ infecit, vnde homines & equi Regis Romanorum non pauci subito perierunt. Tandem prædictus Rex Romanorum in terra Austriæ hyemauit, & quia prædictus Rex Romanorum sperata stipendia non persoluit Principibus & militibus.

Anno Domini M.CCC.IV.

Cum aqua Danubii transiens per pontem Ratisponæ omnino versus littus Aquilonare declinasset, & littora prope ciuitatem sicca & arida reliquisset, Ciues Ratisponenses artificiosè & multis lationibus & expensis, ipsam aquam,

aquam, vt iterum prope ciuitatem flueret, ad loca pristina per strues lignorum & congeries lapidū reduxerunt. Mortuus est autem prædictus Papa Benedictus in Octaua Apostolorum Petri & Pauli, anno Apostolatus sui primo in ciuitate Perusij: & Cardinales inclusi sunt ibidem secundum constitutionem. GG. Papæ X. quæ incipit: Vbi periculum. & cum aliquandiu sic inclusi starent nec ad electionem procederent, ciues eiusdem ciuitatis tantum panem & aquam ipsis pro aliquo tempore ministrabant, & ipsam cōstitutionem G G. in ipsis strictissime seruauerunt. Igitur in vigilia Pentecostes anno reuoluto Pertramum Burdegalensem Archiepiscopum in summum Pontificem elegerunt, qui vocatus est Clemens.

Anno Domini M. C C C. V.

In vigilia Ioannis Baptistæ Venzezlaus Rex Bohemiæ deuotus ad Deum, & clemens ad clerum & populum, neminem opprimens, sed per X X V I I I. annos regnum suum iustè regens mortuus est, & sepultus in Braizlab monasterio Cistertiēsis ordinis, quod fundauit, & filius suus Rex Vngariæ cœpit regnare pro eo.

Venerabili in Christo patri & amico charissimo Domino Heinrico, venerabili Episcopo Ratisponensis Ecclesiæ Chunradus Dei gratia sanctæ Saltzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus, A. S. L. salutem & sinceram in Domino charitatem. Nouerit vestra fraternitas literas non cancellatas, non abolitas, non in aliqua parte sui vitiatas, saluas omnimodis nos recepisse à sede Apostolica, in hæc verba: Nicolaus Episc. seruus seruorum DEI, vniuersis Christi fidelib. ad quos præsentes literę peruenerint, salutē & Apostolicam benedictionem. Illuminet super vos Dominus vultum suum, & ita suo lumine ad recensendum attentius qualiter Redemptor noster salutē humani generis in terra sancta dignatus

gnatus est misericorditer operari, oculos in vobis hominis interioris illustret, quod accendatur, vt ignis, ad subueniendum terræ illius necessitatibus zelus vester concalescat, corda inflammentur, affectus & effectum prompta operis prosecutio subsecuta commendent. Cuius etenim pectoris etiam lapidei quantumcunq; duriciam non emolliat considerata illius humanationis humilitas, in qua Dei filius factus homo, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo? Cuius viscera nō inflammet charitatis ardore pia consideratio illius humilitatis extremæ, in qua ipse factus est obediens vsque ad mortem, ad exprobrantium opprobria? velut agnus coram tondente se verè mitis obmutuit, & sicut ouis ad occisionem ductus propter contumelias & terrores, post spinas & sputa, post flagella & varia innocens est sine causa damnatus, ac demum saturatus opprobriis, clauis affixus, aceto & felle potatus, in crucis patibulo tam diræ mortis subiit passionem, mysterium nostræ redemptionis consummans: Post traditum etiam spiritum lanceæ illusione confossus. Hæc filii & innumerabilia largitatis diuinæ charismata in terra prædicta ipsi humano impensa generi ab eodē Redemptore piissimo si frequenter intra claustra pectoris attenta meditatione reuoluitis, si qua decet attentione pensatis, quis vestrum non feruebit intus, foris ebulliet, exclamabit, & dicet: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? & non expectato monitoris vel solicitatoris officio subiunget vltroneus: Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Quis sine acutissimi doloris aculeis considerare potest, non solum veneranda & piissima loca illa, in quorum altero Oriens ex alto pro nobis nasci dignatus est humiliter, in reliquo mori crudeliter non expauit,

ſed etiam totã quaſi iam terram eandem, quam ipſe idem ſua illuſtrauit corporali præſentia, miraculis clarificauit immenſis & tandem effuſione ſui pretioſi ſanguinis in noſtræ ſalutis effuſi pretium conſecrauit, occupata per nefandiſſimos Saracenos, ipſorum immunditia pollui, fœdiſſima eorum habitatione fœdari? Quis abſque amaritudine ſumma commemoret, tot Chriſtianorum caſtra, ciuitates & alia loca ſolennia deſtructa penitus ad nihilumq; redacta; & eorum incolas eorundem Saracenorum immanitate peremptos? Prô dolor, quis nouitatis (quoniam deplorare libet potiùs, quàm narrare) ſolers cenſor, & diſcriminum, quæ comminari videtur, diſcuſſor attentus, per noctem & idem quaſi torrentem lachrymas non deducat? Cuius pupilla tacebit, cuius pectoris penetrale continebit ſuſpiria, vel in ſingultuum frequentiam non erumpet, lugubri contemplatione recenſens, quod quantumcunque mater Eccleſia caſum eundem præuenire ſtuduerit, incolis illarum partium, in Gallêis bellatorum multitudinem, ac ſubuentione pecuniaria iuxta perſuaſam ab eis denunciatæ neceſſitatis exigentiam & oblatæ ſuper hoc petitionis inſtantiam ſuccurrendo; nihilominus tamen ciuitas * Acaone ſic eiuſdem matris Eccleſiæ ſtudio commutata, quadraginta & quatuor diebus arctiſſima Babylonicæ potentiæ obſidione circundata, terribilibus machinis diu noctuque vexata, impedita crebris & diris inſultibus, membris etiam ipſius per cuniculos arietatis occultos, quadrageſimoquarto die, obſidentium viribus, Dei permiſſione admirabili & ſtupenda ſuccubuit; capta per eos, & igni expoſita, Chriſticolis inibi exiſtentibus cæſis innumeris, & cæteris, qui habere nequiuerunt maritima vaſa recurſum, in captiuitatem abductis, vt per iugum barbaricæ ſeruitutis horribile diſpendiis ciuilis mortis addu-

cti, naturali etiam diutius moriantur. Et deinde Tirensis ciuitatis *Dedicatione secuta. Quis igitur de cætero marcebit otio? quis non exsurget? Quis ad recuperationem terræ prædictæ, non promptus exiliet? Quis tardabit? Quem non pudebit ingratitudinis argui, quin potius quasi de infidelitate notari, si creatori proprio, tam benefico Domino, ad redemptionem terræ illius, quam ipsa sacra Scriptura testatur omniũ chariorem, qua potest promptitudine non assistat? Cum etiam secundum iuris humani censuram subditos suis dominis, & ad tuenda quæ possident, & ad recuperanda iniustè subtracta, debitum fidelitatis adstringat? Quis tot fidei Orthodoxæ cultoribus tam immaniter trucidatis, de tot calamitatibus captiuorum, & aliis Christianitatis opprobriis, non ex tota mente mouebitur? Non suspirat, non anxiabitur ad vindictam? Profectò cum secundum Apostolũ, omnes sumus vnũ corpus in Christo, non immerito cum illis, de quibus scriptum est, Percussisti eos & nõ doluerunt, insensibilitatis arguitur, quisquis tantam huius nostri corporis mutilationem, prædictorum videlicet Christicolarum non sentit excidium, & tam grauiter non veretur? Accingimini ergo Christi fideles, & qui Christiana religione censemini, vos Christianos esse operis persecutione monstrate. Accipite deuotione, qua Rex, viuificæ Crucis signum. Illud in considerationis vestræ scrutinium deducentes, quod viris quantumcunque magnificis, quantacunque dignitate præditis & virtute, ad gloriam magnam asscribitur, si eis quouis in bello Dominorum insignia gerere concedatur: Sub quibus contingit frequenter, non sine salutis æternæ discrimine mortis subire periculum, sub cuiuslibet irremunerationis. Quanto igitur gloriosius, quanto securius Regis regum, in eius bello, victoriosum gestare vexillum, salutiferam videlicet Crucem? Sub qua, deuotione congrua, puro

* deditione.

corde suscepta, conceptum prosequentib. munditia continua propositum mori est vitę perennis initium, transitoriæ mortis finis, retributionis inæstimabilis certitudo. Festinate itaq;, festinate ad salutis vestræ properate compendium. Accendatur cuiusque virilis animus & consultius attendentes; quod si forte labor maior ex dictarum ciuitatū captione proponitur, merces vberior subsequetur, cum sicut scriptum est, Secundum laborem accipiet vnusquisque mercedem, corpora vestra & corda pariter eiusdem viuificæ Crucis signo in terræ sæpe fatum subsidium insignite, nunc præcipuè dum ipsius terræ subuentio multis & olim per Sedem Apostolicam exquisita vigiliis, multis laboribus & honoribus procurata, sed diuersis & aduersis aduentibus diutius impedita, diuina, vt supponit deuota credulitas, prouisione dirigitur, & ad excipiendas terræ ipsius angustias, eamque de impiorum manibus eruendam efficaciter sub spe diuini numinis præparatur. Siquidem charissimus filius noster Christianissimus Princeps Eberhardus Angliæ Rex illustris post tractatus varios super generali & suo passagio in ipsius terræ subsidium faciendo, diuersorum Pontificum Romanorum, temporibus habitos, nouissimè tanquam benedictionis filius, nostris beneplacitis acquieuit, & vt post Christum iuxta consilium eius eat, seipsum abnegans ac tollens, vt eundem sequatur Dominum, crucem suam, terminum, festum videlicet Natiuitatis beati Ioannis Baptistę, quod erit Anno Domini M. CC. XC tertio, & ei ad transfretandum personaliter nec non ad dictum generale passagium cruce signatis & cruce signandis omnibus duximus præfigēdū, humiliter acceptauit; semetipsum exponere sui Redemptoris obsequiis terræ præfatæ personaliter subueniēdo disposuit, negligēs natalis soli dulcedinē, prętermittens regni

regni sui terrarumque diuitias, spernens delitias, & gloriam inibi dominandi. Non igitur cunctemini amplius prædicti gloriosi vexilli Dominici charactere insignia mercãtes, felici commercio perpetuam post defunctionem corporis ex ignominio perpetuitatis comparatione vix momentaneo labore quietem & permutatione consulta, terrena pro cælestibus cōmutantes, transitoria permansuris, tẽporalia pro æternis. Cęterum licet ad excitandos vestros animos in terrę memoratę succursum sufficere debeat solers attentio præmissorũ, vt tamen eiusdem terræ negotium eo libẽtius, eoque feruentius prosequi studeatis, quo potiorem fructũ ex vestris laboribus vos noueritis percepturos: Nos de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, & illa quam nobis licet indignis Deus ipse ligandi & soluendi contulit potestatem, omnib. qui vexilli Dominici charactere insigniti personaliter propriis sumptibus in prædictæ terræ subsidium proficisci curauerint, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti & ore confessi, veniam indulgemus, & in retributione iustorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen illuc personis accesserunt; & illis similiter qui iuxta qualitatem & facultatem suam personas idoneas in expensis propriis destinabunt, quamuis personaliter ipsi non vadant, plenam suorum cõcedimus veniã peccatorum. Huiusmodi quoque remissionis & indulgentiæ volumus & concedimus esse participes, iuxta quantitatem subsidij & deuotionis affectum, eos qui licet non iuxta qualitatem & facultatem suam, aliquem tamen seu aliquas personas in subsidium dictæ terræ propriis sumptibus destinabunt, vel de suis temporalibus bonis cõtribuent, ad aliquas destinandas. Nec non omnes qui ad subuentionem ipsius terræ de bonis eisdem aliqua ministrabunt, prout singulis

 diui-

diuina fuerit inſpiratione ſuggeſtum: aut aliàs ad promotionem præmiſſi negotij conſiliũ & auxilium impenderint oportunum. Porro ſi forte aliquos eorum, qui cruce ſuſcepta in iam dictum terræ ſanctæ ſubſidium proficiſcendi laborem ſubierint, poſt arreptum iter eiuſmodi, ex hac luce migrare contigerit, ipſos nihilominus plene percipere volumus Indulgentiam prælibatam: perſonas quoq; familias & bona eorum, quos ad transfretandũ perſonaliter, vel iuxta quantitatem & facultatem ſuam, perſonas idoneas deſtinandi, votum aſſumptæ iam Crucis adſtringit exnunc. Quos verò ſuſcipiendæ Crucis de cætero votum obligabit ad idem, à die qua taliter Crucẽ aſſumſerint, ſub Beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, ſtatuentes, vt ſub diœceſianorum defenſione ſuorum conſiſtant. Quod ſi eos aliqui indebitè moleſtare præſumpſerint, per diœceſanos locorum, in quibus ijdem moleſtatores fuerint, per Cenſurã Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcantur. Præterea ipſis qui prædicto modo, Crucem vel iam aſſumpſerint, vel aſſument impoſterum, indulgemus, vt per Sedis Apoſtolicæ litteras, vel Legatorum eius (niſi fortè illę quæ ab eadem Sede obtentæ fuerint, plenam de indultu huiuſmodi fecerint mentionem) extra ſuas diœceſes non valeant conueniri: dummodo parati exiſtant, coram ſuis Ordinariis, de ſe querelantibus reſpondere: quos per eoſdem Ordinarios Eccleſiaſtica cẽſura defendi, ceſſante appellationis obſtaculo, volumus ab iis, qui eoſdem contra indultum huiuſmodi præſumpſerint temerè moleſtare. Si qui verò ipſorum ad præſtandas vſuras iuramento teneantur adſtricti, creditores eorum, per diœceſanos ſuos cenſura ſimili compellantur, vt iuramentum huiuſmodi penitùs relaxantes, ab vſuræ vlterius exactione deſiſtant. Si autem aliqui creditorum eos extunc ad ſolutionem coëgerint.

rint vſurarum, ipſos ad reſtitutionem ipſarum per eoſdem diœceſanos, ſimili volumus diſtrictione compelli. Iudæos quoque ad remittendas ipſis vſuras per ſecularem compelli præcipimus poteſtatem: & donec eas remiſerint, ab omnibus Chriſti fidelibus, quib. hoc per ſuos diœceſanos denuntiatum extiterit, tàm in mercimonijs, quàm in alijs ſub excommunicationis pœna iubemus eis communionem omnimodam denegari. Poſtremò Cruce ſignatis & Cruce ſignandis eiſdé, volentes pleniùs prouidere, diœceſanis ipſorum ac nonnullis aliis abſoluendi eos ab excommunicationis ſententiis, in variis caſibus de quibus ſecundũ facti exigentiam putauimus expedire, nec nõ diſpenſandi cum clericis. Qui cùm à Canone vel homine latam ſententiam incurriſſent, irregularitatis notam immiſcendo ſe diuinis officiis, contraxerunt, per alias noſtras literas plenam & liberam concedimus facultatem. Datum apud Vrbem veterem Calendis Auguſti, Pontificatus noſtri anno quarto.

Auctoritate igitur ſedis Apoſtolicæ atque noſtra vobis præcipiendo mandamus, quatenus vniuerſa & ſingula ſupra dicta mandetis ſic ſolicitè publicari & exequi diligenter, vt per veſtræ ſollicitudinis exercitia diuinæ propitiationis præmium pro deuotis veſtris meritis capere valeatis. Datum Saltzburgæ, Anno Domini M. CC. XCII. in die Purificationis Virginis glorioſæ.

Venerabili in Chriſto Patri & amico chariſſimo Heinrico venerabili Epiſcopo Ratiſponenſis Eccleſiæ, Cunradus Dei Gratia ſanctæ Saltzburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Apoſtolicæ ſedis legatus, ſalutem & fraternam in Domino charitatem.

Noueritis nos literas ſedis Apoſtolicæ ſaluas per omnia recepiſſe, per ordinem in hæc verba.

Nicolaus

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Saltzburgensi eiusque Suffraganeis salutem & Apostolicam benedictionem.

Terræ sanctæ miserabilem statum non absque graui amaritudine inter mentis nostræ præcordia recensentes, atque ad liberationem ipsius nostra simul & desideria conuertentes & studia, inter multa operosa subsidia, quæ ipsi terrę, Deo auspice, fructuosa sedulo procurare atque impẽdere studuimus & studemus, generale passagium pro eiusdem terræ subsidio in festo natiuitatis beati Ioannis Baptistæ, quod erit anno Domini M. CC. nonagesimo tertio de fratrum nostrorum consilio duximus statuendum, sicut in aliis literis, per quas ad subuentionem eiusdem vniuersos Christicolas exhortamur, quasque vobis vna cum præsentibus mittimus, euidentius declaratur. Vt autem ad succurrendum promptius in eodem passagio terræ præfatæ per diuini verbi virtutem mentes fidelium salubriter excitentur, Christicolis per diuersas Christianitatis partes proponendum deliberauimus verbum Crucis. Ad exequendam deliberationem huiusmodi vos eo confidentius eligentes, quo magis ad compatiendum & subueniẽdum pro viribus terræ prædictæ pastoralis officij pietas vos inuitat: Ideoq; prædicandæ ipsius viuificæ Crucis mysterium, tibi frater Archiepiscope, in tua prouincia, vobis autem suffraganeis, singulis in ciuitatibus, & diœcesibus vestris præsentium auctoritate committimus, fraternitati vestræ in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus huiusmodi ministerium iuxta datam vobis à Deo prudentiam, non obstante, quod hoc idem aliis sit commissum, quorum affectum per vos nolumus impediri, solerter & efficaciter exequi studeatis, omnes fidei orthodoxæ cultores ad tam pij negocij prosecutionem idoneos prædicationibus crebris

&

& ſedulis exhortando, vt ad liberandam dictam terram de manibus impiorum victorioſum eiuſdem viuificæ crucis ſignum deuotè ſuſcipiant, & propriis aſſignantes humeris ac magis cordibus imprimentes reuerenter & publicè deferant, atque ad eiuſdem occurſum in prædicto paſſagio generali promptis animis totiſq; viribus ſe accingant. Quod quidem vniuerſale ſignum volumus, vt cunctis deuotè petentibus concedatis, generaliter omnibus prædicantes, quod qui eandem crucem ſuſceperint in prædictæ terræ ſubſidium vel perſonaliter in propriis aut alienis expenſis accedere vel iuxta qualitatem & facultatem ſuam bellatores, ſeu alias perſonas idoneas deſtinare; vel ſaltem, ſi ex cauſis legitimis Eccleſiæ opportunũ fore videbitur, ſuſceptæ Crucis votum ad arbitriũ Apoſtolicæ ſedis ſeu eorum, qui ad hoc deputati fuerint, per ipſam de facultatibus ſuis redimere tenebuntur. Hos autem qui taliter huiuſmodi votum redemerint, remiſſionis & indulgentiæ, quod transfretantibus in ſubſidium antedictum conceditur, volumus & concedimus eſſe participes, iuxta quantitatem ſubſidij quod impendent & eius qui hoc facit, deuotionis affectum. Aliorum vero priuilegiorum & im̃unitatum ſeu gratiarum, quæ ipſis transfretantibus per præſentes, & alias vniuerſis directas fidelibus noſtras literas conceduntur, plena eos volumus commoditate gaudere. Inſuper omnes, qui hactenus idem ſignum pro eodem ſubſidio ſuſceperũt, mouere & inducere procuretis, vt illud, ſi fortè dimiſerint, reſumentes alacriter votum Domino reddere ſtudeant, ꝙ vouerunt, terræ præfatæ ſubuenire efficaciter, vt tenentur. Cum omnib. autem Chriſti fidelibus, qui eidem terræ ſuccurſum impenderint opportunum, vnicuique ſecundum proprium meritum indulgentiam ſalutarem, ac maximè illis, qui cruce ſuſcepta in ipſius terræ ſubſidium, vel per-

ſonaliter ibunt, vel perſonas idoneas iuxta qualitatem & facultatem ſuam in propriis ſumptibus deſtinabunt, multiplicium gratiarum beneficia concedamus, ſicut in aliis noſtris literis prælibatis ſerioſius continetur. Earundem literarum tenorem per vos populis Chriſtianis volumus frequenter & diligenter exponi. Ita ſiquidem prouide, quod & beneficia ſupra dicta, quæ ipſis intra concedimus, & copioſam mercedem, quæ ipſis præparatur in cælo, cognoſcere valeant & amare, nec tamen ex verbis veſtris concipiant, ſe aut plenam in caſibus, in quibus nequaquam conceditur, aut maiorem quam concedatur indulgentiam promereri; Sanè ipſos populos ad certa & idonea loca, quoties expedire videritis, conuocandi ad verbum Crucis humiliter audiendum, ac omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui ad huiuſmodi veſtras prædicationes conuenerint, & idem verbum audierint reuerenter, centum dies de cunctis ſibi pœnitentiis relaxandi, vobis auctoritate præſentium concedimus facultatem. Si quando autem ad Eccleſias interdicto ſuppoſitas vos aduenire contigerit, liceat vobis ad ipſas populos conuocare, ac verbum Crucis proponere in eiſdem, nec non excommunicatis & interdictis excluſis, nõ pulſatis campanis, ſubmiſſa voce, ianuis clauſis, cum veſtris familiis diuina officia celebrare. ad hæc ſi qui eorum, quos ad transfretandum perſonaliter, vel iuxta qualitatem & facultatem ſuam perſonas idoneas deſtinandi votum aſſumptæ iam Crucis aſtringit vel aſſumendo deinceps obligabit, ad idem excommunicationis pro violenta iniectione manuum in perſonas Eccleſiaſticas eſſent vinculo inn[illegible] fuerit difficilis & enormis, & paſſis [illegible] petenter, ſiue pro eo quod S[illegible] ſeu ad quaſlibet alias terr[illegible]

municare non tamen intermine contra prohibitionem Ecclesiæ præsumpserint; dummodo equos, arma, ferrum seu ligamina, quibus Christianos impugnant non portauerint Saracenis, absoluendi eosdem in forma Ecclesiæ, ac dispensandi cum clericis, qui cum excommunicationis sententiam latam à Canone vel ab homine incurrissent irregularitatis notam, immiscendo se diuinis officiis, seu ministrando in susceptis ordinibus contraxerunt, vobis & vestrum cuilibet concedimus potestatem, ita videlicet quod beneficium absolutionis & dispensationis huiusmodi singuli vestrum omnibus, qui de ipsorum manib. Crucem susceperint, dummodo personæ sint cognitæ. Ac nihilominus tu frater Archiepiscope omnibus de tua prouincia, singulis Suffraganeis de ciuitatibus & diœcesibus vestris iam Crucésignatis in posterum impertiri præuia discretione possitis.

Cæterum licet hoc prædicandæ viuificæ Crucis officium nonnullis religiosis per alias nostras literas committamus, nihilominus, vt quo plures cooperatores habebitis, eo vberiores fructus ex agro Dominico producere valeatis, vobis præsentium auctoritate concedimus, vt tu frater Archiepiscope, quatuor de quibus vestrum Suffraganeorum duos viros honesta conuersatione probatos & ad huiusmodi aptos officium possitis eligere, ac mutare, quoties opportunum fore videritis, qui crucem in vestris ciuitatibus & diœcesib[illegible]cent, prout eis vestra prouidétia duxerit co[illegible]bus quemadmodú vobis facultatem c[illegible]entibus ad prædicationem ips[illegible]tentum dierum valeát im[illegible]erarius mercede sua, [illegible]dicationé Crucis, vt [illegible] fidel[illegible] [illegible]tur.

Cum-

rantibus opere, præter mercedem æternam, quam merito ſperare poteſtis, quotieſcunque ſtudueritis populis ad hoc ſpecialiter conuocatis, proponere verbum Crucis, centum dierum indulgentiam elargimur, ac vos & ipſos indulgentiæ memoratæ, quæ transfretantibus in ſubſidium ſæpe dictum conceditur iuxta laboris veſtri menſuram volumus participatione gaudere.

Denique volumus, vt tu frater Archiepiſcope ſingulis Suffraganeis tuis ſub tuo, & quilibet veſtrum ſingulis viris, quos, vt præmittitur, ad miniſterium prædicandæ Crucis elegerint, ſub ſuo ſigillo tam præſentium, quam aliarum literarum noſtrarum, quæ Chriſticolis omnibus diriguntur, copiam faciatis, vt earum tenorem inſpiciendo frequenter tam vos quam ipſi de his, quæ nobis committuntur agenda, reddamini plenius informati.

Poſtremo quod diuerſis olim temporibus, nonnullæ ſuper prædicatione Crucis in ſæpe dictum ſubſidium commiſſiones à ſede Apoſtolica emanarunt, ne forte occaſione illarum turbatio vlla ſiue confuſio valeat ſuboriri: Nihilominus vt auctoritate commiſſionum illarũ in locis, ad quæ commiſſio noſtra peruenerit, Crux de cætero prædicetur, ſed prædicationi huiuſmodi, eos duntaxat inſiſtere volumus, qui præſentis noſtræ commiſſionis fuerint auctoritate ſuffulti. Datum apud Vrbem veterem Kalendis Auguſti, Pontificatus noſtri anno quarto.

Auctoritate igitur ſedis Apoſtolicæ atque noſtra vobis præcipiendo mandamus, quatenus vniuerſa & ſingula præmiſſorum, quæ ſuperius continentur, mandetis ſic ſolicitè publicari & exequi diligenter, vt pro veſtræ ſolicitudinis exercitio de me propitiationis præmium pro deuotis meritis capere valeatis. Datum Saltzburgæ anno Domini milleſimo C C. X C. I I, in die ſancto Purificationis Virginis glorioſæ.

Iſti

Isti sunt, quorum hæreditas cum castris & prædijs ad Ludvvicum Ducem & filium eius sunt deuoluta. Fridericus & Hermannus Lantgrauii de Stefrunge. Vlricus Comes de Velburch & Chlamine, Tres fratres Purchgrauij de Rietenburch vel Rat. Otto liber de VVerd apud Haelingenstat, Tupoldus Marchio de VVhenburch & Chambe, Chunradus Dux & Chavv. Fridericus & Otto de VVitemspach Comites Palatini, Heinricus liber de Lantsperch apud Lech flumen, Heinricus Marchio Isteræ de Andechsen, Otto fratruelis suus Dux Meraniæ de VVolfrachusen, Otto Comes de Phalagia, Siboto Comes de Hadmarsperch, Chunradus Comes de VVazzerburch, Alheit Comitissa de Moren, quæ habuit castrum in montanis, Sifridus & Bernardus Comites de Leuberavve, quorũ erat ciuitas in Purchusen; Chuno Comes de Melinge; Ernhardus Comes de Dorenberch, Heinricus liber Vilspiburch, Chalhohus Comes de Chirchperch, Ratoldus liber de Chag, Pabo de Elbrechtschirichen, Hadmar & Rapoto fratres de Ahusen siue Landavve, Heinricus Comes Ortenberch & Rapoto frater suus Comites Palatini Baiuariæ, Leupoldus, Berchtoldus, Albertus Comites de Bogen, Ludvvicus liber de Hagenavve. H. & L. liberi de Henchouen, Itẽ Rapoto Palatinus, Insuper ministeriales de Rotal. Item Otto Comes de Gruempach, Hoholdus gener suus de VVoltmrotsa; Item Comes de Mospurch, Item liber de Vitendorff.

F I N I S.

LIBRI DVO

DE GESTIS CAROLI MAGNI.

AD

CAROLVM CRASSVM IMPERATOREM FILIVM LVDOVICI REGIS Germaniæ, nepotem Ludouici Pij, pronepotem Caroli Magni,

SCRIPTI A QVODAM MONACHO SANCTI GALLI,

NVNC PRIMVM EX CODICE MANVscripto Bibliothecæ Monacensis Serenißimi Principis Bauariæ editi.

AD

AD LECTOREM.

EX Augustissima illa Monacensi Bibliotheca Serenissimi Principis Bauariæ habui codicem m. s. in quo Libri quatuor gestorum Caroli Magni, nullius auctoris nomine apposito. Primus, purus putus Eginhardus est. Secundus, Annales (nec tamen integri) qui cùm aliàs editi, tum à Iusto Reubero, sub titulo cuiusdam Astronomi, Ludouici Regis domestici. Reliqui duo postremi, quod mihi constet, lucem adhuc non aspexere: neq; satis constituo an ea digni: etsi in eam partem inclino, & mecum Nobilis & Amplissimus Velserus, vt existimemus. Auctor antiquus certe est, Monachus S. Galli, vti quibusdam locis ipse ostendit, lib. 1. c. 32. & 36. Scripsit ipsius Caroli iussu ad Carolum Crassum Imp. filium Ludouici Regis Germaniæ, nepotem Ludouici Pij, pronepotem Caroli Magni: quod ex lib. 1. c. 20. 32. lib. 2. cap. 14. 15. 25. 26. 28. colligo. Eodemque 15. capite Abbatis olim Hart. meminit, tunc temporis inclusi. Stumfius lib. 5. cap. 5. Hartmutum anno 872. siue 883 siue sequenti resignasse scribit. Stilus licet humilis & abiectus & historia ipsa nonnunquam fabulis aspersa sit, tamen ea insunt, quæ memoriam omnis posteritatis merentur. Pithoeus quidem dignum censuit, ex quo fragmentum Legibus Karolinis inter omissa sub finem assueret. Idemque Illustrissimus Baronius & doctissimus Iacobus Gretserus tom. 1. lib. 2. de Cruce cap. 52. citaret. Lib. 1. cap. 8. auctor Gallum vocat Dominum suum. cap. 11. & 36. se Teutonicum esse ostendit. Et lib. 2. cap. 16. promittit se plura de Carolo M. scripturum: quod an præstiterit, nobis incompertum est. lib. 2. cap. 26. testatur se iam senio grauem & edentulum hos libros scripsisse.

SANGAL-

SANGALLENSIS MONACHI
DE
GESTIS CAROLI
MAGNI,
LIBER PRIMVS.

Ex m ſ. Bauarico nunc primum edit.

1.

Dan. 2.

OMNIPOTENS Regum diſpoſitor, ordinatorq́ue regnorum & temporum, cùm illius admirandæ ſtatuæ pedes ferreos vel teſtaceos comminuiſſet in Romanis: alterius non minus admirabilis ſtatuæ caput aureum per illuſtrem Karolum erexit in Francis. Qui cum in occiduis mundi partibus ſolus regnare cœpiſſet, & ſtudia literarum vbique propemodum eſſent in obliuione; cõtigit duos Scotos de Hybernia cum mercatoribus Britannis ad littus Galliæ deuenire; viros & in ſecularibus & in ſacris Scripturis incomparabiliter eruditos. Qui cum nihil oſtenderent venale, ad conuenientes emendi gratia turbas clamare ſolebant, Si quis ſapientiæ cupidus eſt, veniat ad nos, & accipiat eam: nam venalis eſt apud nos. Quam tamen venalem ſe habere profeſſi ſunt, quia populum non gratuita, ſed venalia mercari viderunt, vt ſic vel ſapientiæ, ſicut cæteris rebus coëmendis, eos incitarent; vel (ſicut ſequentia comprobant) per tale præconium in admirationem verterent & ſtuporem. Denique tamdiu clamata ſunt iſta, donec ab admirantibus, vel inſanos illos putantibus, ad aures Karoli Regis, ſemper ama-

amatoris & cupidiſſimi ſapientiæ, perlata fuiſſent. Qui ſub omni celeritate ad ſuam eos præſentiam euocatos interrogauit; ſi verè vt ipſa fama comperit, ſapientiam ſecum haberent. Qui dixerunt, Et habemus eam, & in nomine Domini digne quærentibus dare parati ſumus. Qui cum inquiſiſſet ab illis, quid pro ſua ipſa peterent, reſponderunt loca tantum opportuna, & * animo ingenioſi, &, ſine quibus peregrinatio tranſigi non poteſt, alimenta, & quibus tegamur. Quibus ille percepto ingenti gaudio repletus primùm quidem apud ſe, vtrumque paruo tempore tenuit. Poſtea vero cum ad expeditiones bellicas vrgeretur, vnum eorum nomine CLEMENTEM in Gallia reſidere præcepit, cui & pueros nobiliſſimos, mediocres, & infimos, ſatis multos commendauit, & eis prout neceſſarium habuerant, victualia miniſtrari præcepit, habitaculis opportunis ad habitandum deputatis. Alterum vero nomine ALBINVM in Italiam direxit, cui & monaſterium ſancti Auguſtini iuxta Ticinenſem vrbem delegauit, vt illuc ad eum qui voluiſſent, ad diſcendum congregari potuiſſent.

* fort. animos ingenioſos.

2. Audito autem Albinus de natione Anglorum, quàm gratanter ſapientes viros religioſiſſimus Regum Karolus ſuſciperet, conſcenſa naui venit ad eum. Qui erat in omni latitudine Scripturarum ſupra cæteros modernorum temporum exercitatus, vt puta diſcipulus doctiſſimi Bedæ, qui ſanctum Gregorium *tractatoris, quem vſque ad finem vitę iugiter ſecum retinuit, niſi quando ad ingruentia bella proceſsit, adeò vt ſe diſcipulum eius, & ipſum Magiſtrum ſuum appellari voluiſſet. Dedit autem illi Abbatiam ſancti Martini iuxta Turonicam Ciuitatem, vt quando ipſe abſens eſſet, illîc requieſcere & ad ſe confluentes docere deberet. Cuius in tantum doctrina fructificauit, vt moderni Galliæ ſiue Franci antiquis Romanis & Athenienſib. æquarentur.

3. Cumque victoriosissimus Karolus post longum tempus in Galliam reuerteretur, præcepit ad se venire pueros, quos Clementi commendauerat, & offerre sibi epistolas & carmina sua. Mediocres igitur & infimi præter spem omnib. sapientiæ cōdimentis dulcoratas obtulerunt: nobiles vero omni fatuitate tepētes præsentarunt. Tum sapientissimus Karolus, æterni Iudicis iustitiam imitatus, bene operatos ad dexteram segregatos his verbis allocut' est, Multas gratias habete filij, quia iussionem meam & vtilitatem vestram iuxta possibilitatem exequi fuistis intenti: nunc ergo ad perfectum attingere studete, & dabo vobis Episcopia & Monasteria permagnifica. Deinde ad sinistros cum magna animaduersione vultum contorquens, & flammato intuitu conscientias eorum concutiens, ironicè hæc terribilia tonando potius quàm loquendo iaculatus est in illos, Vos nobiles, vos primorum filij, vos delicati & formosuli, in natales vestros & possessiones confisi mandatum meum & glorificationem vestram postponentes literarum studiis, luxuriæ, ludo, & inertiæ, vel inanibus exercitiis indulsistis. Et his præmissis solitum sibi iuramentum, Augustum caput & inuictam dexteram ad cælum conuertens, fulminauit: Per Regem Cælorum; non ego magnipēdo nobilitatem & pulchritudinem vestrā, licet alij vos admirantur. Et hoc procul dubio scitote, quod nisi cito priorem negligentiam vigilanti studio recuperaueritis, apud Karolum nihil vnquam boni acquiretis.

4. De pauperibus ergo supradictis quendam optimum dictatorem & scriptorem in Capellam suam assumpsit, quo nomine Reges Francorum propter cappam sancti Martini, quam secum ob sui tuitionem & hostium oppressionem iugiter ad bella portabant, Sancta sua appellare solebant. Qui puer cum quidam Episcopus prouidentissimo Regi Karolo defun-

defunctus nũciaretur, & ille interrogaret, vtrũ de rebus vel laborib. suis ante se præmitteret aliqua: Legatusq; responderet, Domine non amplius quàm duas libras de argento: suspirans ergo puer ille & vaporẽ mentis intra pectus cõtinere nõ valens, audiente Rege, in hanc vocẽ inuitus erupit, Paruum viaticũ ad iter lõginquum & diuturnũ. Cumq; moderatissimus hominũ Karolus parum deliberasset, dixit ad eum, Putasne, quia si Episcopatũ illũ tu acceperis, plura ad longũ illud iter dirigere curabis. Ille cùm hęc pendẽtia verba, quasi prematuras vuas in os hiantis decidẽtes, deuorans, cecidit ad pedes eius & dixit, Dñe hoc in Dei nutu & potestate vestra sitũ est. Et dixit Rex, Sta post cortinã, quæ pẽdet ad dorsum meũ, & ausculta quantos adiutores honoris isti* habeas. Audientes itaq; Palatini recessum Episcopi, semper casib. aut certè *morib. aliorũ insidiãtes, per familiares Imperatori ꝑsonas vnusquisq; morarũ impatiens, & alter alteri inuidentes, sibimet acquirere satagebant. Sed ille in cõsilij sui imobilitate persistẽs denegauit omnib', dicẽs, se iuuenculo illi nolle mentiri. Tandẽ Hildigarda Regina misit proceres Regni primùm, postea vero ꝑ seipsã accessit ad Regẽ, vt impetraret Episcopiũ illud clerico suo: cũq; ille petitionẽ eius iucũdissimè susciperet, dicẽs, se nihil ei velle aut posse denegare, nisi ꝙ clericulũ illum fallere dedignaretur, vt est omnium consuetudo fœminarũ, vt consilium suũ & votum, virorũ decretis præponderare velint, dissimulata iracundia mente cõcepta, & grossa voce in exilẽ conuersa, gestibusq; languidulis incõuulsos Imperatoris animos emollire temptata, dixit ad eum, Dñe mi Rex, quid puero illi Episcopatũ illum ad perdẽdum? sed obsecro domine dulcissime, gloria mea & refugium meum, vt detis illum fideli famulo vestro, clerico meo illi. Tunc adolescẽs ille, quem post cortinam, iuxta quam consederat Rex, stare præcepit, vt audiret quomodo singuli supplicarent cum ipsa cortina, Domine Rex

fort. mortibus.

tene fortitudinem tuam, ne potestatem à Deo tibi collatam de manibus tuis quisquam extorqueat. Tunc vocauit eum in palam fortissimus veritatis amator, & dixit ei, Habeas Episcopatum illum, & prouide diligenter, vt maiores expensas & viaticum ad longum illud & irreuocabile iter ante me præmittas & te.

5. Erat quidam clericus in comitatu Regis vilis & abiectus, & scientia literarum non satis instructus, quem iustus piissimus Karolus paupertati eius compassus, licet omnes eum odio haberent & expellere niterentur, nunquam tamen persuaderi poterat, vt ipse illum abiiceret, vel à conspectu suo remoueret. Accidit autem, vt in Vigilia sancti Martini quidam Episcopus Imperatori nunciaretur defunctus, qui vocauit ad se vnum de Clericis suis nobilitate & doctrina non mediocriter præditum, & dedit illi Episcopatum ipsum, qui lætitia resolutus conuocauit ad mansionem suam multos de Palatinis; plurimos etiam de Parochia illa venientes ad se cum grandi fastu suscepit, & cunctis permagnificum fecit parari conuiuium. Dapibus igitur prægrauatus, mero ingurgitatus vinoq; sepultus nocte illa sanctissima ad nocturnas vigilias venire neglexit. Fuit autē consuetudo, vt Magister scholę designaret pridie singulis quod Responsorium cantare deberent in nocte. Huic autem, qui Episcopatum iam quasi in manu retinebat, Responsorium: Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, erat iniunctum. Cumque ergo defuisset ille, & post lectionem diuturnum silentium transiret, & alterutrum se ad subleuandum Responsorium cohortarentur, & alius atque alius suum Responsorium se cantare debere diceret; Tandem aliquando, dixit Imperator, cantet aliquis. Tum abiectus ille numine diuino confortatus & tali authoritate roboratus; Responsorium inposuit. Mox clementissimus Rex,

Rex, non putans, quod totum canere nosset, iussit eum adiuuare; cumque alij cantarent, & miserabilis à nullo versum perdiscere potuisset, cantato Responsorio cœpit orationem Dominicam modulatissimè psallere: omnibus vero illum impedire volentibus, probare volens sapientissimus Karolus, ad quem finem ille perueniret, prohibuit ne quis ei molestus esset. Quo versum in hæc verba concludente, Adueniat regnum tuum; cæteri vellent nollent respondere coacti sunt, Fiat voluntas tua. Finitis autem laudibus matutinis, cum Rex ad palatium vel caminatam dormitoriam calefaciendi & ornandi se gratia pro tantæ festiuitatis honore rediret, præcepit ad se vocari veterem illum famulum, sed nouum cantorem, & ait illi, Quis te iussit Responsorium illud canere? pauefactus ille respondit, Domine vos præcepistis, Cantet aliquis. Et dixit Rex, (quod nomen Imperij veteribus in vsu fuit) BENE, atque addidit, Quis demonstrauit tibi versum illum? Tunc ille verba, quibus eo tempore superiores ab inferioribus honorari, demulceri, vel adulari solebant, instinctu Dei, vt creditur, animatus, hoc modo librauit: Læte vir, Domine, Lætifice Rex, cum à nullo versum alium inquirere potuissem, cogitaui in mente mea, si aliquem incongruum arripuissem, offensam vestræ damnationis incurrerem; idcirco eum cantare disposui, cuius finis iuxta consuetudinem penultimi Responsorij conueniret. Tunc moderatissimus Imperator sensim arridens illi, pronunciauit coram Principibus suis: Superbus ille, qui nec Deum nec præcipuum illius amicum timuit vel honorauit, vt se vel ad vnam noctem à luxuria refrænaret, quatenus Responsorium, quod, sicut audio, cantare debuit, saltem incipere occurrisset, diuino & meo iudicio careat Episcopatu; & tu illum Deo donante & me concedente iuxta Canonicam & Apostolicam authoritatem regere curato.

6. Defuncto quoque alio Pontifice, quendam iuuenem in locum eius substituit Imperator, qui cum lætus ad abeundum exiret, & ministri eius, iuxta grauitatem Episcopalem, caballum ei ad gradus ascensionum adducerent; indignatus ille, quod quasi pro infirmo eum habere voluissent, de plana terra ita super eum ascendit, vt vix se retineret in eo, quin in vlteriorem partem decideret. Quod per cancellos palatij Rex prospiciens, cito illũ ad se vocari præcepit, & sic eum allocutus est: Bone vir celer es, & agilis, pernix, & præpes, vtq; ipse tu nosti, multis bellorum turbinibus vndique, serenitas imperij turbatur: Idcirco opus habeo tali clerico in comitatu meo. Esto igitur interim socius laborum nostrorum, dum tam celeriter ascendere potes caballum tuum.

7. Quod de ordinatione Lectionum oblitus sum dicere cum de Responsoriorum dispositione narrarem, hîc paucis liceat absoluere. Null[9] in Basilica doctissimi Karoli Lectiones cuiquã recitandas iniunxit, null[9] ad terminum vel cerã imposuit, vel saltem vnguinibus quantulumcunq; signũ impressit: sed cuncti omnia quæ legenda erant, ita sibi nota facere curarunt, vt quando inopinato legere iuberentur, irreprehensibilis apud eum inueniretur. Digito autem vel baculo protento, vel ex latere suo ad procul sedentes aliquo directo, demonstrauit, quem legere voluisset. Finem vero lectionis sono gutturis designauit, ad quem vniuersi ita intentè suspensi sunt, vt siue finita sententia, seu in media distinctione siue sub distinctione significaret, nullus sequens aut inferius incipere præsumeret, quantumcunque incongrua finis aut initium viderentur. Et hoc modo factum est, vt etiam si non intelligerent omnes, in eius palatio lectores optimi fuissent. Nullus alienus, nullus etiam notus, nisi legere sciens & canere, chorum eius ausus est intrare.

Cum

Cum autem itinerando venisset Karolus ad quandam grandem Basilicam, & quidam clericus de circumcellionibus, ignarus disciplinæ Karoli, in chorum vltrò intraret, & nihil omnino de talibus vnquam didicisset, in medio cãtantium mutus, & amens constitit, ad quem Paraphonista, leuato peniculo, ictum ei, nisi caneret, minabatur. Tum nesciens ille quid ageret, quoúe se vertere posset, foras exire nõ ausus, ceruicẽ in modum circuli contorquens, & dissolutis malis hians, cantandi qualitatem iuxta possibilitatem imitari conabatur. Cæteris ergo risum continere nõ valentibus, fortissimus Imperator, qui ne ad magnas quidem res à statu mentis suæ moueretur, quasi gestum coactionis illius non aduerteret, ordinatissimè finẽ præstolabatur Missæ. Postea verò vocato ad se misero illo, miseratusque labores & angustias illius, hoc modo consolatus est eũ: Multas gratias habeas bone clerice pro cantu & laboribus tuis. Et ad subleuandam eius paupertatem iussit ei dari vnam libram argenti. Nec verò obliuisci vel negligere videar, hoc verè de industria vel meritis eius agnoui, quod de discipulis eius nullus remansit, qui non vel Abbas sanctissimus vel Antistes sanctissimus extiterit: apud quem & Dominus meus GALLVS primo in Gallia, post vero in Italia liberalibus est disciplinis imbutus. Sed ne à scientibus rerum illarũ arguar mendacij, quod nullum exceperim; fuerunt in eius schola duo molinariorum filij, de familia sancti Columbani quos quòd non cõgruit ad Episcopiorum vel Cœnobiorum regimen subleuari, tamen per merita, vt creditur, Magistri sui, Præposituram Babiensis Monasterij vnus post vnum strenuissimè gubernauerunt.

Gloriosissimo itaq; Karolo per totum Regnum suum studia litterarum florere conspiciens, sed ad maturitatem Patrum præcedentium non peruenire condolens, & plus-

quam

quam mortale laborans, in hanc tædiatus vocem erupit: O vtinam haberem duodecim clericos ita doctos omnique sapientia sic perfectè instructos, vt fuerunt Hieronymus & Augustinus. Ad quod doctissimus Albinus ex ipsorum comparatione merito se indoctissimum iudicans, in quantum nullus mortalium in conspectu terribilissimi Karoli audere præsumeret, maxima indignatione concepta, sed parumper ostensa respondit: Creator cæli & terræ similes illis plures non habuit, & tu vis habere duodecim?

10. Referendum hoc loco videtur, quod tamen à nostri tẽporis hominibus difficile credatur; cum & ego ipse qui scribo propter nimiam dissimilitudinem nostræ & Romanorum cantilenæ non satis adhuc credam; nisi quia Patrum veritati plus credendum est, quàm modernæ ignauæ falsitati. Igitur indefessus diuinæ seruitutis amator Karolus, voti sui compotem, quãtum fieri potuit, in literarum scientia effectum se gratulatus, sed adhuc omnes prouincias imò regiones vel ciuitates in laudibus diuinis, hoc est in cantilenæ modulationibus ab inuicem dissonare perdolens, à beatæ memoriæ Stephano Papa, qui deposito & decaluato ignauissimo Francorum Rege Hilderico, se ad regni gubernacula antiquorum Patrum more perunxit. aliquos minimum Diuinorum peritissimos clericos impetrare curauit: qui bonæ illius voluntati & studiis diuinitus inspiratis assensum præbens, secundum numerum XII. Apostolorum de Sede Apostolica XII. clericos doctissimos cantilenæ ad eum direxit in Frãciam (Franciam verò cum interdũ nominauero omnes Cisalpinas prouincias significo) quod, sicut scriptum est, in die illa apprehendent decem viri ex omnibus linguis gentium fimbriam viri Iudæi.

Zachar. 8.

11. In illo tempore, propter excellentiam gloriosissimi Karoli, & Galli & Aquitani, Hedui & Hispani, Alamanni & Baio-

Baioarij non parum ſe inſignitos gloriabantur. Cùm ergo ſupradicti clerici Roma digrederentur, vt ſupra ſemper omnes Græci & Romani inuidia Francorum gloriæ carpebantur: conſiliati ſunt inter ſe, quomodo ita cantum variare potuiſſent, vt nunquam vnitas & conſonantia eius in regno & prouincia non ſua lætarentur. Venientes autem ad Karolum honorificè ſuſcepti, & ad præminentiſſima loca diſperſi, & ſinguli in locis ſingulis diuerſiſſimè & quàm corruptiſſimè poterant excogitare, & ipſi canere, & ſic alios docere laborabant. Cùm verò ingenioſiſſimus Karolus quodã anno feſtiuitates Natiuitatis & Apparitionis Domini apud Treuerenſe vel Metenſe oppidum celebraſſet, & vigilantiſſimè, imò acutiſſimè vim Carminum deprehendiſſet, vel potiùs penetraſſet, ſequenti verò anno eaſdem ſolennitates Pariſiis vel Turonis ageret, & nihil illius ſoni audiſſet, quẽ priori anno in ſupradictis locis expertus fuerat; ſed & illos, quos ad alia loca direxerat, cùm & ipſe procedente ab inuicem diſcordare cõperiſſet, ſanctæ recordationis * Leonis Papæ ſucceſſori Stephani rem detulit, qui vocatos Romam vel exilio vel perpetuis damnauit ergaſtulis. Et dixit illuſtri Karolo: Si alios tibi præſtitero, ſimili vt anteriores inuidentia cæcati non prætermittent illudere tibi: ſed hoc modo ſtudiis tuis ſatisfacere curabo. Da mihi de latere tuo duos ingenioſiſſimos clericos, vt non aduertant, qui mecum ſunt, quòd ad te pertineant; & perfectam ſcientiam, Deo volente, in hac re, quam poſtulas, aſſequentur. Factumq́; eſt ita. Et ecce poſt modicum tempus optimè inſtructos remiſit ad Karolum, qui vnum ſecum retinuit, alterum verò petente filio ſuo, TROGONI Metenſi Epiſcopo ad ipſam direxit Eccleſiam: cuius induſtria non ſolùm in eodem loco pollere, ſed & per totam Franciam in tantum cœpit propagari, vt nunc vſq; apud eos, qui in his regionibus Latino ſermone

** an leg. Leoni Papæ ſucceſſori Stephani? At Stephano IV. Adrianus, Adriano Leo ſucceßit.*

an leg. Leonis Papæ ſucceſſori Stephano? At Stephanus V. Leoni ſucceßit iam mortuo Karolo M. & tantùm ſediſſe dicitur menſes ſeptẽ.

Scio qd VValfrid. Strabo de Stephano. 3. Cantilenæ, inquit, perfectiorem ſcientiam.

quã penè iam tota Gallia didicit, Stephanus Papa, cùm ad Pipinũ patrem Caroli Magni (in primũ in Franciam) pro iustitia S. Petri à Longobardis expetenda venisset, per suos clericos petente eodem Pipino, inuexit, indeq; vsus eius longè lateq; conualuit.

vtuntur, Ecclesiastica cantilena dicatur Metensis. Apud nos autem, qui Theutunica siue Teutisca lingua loquimur, aut vernaculè Met, aut Mette, vel secundũ Græcam deriuationem vsitato vocabulo Metisca nominetur.

12. Religiosissimus & temperatissimus Karolus hanc consuetudinẽ habebat, vt in Quadragesimæ diebus octaua hora diei Missarum celebritate pariter cum Vespertinis laudibus peracta cibum sumeret, nec tamen idcirco ieiunium violaret; cùm secundum Domini præceptum ab hora in horam comederent: Quod Episcopus quidam contra interdictum sapientis viri multũ iustus, & nimium stultus, improuidè reprehendit: Sapientissimus autẽ Karolus indignatione simulata admonitionẽ eius humiliter suscepit dicens: Bene admonuisti, læte vir Episcope; ego autem tibi præcipio, vt nihil degustes, antequã externi officiales, qui sunt in Curte mea, reficiantur. Comedente autẽ Karolo ministrabant Duces & Tyranni vel Reges diuersarũ Gentium: post cuius conuiuiũ, cùm illi comederent, seruiebant eis Comites & Præfecti, vel diuersarum dignitatum Proceres: ipsis quoque manducandi finem facientibus, militares viri vel scholares alæ reficiebantur: Post hos omnimodorũ officiorũ Magistri: deinde ministri; ita vt vltimi ad noctis medium nõ manducarent. Cumq; iam propè finita esset Quadragesima, & prefatus Episcopus in tali castigatione permansisset, dixit ad illũ clementissimus Karolus, Vt puto, probasti Episcope, quòd non intemperantiæ, sed prouidentiæ gratia ante vespertinam horam in Quadragesima conuiuor.

13. Ab alio quoq; Episcopo, cùm benedictionem peteret, & ille signato pane primum sibi perciperet, deinde honestissimo Karolo porrigere voluisset; dixit ei: Habeas tibi totum panem illum; & sic eo confuso, benedictionem illius accipere noluit.

Proui-

14. Prouidentissimus Karolus nulli Comitum, nisi his, qui in confinio vel termino barbarorum constituti erant, plus quàm vnum Comitatum aliquando concessit; nulli Episcoporum Abbatiam vel Ecclesias ad ius Regium pertinentes, nisi excellentissimis causis vnquã permisit. Cumq; à consiliariis siue familiaribus suis interrogaretur, cur ita faceret, respõdit: Cum illo fisco vel Curte, illa Abbatiola vel Ecclesia tàm bonum, vel meliorem vasallum, quàm ille Comes est vel Episcopus, fidelem mihi facio. Ex certis autem causis quibusdam plurima tribuit vtpote VDALRICO fratri magnæ HILDIGARDÆ genitricis Regum & Imperatorum. de quo cùm post obitum ipsius Hildigardę pro quodã commisso, à Karolo viduaretur honoribus, quidam scurra in auribus misericordissimi Karoli proclamauit: Nunc habet Vdalricus honores perditos in oriente & occidẽte, defuncta sua sorore. Ad quæ verba illacrimatus ille pristinos honores statim fecit illi restitui. Ad sancta etiam loca dictante iustitia liberalissimas manus patenter aperuit, vt ex consequentibus apparebit.

15. Erat quoddam Episcopium itineranti Karolo nimis obuium, vel magis ineuitabile, Episcopus verò loci illius cupiens illi satisfacere, cuncta quæ habere potuit, in eius obsequium profligauit.

16. Cùm autem quodam tempore insperatò veniret Imperator, tùm verò Episcopus ille conturbatus, more hirundinis huc illucq; discurrens, & non solum Basilicas vel domos, sed & Curtes ipsasque plateas verri faciens & purgari, valde lassus & indignatus obuiam illi processit. Quod cum pijssim⁹ aduerteret Karolus, oculos in diuersa iaciens & singula quæq; perlustrans dixit ad Antistitẽ: Sẽper hospes optime benè ad nostrũ introitum oĩa facis emundari. Ille quasi diuinitùs allocutus * conquiescens, & inuindictã dexteram com-

* al. conquiniscens & inuictam dexterã,

complexus deosculans, indignatione, quantum potuit occultata, respondit: Iustum est domine, vt quocunq; vos veneritis, omnia expurgentur vsq; ad fundum. Tunc sapientissimus Regum, de aliis alia intelligens, dixit ad eum: Si euacuare noui, & replere didici. Et adiecit, Habeas fiscum illum Episcopatui tuo proximum, & omnes successores tui vsq; in seculum.

17. In eadem profectione inopinatò venit ad quendam Episcopum in loco ineuitabili constitutũ: cùmq; ipso die carnes quadrupedum aut volatilium comedere noluisset, quia sexta erat feria; Pontifex ille iuxta facultatẽ loci illius, cùm repente pisces inuenire nequisset, optimum illi caseum, & ex pinguedine canũ iussit apponi. Moderatissimus autem Karolus vbiq; & in omnibus institutus, verecundię Præsulis parcens, nihil aliud requisiuit, sed assumpto cultello, abominabili, vt sibi videbatur, ęrugine proiecta, albore casei vescebatur. Episcopus autem, qui more famulorum prope astabat, propiùs accedens dixit: Cur ita facis Imperator? nam quod proiicis, illud optimũ est. Tunc ille, qui fallere nesciret, & à nullo se posse falli putasset, iuxta suadelã Episcopi æruginis illius partẽ in os proiecit, & sensim masticans in modum butyri deglutiuit; & Episcopi consilium probans dixit, Verum bone hospes dixisti: Addiditq;, Omnibus annis duas karratas talibus caseis plenas ad Aquas grani mihi dirigere ne prætermittas. Ad cuius impossibilitatẽ rei cõsternatus Episcopus, quasi in periculo status & ministerij sui cõstitutus ei suggessit, Dñe, caseos acquirere possum, sed nescio, qui eiusmodi sunt, qui verò aliter; & timeo, ne reprehensibilis inueniar apud vos. Tum Karolus, quẽ insueta atq; incognita nequaquã fugere vel latere potuissent, dixit Episcopo in talibus enutrito, & adhuc earundẽ rerũ nescio, Incide oẽs per mediũ, & quos tales perspexeris, acuminato ligno cõiunge,

&in

& in cubam missos dirige mihi; Alios autem tibi ac clero aut familiæ tuę reserua. Quod cùm per duos annos factum fuisset, & Rex talia munera dissimulanter accipi iuberet, tertio iam anno Episcopus & per seipsum tanto labore & tam longè adducta repræsentare curauit: tunc æquissimus Karolus curis & laboribus eius compassus, dedit ad eundem Episcopatum optimam curtem, vnde frumentum & vinum ad suas & suorum necessitates ipse & successores eius habere potuissent.

18\. Quia retulimus quomodo sapientissimus Karolus humiles exaltauerit, referamus etiam qualiter superbos humiliauerit. Fuit quidam Episcopus vanæ gloriæ & inanium rerum valde cupidus: quod sagacissimus deprehendens Karolus præcepit cuidam Iudæo mercatori, qui terram repromissionis sæpius adire, & inde ad cismarinas prouincias multa preciosa & incognita solitus erat afferre, vt eundem Episcopum quolibet modo deciperet aut illuderet. Quod comprehendens, vnum murem domesticũ diuersis aromatibus condiuit, & præfato Episcopo venalem apportauit, dicens, se de Iudæa illud preciosissimum & antea non visum animal attulisse. Ille ad rem tantam gaudio repletus, obtulit ei tres libras de argento, vt carissimum illud munus deberet accipere. Tum dixit Iudæus: Quàm decorum precium pro tam caro munere! prius hoc in profundum maris proiicio, quàm quilibet hominũ tam vili & turpissimo precio illud acquirat. Ille qui multa haberet, & pauperibus nihil vnquam tribueret, promisit ei decem libras, vt incomparabilem illam rem posset accipere. Tunc astutus homo ille indignatione simulata profatus est: Non velit Deus Abraham, vt ita perdam laborem & subuectionem meam. Tunc auarus ille clericus tam carum munus inhians proposuit ei viginti libras, Iudæus ergò turbidus murem preciosissimò inuoluens serico cœ-

pit abire: Episcopus quasi deceptus, sed verè decipiendus reuocauit eum, & dedit ei plenum modium de argento, vt preciosissimo illo mure potiri potuisset. Tandem igitur mercator ille precibus multis ambitus vix ægrè concessit, & acceptum argentũ Imperatori pertulit: & omnia supradicta memorauit. Post dies autem non multos conuocauit Rex omnes Episcopos & Proceres eiusdem prouinciæ ad colloquium suum; & post multa necessaria pertractata, præcepit afferri totum illud argentum, & in medio poni palatio. Tunc sic pronuncians ait, Vos Patres & prouisores nostri Episcopi, pauperib., imo Christo in ipsis ministrare, non inanibus rebus inhiare debuistis. Nunc autem in contrarium cuncta vertentes cenodoxiæ vel auaritiæ super omnes mortales intenditis. Et adiecit, Vnus ex vobis tantum argenti pro vno mure domestico pigmentis contemperato cuidam dedit Iudęo. Ille autem, qui tanto flagitio deceptus erat, ad pedes eius corruens veniam pro commisso precabatur: quem ipse digna inuectione coërcitum, confusum permisit abire.

19. Idem quoq; Episcopus, cum bellicosissimus Karolus in bello contra Hunnos esset occupatus, ad custodiam gloriosissimæ Hildigardæ relictus est. Qui cum familiaritate illius animari cœpisset, in tantam progressus est proteruiam, vt virgam auream incomparabilis Karoli quam ad statum suum fieri iussit, diebus feriatis vice baculi ferendam pro Episcopali improbus ambiret. Quæ illum callidè deludens dixit; non audere se eam cuilibet hominum dare, sed tamen fidam se legationem eius caussa apud Regem fore. Veniente autem illo suggessit illa iocula-riter, quæ amens postulauit Episcopus. Cuius petitioni iocundissimæ Rex assensus, promisit se etiam plus facturum quàm ille peteret. Cum autem cuncta penè Europa ad

Trium-

Triumphatorem tantæ gentis Karolum conueniſſet, pronunciauit hæc in auribus maiorum & minorum: Epiſcopi contemtores huius mundi eſſe debuerunt, & alios exemplo ſuo ad appetenda cæleſtia prouocare. Nunc vero præ cæteris mortalib⁹ tanta ambitione corrupti ſunt, vt quidam ex eis, non contentus Epiſcopatu, quem in prima Germaniæ ſede retinet, ſceptrum noſtrum, quod pro ſignificatione regiminis noſtri aureum ferre ſolemus, pro paſtorali baculo nobis ignorantibus ſibi vendicare voluiſſet. Reus reatum ſuum recognoſcens indulgentia percepta receſſit.

20. Nimium pertimeſco, ô Domine Imperator Karole, ne dum iuſſionem veſtram implere cupio, omnium profeſſionum, & maximè ſummorum Sacerdotum offenſionem incurram: Sed tamen de omnibus non grandis mihi cura eſt, ſi tantum veſtra defenſione non deſtituar.

Præcepit religioſiſſimus Karolus Imperator, vt omnes Epiſcopi per latiſſimum regnum ſuum, aut ante præfinitum diem, quem iſte conſtituerat, in Eccleſiaſticæ ſedis Baſilica prædicarent, aut quicunq; non faceret, Epiſcopatus honore careret. Sed quid dico honorem? cum Apoſtolus proteſtetur: Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. *(1. Tim. 3.)* Sed verè vobis occultè fateor; quia magnus honor: in eo opus verò bonum nec minimum requiritur. Supradictus igitur Primas ad tale præceptum conterritus, cùm nihil aliud ſciret, niſi delitijs affluere & ſuperbire; timens autem, ne ſi Epiſcopio careret, luxuria ſua pariter viduaretur, vocauit duos de primoribus Palatinis ad diem feſtum; & poſt Euangelij lectionem aſcendit ad gradus, quaſi ad alloquendum populum. Cumque ad tam inopinatam rem

omnes

omnes admirati concurrerent, excepto vno pauperculo valde rufo, gallicula sua (quia pileum non habuit, & de colore suo nimium erubuit) caput induto, dixit nominatus non reuera Episcopus ad ostiarium vel scarionem suum (cuius dignitatis aut ministerij viri apud antiquos Romanorũ ædilitiorum nomine censebantur) Voca ad me illum pileatum hominem, qui stat iuxta ostiũ Ecclesiæ: festinans ille mandatum domini complere, apprehendens miserum cœpit eum trahere ad Episcopum: qui timens ne graui mulctaretur vindicta, quòd tecto capite in domo Dei stare præsumpserit, totis viribus cœpit reniti, ne quasi ad tribunal seuerissimi Iudicis duceretur. Tunc Episcopus de eminentioribus prospiciens, & nunc vasallum suum, nunc illum misellũ concrepans, excelsa voce clamando prædicauit, Attrahe illum, caue ne dimitas; velis nolis, huc debes venire. Cùm ergo aut vi aut metu deuictus appropinquaret, dixit Episcopus, Accede propiꝰ, appropinqua etiam. Atq; deinde apprehensum capitis tegimen extraxit, & ad plebẽ proclamauit, Ecce videtis, ô popule, rufus est iste ignauus. Et reuersus ad altare solennia consecrauit, vel se consecrasse simulauit. Talibus ergo Missis ad finem perductis, ingrediuntur in aulam varijs tapetibus & omnigenis ornatam pallijs; Vbi opiparè illud conuiuium auro vel argento siue gemmeis vasis immissum, fastidio vel nausea laborantes in sui desiderium posset allicere. Sedebat autem ipse mollissimis plumis, preciosissimo serico vestitis exstructus, imperatoria purpura indutus, ita vt nihil illi nisi sceptrum illud, & nomen regium deesset: ditissimorum militum cohortibus septus; in quorum comparatione illi Palatini, hoc est, inuictissimi Karoli Proceres, vilissimi sibimet ipsis viderentur. Qui cùm post admirabile illud & Regibus inusitatum conuiuium licentiam abeundi petezent, ille vt eis magnificentiam suam & gloriam manifestiùs ostende-

ostenderet, iussit procedere peritissimos cātandi Magistros cum omnibus musicis organis: de quorum vocibus & sonitu fortissima corda mollescerent, & liquidissima Rheni fluenta durescerent. Potuum verò diuersissima genera variis pigmentis aut medicaminibus contemperata, herbis & floribus, gemmarum vel auri fulgorem in se trahentibus, suumque ruborem illis infundentibus coronata, restagnantibus iam stomachis tepebant in manibus. Interea verò pistores, lanij, coci & fartores plenis ventribus omnimoda gulæ irritamenta exquisitis artibus præparabant, qualis nunquam cœna Magno composita est Karolo. Mane autem facto cùm aliquantisper ad sobrietatem rediret Episcopus, & luxum, quem pridie coram satellitibus imperatoriis expenderat, perhorrescere cœpisset, iussit eos adduci ad se, & regijs muneribus honoratos adiurauit, vt de se bona & honesta apud terribilem Karolum narrare dignarentur. Et quod publicè in Ecclesia ipsis audientibus prædicaret. Quos cùm reuersos Imperator interrogaret, cur eos Episcopus ille vocaret, procidentes ad pedes eius dixerunt, Domine, vt nos in vestro nomine supra mediocritatem nostram honoraret. Et adiecerunt, Fidelissimus est vobis, & omnibus vestris optimus Episcopus ille, summoque sacerdotio dignissimus est; nam si nostræ vilitati credere dignemini, fatemur sublimitati vestræ, quia declamatoriè audiuimus illum prædicare. Cùmque Imperator eius imperitiæ certiùs de modo prædicationis inquireret, & illi eum fallere non auderent, omnia per ordinem retexuerunt. Tunc intelligens causam timoris sui aliquid illum loqui conatum, quàm præceptum suum prætermittere ausum, licet indignum, retinere permisit Episcopatum.

21. Post tempus verò non longum, cùm quidam iuuenis

Bbb cogna-

cognatus Regis optimè in quadam festiuitate caneret, Alleluia, dixit Imperator ad eundem Episcopum: Benè modo cantauit ille clericus noster. Qui iuxta stultitiam suam iculariter illa verba suscipiens, & illum Imperatoris cognatum nesciens, respondit: Sic sic omnes perriparij possunt bubus agriculantibus vetrenere. Ad quod improbissimũ responsum fulmineas in eum acies Imperator intorquens, attonitum terræ prostrauit.

22. Fuit alius Episcopus paruissimæ ciuitatulæ, qui se dum adhuc in carne viueret, non Apostolorum & Martyrum more intercessorem ad Deum habere, sed ipse diuinis cultibus voluit honorari; sed talem superbiam hoc modo studuit occultare, vt sanctus Dei diceretur, ne omnib. abominabilis cum idolis gentium reputaretur. Hic habuit vnũ vasallum nõ ignobilem ciuium suorũ valde strenuum & industrium; cui tamẽ ille, ne dicam aliquod beneficiũ, sed ne vllum quidẽ aliquando blandum sermonẽ impendit. Qui nesciens qd agere posset, vt imites eius animos placaret, excogitauit, vt si aliq; signũ in nomine eius se fecisse cõprobaret ad gratiam ipsius peruenire valeret. Cùm ergo de domo sua ad Episcopũ venire disponeret, assumpsit duas caniculas in manu sua, quas Gallica lingua * veltres nuncupant, quæ agilitate sua vulpes & cæteras minores bestiolas facillimè capientes; quacaras etiã, & alia volatilia ascensu celeriore sæpe fallerent: & dum in via vulpem muribus insidiantẽ videret, ex improuiso canes illi tacitus immisit; quæ volatu rapidissimo ruentes post illam intra iactum sagittæ comprehenderunt: Ipse verò quoq; cursu præpeti consecutus, viuam & sanam dentibus canum vel vnguibus excussit; canes autem vbi potuit abscondens, tripudians cum illo munere ad dominum suum introiuit, & suppliciter inquit; Ecce domine quale munus ego pauperculus acquirere potui. Tunc Episcopus

* veloces.

ſcopus parum arridens interrogauit, quomodo illam tàm ſanam comprehenderet. At ille propius accedens, & pro ſalute ipſius domini ſui iurans, quòd veritatem ab eo non celaret, intulit, Domine per campum iſtum cauallicans, & vulpem illam non longè aſpiciens laxis habenis poſt illam tendere cœpi. Porro cum ipſa tàm perniciter aufugeret, vt vix eã iam videre potuiſſem, eleuata manu adiuraui eam dicens, In nomine domini mei RECHONIS ſta, & non mouearis vltra. Et ecce quaſi cathenis obligata ſtetit in loco fixa, donec eam quaſi ouem derelictam tollerem. Tunc ille inani geſtione perflatus dixit coram omnibus, Nunc apparet ſanctitas mea; nunc ſcio quis ſim, nunc agnoſco quid futurus ſim. Ex illo die exoſum illum hominem ſuper omnes familiares ſuos miro coluit amore.

23. Hoc, quia ſe obtulit occaſio, extrinſecus inſerto, non ab re videtur, etiam cætera, quæ ijſdem temporibus memoria geſta ſunt, ſtyli officio religare. Erat quidam Epiſcopus in Francia noua miræ ſanctitatis & abſtinentiæ, incomparabilis etiam liberalitatis & miſericordiæ, cuius bonitate inuidus omnis iuſtitiæ hoſtis antiquus nimium exaſperatus, tale illi deſiderium edendæ carnis in diebus Quadrageſimæ immiſit, vt ſe abſq; recraſtinatione moriturum putaret, niſi eiuſmodi recrearetur edulio. Conſilio tandem multorum ſanctorum & venerabilium ſacerdotum roboratus, vt carnes pro recuperatione ſanitatis acciperet, & poſtea per totum annum more ſolito ſe maceraret; ne ipſis inobediens & vitæ ſuæ proditor inueniretur, eorum cedens authoritati, & vltima neceſſitate conſtrictus parum quid de quadrupedante carne miſit in buccã, quod cum maſticare cœpit, & guſtũ illius ſenſu palati tenuiſſimè percepiſſet, tanto tædio, faſtidio, vel odio, non ſolùm carniũ ſeu cæterarum

escarum, sed & lucis ipsius & vitæ præsentis, cum salutis suæ desperatione correptus est, vt vltra nec manducare vellet, aut bibere, aut spem suam in Saluatore perditorum ponere consideraret. Cùm autem hæc prima hebdomada Quadragesimæ gererentur, suggerebant ei præfati Patres, vt quia diabolica se illusione deceptũ cognosceret, acrioribus ieiuniis & contritione cordis, eleemosynarũ largitate momentaneum illud peccatum super * ducem extenuare vel abluere niteretur. Qui vt erat optimè instructus, eorum consilio parens, vt & diaboli malitiam confunderet, & apud innocentiæ restitutorem commissi veniam impetraret, biduanis vel triduanis se ieiunijs affligens, somni quietem fugiens, pauperibus & peregrinis per seipsum quotidie ministrans, eorumq; pedes abluens vestesq; & pecunias iuxta facultatem illis offerens & vltra impendere volens die sancto Sabbati Paschalis plurima dolia de tota ciuitate postulauit, & calidas balneas à mane vsq; ad vesperam cunctis indigentibus exhibere curauit, & colla singulorum ipse manu sua rasit, & * purulentias scabiesque per hirsutorum corporum vepres vnguibus extraxit, & vnguentis delibutos candidis vestibus quasi modo regeneratos induit. Cùm autem sol appropinquaret occasui, & nullus iam remaneret qui talibus indigeret obsequijs, intrauit ipse in balnea, & exiens mundata conscientia mundissimis oppertus est lineis, vt iudicio sanctorum Episcoporũ solennia populo celebraret. Cumq; iam ad Ecclesiam procederet, callidus aduersarius propositum illius violare cupiens, vt contra votum suum aliquem pauperem non lotum Episcop' dimitteret, assumpta specie lutidissimiq; leprosi, sanie fluidi, tabo rigentibus amicti, gressu tremẽte nutabundi, nimia raucedine miserandi, ante limen Ecclesiæ se illi obuiam tulit. Tunc sanctus Antistes instinctu diuino regressus, vt cognosceret, quali nuper inimico

* P. crucem

* al prurulentias

mico succumberet, extractis albis, aquam sine mora calefieri & ipsum misellum in ipsam fecit imponi, assumptaq; nouacula turpissimum collum cœpit radere. Cumq; ab vna aure, vsq; ad medias deradisset arterias, cœpit ab alia, vt ad eundem locum rasurã perduceret, illuc autem perueniens, setas longiores quàm absciderat, mirum dictu, renatas inuenit: & cùm hoc sæpe fieret, & ille radere non cessaret, ecce inter manus Episcopi, horresco referens, oculus miræ magnitudinis in arteriarum medio cœpit apparere. Tunc ille pauefactus à tali monstro resiluit, & se Christi nomine cum ingenti clamore consignauit: ante cuius inuocationem fraudulentus hostis vltrà fallaciam suam abscondere non valens, ceu fumus euanuit, & abscedens dixit, Iste oculus vigilanter intendit, quando carnem in Quadragesima comedisti.

In eadem quoq; regione fuit alius Pontifex incomparabilis sanctitatis, qui incauta securitate iam quasi fæminei sexus ignarus sanctimoniales iuuenculas non minus quàm grandæuos sacerdotes discendi gratia secum conuersari permisit. Cum autem in ipsa festiuitate Paschali post Officium diuinum, quod supra mediam noctem pertraxit, Alasaciensi illo sigoltario se licentius indulsisset, & simul cum illo fortiori falerno cuiusdam venustissimæ fæminæ vultus & meretricios gestus, heu nimis eneruiter in se pertraxisset, recedentibus cæteris, ad lectum suum vocatam lugubriter constuprauit. Mane vero rutilante citus exurgens, & iuxta gentiles noctem flumine purgans, ante ineuitabiles veræ Deitatis oculos maculata conscientia processit. Cumq; præmissis melodijs ipse iuxta ministerium suum imponere debuisset Hymnum Angelicum, pauefactus obstupuit, ac sacri mysterij vestes super altare posuit. Atq; ad populum conuersus reatum suum confessus est. Deinde

24.

ad crepidinē corruens altaris, inæſtimabilibus ablutus eſt lacrimarum fluentis. Populo vero inſtante, vt exurgeret & ſe terribilibus ſacramentis aſtringente, quod illa præcipua die nō ſibi ab alio aliquo quàm ab ipſo paſtore ſacra Miſſarū celebrari paterentur; & ille loco moueri non poſſet, atq; hæc concertatio per trium ferè horarum ſpacia tranſiret, tandem clementia Creatoris, & vota deuoti populi & contritum cor Epiſcopi miſerata, ſic in pauimento iacentem reueſtiuit, & de ſua certioratum indulgentia, ad contrectanda cæleſtibus metuenda myſteria in exemplum veræ pœnitentiæ vel cautelam nuſquam & nunquam in hoc ſæculo tutè; ſed ſemper & vbiq; vanæ ſecuritatis miſericorditer animauit.

25. In Francia quoq;, quæ dicitur Antiqua, fuit alius, vltra omnem modum tenacitate conſtrictus: cum autem ſterilitas omnium terræ prouentuum quodam anno inſolita orbem vniuerſum depopularetur, tunc auarus ille negociator omniū mortaliū imo iam morientium vltima neceſſitate gauiſus, repoſitoria ſua præcepit aperiri, nimium carè venundanda. Tum dæmon vel larua, cui curæ fuit ludicris vel hominum illuſionibus vacare, fecit conſuetudinem ad cuiuſdam fabri ferrarij domum venire & per noctes malleis & incudibus ludere: cumq; pater ille familias ſigno ſalutiferæ Crucis ſe ſuaque munire conaretur, reſpondit piloſus: Mi compater ſi non impedieris me in officina tua iocari, appone hîc poticulam tuam, & quotidie plenam inuenies illam. Tum miſer ille plus penuriā metuens corporalem, quàm æternā animæ perditionē, fecit iuxta ſuaſionē aduerſarij. Qui aſſumpta prægrandi flaſcone cellariū Bromii vel ditis illius irrumpens, rapina perpetrata, reliqua in pauimenta fluere permiſit. Cumque iam tali modo plurimæ cubæ fuiſſent inanitæ, animaduertens Epiſcopus, quod dæ-

monum

monum fraude perijssent, benedicta aqua cellam aspersit, & inuictę Crucis signaculo tutauit. Nocte autem facta, furis antiqui callid⁹ satelles cum vasculo suo venit, & cũ vinaria vasa propter impressionẽ sanctę Crucis nõ auderet attĩgere, nec tamẽ ei liceret exire, in humana specie repertus & à custode domus alligatus pro fure ad publicum product⁹, & ad palam cæsus: inter cędendum hoc solum proclamauit, Vę mihi, vę mihi, quod poticulã cõpatris mei perdidi. Hæc licet historia sit vera, idcirco protulerim, vt sciatur cui proueniant abiurata, & in diebus necessitatis abstrusa, & quantũ valeat diuini nominis inuocatio, etiam per non bonos adhibita.

Cum oculos ad Francorum caput intendo eiusque membra perlustro, reliquarum gentium summos & infimos post tergum reliqui. sed iam ad vicinos nostros Italos, vna tantummodo * macheria diuisos ueniendum est. Erat ibi quidam Episcop⁹, inanium rerum valde cupidissimus, quod diabolus aduertens cuidam pauperculo, auaritia tamen non euacuato, in humana se obtulit specie, pollicit⁹ non mediocriter illum esse ditandũ, si societatis vinculo in perpetuum sibi delegisset adnecti. quod cũ miser profiteri non abnueret, dixit hostis callidus, Conuerto me in mulũ præstantissimũ, tu vero ascende super me & vade ad Episcopum: cum autem mulũ illũ cœperit inhiare, tu protrahe, differ, abnue, precium exaggera indignationemq; simulans recedere para; tum necesse est, vt ille post te mittat, & plurima promittat, tandem precibus exoratus, & infinita pecunia cumulatus, quasi non libenter & coacte illi mulum concede, & concitus aufugiens latibulum vbicunq; require. Quod cum factũ esset, & Episcopus vsq; ad sequentẽ diem expectare non sustinens, in ipso feruore meridiãno sonipedẽ ascendẽs per vrbẽ superbiens equitabat, in campum volitaturus ibat, ad fluuium refrigerandi gratia properabat, in cuius fauorẽ oĩs ętas sequebatur ambulationẽ volubilissimã, cursũ rapidissimũ, natatum delphi-

26.

* maceria.

delphinis simillimum cernere gestientes, & ecce antiquus ille Belial velut chami fræniq; non patiens, & veræ gehennæ ignibus æstuans, in profundum gurgitis sese demergere, & secum trahere cœpit Episcopum, ita vt vix militari manu & industria piscatorum, qui prope nauigabant, extraheretur.

27. Insidiarum peritus aduersarius, in via, qua ambulamus, laqueos nobis abscondere solitus, alium quidem hoc, alium verò alio vitio supplantare non desistit. Cuidam sacerdoti (Episcopi quippe nomen in tali re supprimendum est) fornicationis crimen imponebatur: cùmq; hoc iam ita in notitiam populorum deuenisset, vt à referentibus etiam Episcoporum Epõ religiosissimo K. notissimum fieret; & ille sapientissimus aliquamdiu rem dissimulans friuolis verbis fidem accommodare noluisset. Sed fama malum, quo non velocius vllum de minima * meisa super aquilarum magnitudinem excresceret, vt nequaquam iam celari potuisset, misit districtissimus inquisitor iustitiæ Karolus duos de Palatinis, qui ad proximum ciuitati locum vespere diuertentes manè primo ad sacerdotem inopinatò venirent, & ipsum sibi Missam celebrare postularent; & si nimis abnueret, illi eum ex suo nomine constringerent, quatenus per se ipsum sacrosancta mysteria celebraret. qui nesciens quid ageret, quia & ante superni inspectatoris oculos ipsa nocte peccauerat, & illos offendere non auderet; plus tamẽ homines, quàm Deum metuens, frigidissimo fonte æstuantia membra baptizans, ad offerenda terribilia Sacramenta processit. Et ecce vel cõscientia cor quatiente vel aqua venas penetrante, tanto frigore correptus est, vt nullo medicorũ adminiculo posset saluari, sed immanissima febrium valetudine perductus ad mortem, æterni Iudicis decreto animam reddere cogeretur.

* Musca.

28. Sed cæteris mortalibus his & huiuscemodi fraudibus à dia-

diabolo vel satellitibus eius illusis libet intueri sententiam Domini, qua firmissimam S. Petri confessionē remunerans ait: Quia tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meā, & portę inferi non præualebunt aduersus eam; in his etiā periculosissimis & nequissimis dieb⁹ inconcussam & imobilē permanere, vt inter æmulos semper inuidia debacchatur, soleñe Romanis & cōsuetudinariū fuit, vt omnes alicui⁹ momenti ad Sedē Apostolicā per tēpora subrogati iugiter essent infensi vel poti⁹ infesti. Vnde contigit, vt quidā illorum inuidia cæcati sanctę recordatiōis LEONI Papæ, cuius supra fecimus mentionē, mortiferum crimen imponentes, cū cæcare fuissent aggressi; diuino vero nutu conterriti sunt, & retracti, ne oculos ei⁹ eruerent, sed rasorijs per medios inciderent. quod cū clanculo per familiares suos MICHAELI Imperatori Constātinopoleos indicari fecisset; & ille omne auxiliū ab eo retraheret, dicens: Ille Papa regnum habet per se, & nostro prędstanti⁹; ipse se per se ipsum vindicet de aduersarijs suis. Tunc sanctus ille diuinā constitutionem secut⁹, vt qui iam re ipsa rector & imperator plurimarū erat nationū, nomē quoq; Imperatoris Cęsaris & Augusti Apostolica authoritate gloriosi⁹ assequeretur, inuictum Karolum Romam venire postulauit. qui vt semper in expeditione & ꝓcinctu bellico positus erat, statī cum apparitorib⁹ & schola tyronū, causę vocationis suę penit⁹ ignarus ad caput quondā orbis absq; mora petrexit. cumq; perditissimi populi inopinatū illi⁹ comperissent aduentū, quasi passeres à conspectu domini sui cognomine nūcupati solēt celari, ita per diuersa latibula, criptas & profugia sunt abstrusi. Sed cū industriā & sagacitatem ei⁹ sub cęlo non possent euitare, ad Basilicā S. Petri capti & cathenati ꝑducti sunt. Illic intemerat⁹ pater Leo assumēs Euangeliū Domini nostri Iesu Christi, posuit super caput suum, & in conspectu Karoli eiusq; militum, assistentib⁹ etiam

Matth. 16.

Leo. III.

Ccc perse-

persecutorib⁹ suis, in hæc verba iurauit: Sic in die magni iudicij sim particeps Euangelij, sicut im̃unis sum criminis falso mihi ab istis obiecti. Et mox terribilis Karolus dixit ad suos: Cauete ne quis de illis euadat. Omnes itaq; cõprehensos vel diuersis mortib⁹, vel irremeabilibus damnauit exilijs. Cum autẽ ibidẽ aliquot diebus reparandi exercit⁹ gratia moraretur, cõuocauit Antistites Apostolicus de vicinis partib. quoscunq; potuit; & corã positis illis, & inuincibilib⁹ gloriosissimi Karoli Comitibus, nihil minus suspicantẽ ipsũ pronunciauit Imperatorẽ, Defensoremq; Ecclesię Romanę. Quod cũ ille non potuisset abnuere, quod diuinitus sic procuratũ crederet, non tamen gratanter suscepit, pro eo q, putaret Gręcos maiore succẽsos inuidia aliquid incom̃odi regno Francorũ machinaturos; imo potiori cautela prouisuros, sicut tunc fama ferebat, ne Karolus insperato veniens regnũ illorũ suo subiugaret imperio. Et maximè, quia pridẽ magnanim⁹ Karolus, cũ legati Regis Bizantini venirent ad se, & de domino suo illi suggererent: quod fidelis ipsi amicus esse voluisset, & si viciniores essent, eum filij loco nutrire & paupertatem illius releuare decreuisset, feruentissimo igne se intra pectus retinere nequeunte, in hæc verba prorupit: O vtinam non esset ille gurgiculus inter nos, forsitã diuitias Orientales aut partiremur, aut pariter participando communiter haberem⁹. Quod ignari paupertatis Affricanæ solẽt de Affrorum Rege narrare. Innocentiã verò beati Leonis Papæ ita donator & restitutor sanitatis approbauit, vt post illam pœnalẽ & crudelissimam incisionem, clariores, quàm antea fuerint, ei condonauerit oculos; excepto, quod in signũ virtutis illius, pulcherrima cicatrix in modum fili tenuissimi turturinas acies niueo candore decorabat.

29. Ne vero ab imperitis arguar imperitię, quod mare, quod gurgiculi maximus appellauit Imperator, inter nos & Græcos,

cos, ex eius ore situm retulerim, nouerint qui volunt, adhuc Hunos & Vulgares & plures alias immanissimas nationes intactas & integras, iter ad Græciam terrestre negare; quas tamen postea bellicosissimus Karolus vel terræ coæquauit, vt omne Sclauorum genus, & VVlgarum; vel penitus eradicauit, vel ferreorum adamantinorumuè progeniem, & non Hunorum, de quibus mox docebo, si prius de ædificijs, quæ Cæsar Augustus Karolus apud Aquisgrani, iuxta sapientissimi Salomonis exemplum, Deo, vel sibi, vel omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, & cunctis de toto orbe venientibus hospitibus mirificè construxit, iuxta pauca satis & minima cõmemorem.

Cum strenuissimus Imperator Karolus aliquam requiem habere potuisset, non otio torpere, sed diuinis seruitijs voluit insudare, adeo vt in genitali solo Basilicam antiquis Romanorum operibus præstantiorem fabricare propria dispositione molitus, in breui compotem se voti sui gauderet. Ad cuius fabricam de omnibus cismarinis regionibus magistros & opifices omnium id genus artium aduocauit. Super quos vnũ Abbatem cunctorum peritissimum ad executionem operis, (ignarus eius fraudium) constituit; Qui mox vt Augustus quoquam secessit, precio accepto quos volebat ad propria remisit, qui vero se redimere nequiuerunt, vel à dominis suis absoluti non sunt, sicut quondã Ægyptij populum Dei iniquis operibus afflixerunt; ita immensis laborib. oppressit, vt nunquã eos aliquantulũ requiescere pateretur. De tali ergo fraudulentia cum infandum pondus auri & argenti, sericorumq; palliorum congregasset, & viliora suspendens in camera, preciosiora quæq; in arcis vel scrinijs absconsa cõcluderet, ecce repẽte domus eius inflamata, à referẽtibus illi nunciatũ est, qui cõcitus accurrens

30.

& per medios flammarum globos in conclaue, quo scrinia auro plena seruabantur, irrumpens, & cum vno tantùm exire nolens, singula singulis imposuit humeris, & exire cœpit. Interea vna trabes pergrandis ignibus euicta cecidit super eum, & corpus quidem materiali combussit incendio, animam verò transmisit ad ignem, qui non succenditur. Ita diuinum iudicium pro religiosissimo Karolo vigilauit, vbi ipse regni negocijs occupatus minùs intendit.

31. Erat ibidem alius opifex in omni opere æris & vitri cunctis excellentior. Cumq; TANCHO monachus sancti Galli campanum optimum conflaret, & eius sonitum Cæsar non mediocriter miraretur, dixit ille præstantissimus in ære magister, Domine Imperator, iube mihi cuprum multum afferri, vt excoquam illud ad purum, & in vicem stanni fac mihi quantum opus est de argento dari, saltem centum libras, & fundo tibi tale campanum, vt istud in eius comparatione sit mutum. Tum liberalissimus Regum, cui licet diuitiæ affluerent, ipse tamen cor illis non apponeret, facilè iussit omnia, quæ petebantur, exhibere. Quæ miser ille assumens, lætus exiuit, & æs quidem conflans & emundans, in locum verò argenti purgatissimũ stannum subiiciens, multo melius optimo illo, de adulterato metallo campanum in breui tempore perfecit, probatumq; Cæsari præsentauit. Quod ille propter incomparabilem comparationem satis admiratus, immisso ferro pulsatorio iussit in campanario suspendi. Quod cùm sine mora factum fuisset, & custos Ecclesiæ vel reliqui capellani, nec non & erronei tyrones illud ad sonitum perducere, alij succedentes aliis niterentur, & nihil efficere potuissent, tandẽ indignatus auctor operis, & cõmentor inauditę fraudis, apprehẽso fune traxit æramentum: & ecce ferrum de medio elapsum in verticẽ ipsius cum iniquitate sua descendit, & per cadauer iam iamq; defunctũ

pertran-

pertranſiens ad terrã cum inteſtinis virilibus venit. Memoratum verò pondus argenti repertum præcepit iuſtiſſimus Karolus inter indigentes Palatinos diſpergi.

32. Fuit conſuetudo in illis temporibus, vt vbicunque aliquod opus ex Imperiali præcepto faciendum eſſet, ſi quidem pontes vel naues, aut traiecti, ſiue purgatio, ſeu ſtramẽtum, vel impletio cœnoſorum itinerum, ea Comites per vicarios & officiales ſuos exequerentur, in minoribus duntaxat laboribus; à maioribus autem, & maximè nouiter extruendis nullus Ducum vel Comitum, nullus Epiſcoporũ vel Abbatum excuſaretur aliquo modo. Cuius rei teſtes adhuc ſunt arcæ pontis Magontiacenſis, quẽ tota Europa cõmuni quidẽ, ſed ordinatiſſimè participationis opere pfecit, fraudulentiam verò quorundam maleuolorũ, & de nauium ſubuectione mercedes iniquiſſimas compilare volentium conſumpſit. Si verò eſſent Eccleſiæ ad ius regium propriè pertinentes, laquearibus vel muralibus ordinandæ picturis, id à vicinis Epiſcopis aut Abbatibus curabatur. Quod ſi nouæ fuiſſent inſtituendę, oẽs Epiſcopi, Duces & Comites, Abbates etiam, vel quicunq; regalibus Eccleſiis præſidentes, cum vniuerſis, qui publica conſecuti ſunt beneficia, à fundamẽtis vſq; ad culmen inſtantiſſimo labore perduxerunt: ſicut adhuc pbat non ſolùm Baſilica illa diuina, ſed & humana apud Aquiſgrani, & manſiones omniũ cuiuſquam dignitatis hominum, quę ita circa palatium peritiſſimi Karoli, eius diſpoſitione conſtructæ ſunt, vt ipſe per cancellos ſolarij ſui cuncta poſſet videre, quæcunq; ab intrantibus vel exeuntibus quaſi latenter fierent. Sed & ita procerum habitacula à terra erant in ſublime ſuſpenſa, vt ſub eis non ſolùm militum milites & eorum ſeruitores, ſed omne genus hominum ab iniurijs imbrium vel niuiũ vel gelu caminis poſſent defendi, & nequaquã tamen ab oculis acutiſſimi Karoli valerent

 abſcon-

abſcondi. Cuius ædificij deſcriptionem ego Incluſus abſolutis cancellariis veſtris relinquens, ad iudiciũ Dei, quod circa illud factum eſt, explicandum reuertor.

33. Præuidentiſſimus igitur Karolus quibuſcunque primoribus in proximo conſtitutis præcepit, vt opifices à ſe directos omni induſtria ſuſtẽtare, & cuncta ad opus illud neceſſaria ſubminiſtrare curarent; qui verò ex longinquis partibus aduenissent, commendauit eos præpoſito domus ſuæ nomine LEVTFREDO, vt eos de publicis rebus aleret & veſtiret; ſed & cuncta, quæ ad conſtructionem illam pertinerent, ſedulus impendere ſemper inſtaret. Quod cum illo in eodem loco ſedente aliquantulum faceret, recedente verò omnimodo ceſſaret, tantas pecunias idem præpoſitus de miſerorum illorum cruciatibus aggregauit, vt eas mammonas Pluton atq; Dis non aliter quàm vehiculo cameli poſſent ad inferna perducere, quod ita mortalibus compertum eſt. Glorioſiſſimus Karolus ad nocturnas Laudes pendulo & ꝓfundiſſimo pallio (cuius iam vſus & nomẽ receſſit) vtebatur. Expletis verò hymnis matutinalibus ad caminatam reuerſus, Imperialibus veſtimentis pro tempore ornabatur; clerici verò cuncti ita parati, ad antelucana veniebant Officia, vt vel in Eccleſia, vel in porticu, quæ tunc curticula dicebatur, Imperatorem ad Miſſarum ſolennia proceſſurum vigilantes expectarent; aut qui opus habuiſſet, in ſinu compatris ſui, capur paululum reclinaret. Quidam ergo pauperculus ex eis, qui domum ſupradicti Liutfredi abluendarum ſeu reſarciendarum (ſicut exiguis opus eſt Palatinis) veſtium vel potius pannorũ cauſa frequentare ſolebat, ſuper genua ſocij ſui dormiens, vidit gigantẽ Antoniano illo aduerſario proceriorem de Curte regico ſuper riuulum illum per traiectum, ad domum illius properantem, & camelum immaniſſimũ inæſtimabili ſarcina prægrauatum

ad vl-

ad vlteriora trahentem; & obstupefactus in somno, quæsiuit ab eo, de qua regione veniret, aut quo tendere voluisset; qui respondit, De domo Regis ad domum Luitfredi pergo, vt eum super hos fasces imponam, & pariter cum eis in infernum demergam. Ad quam visionem expergefactus clericus & maiore metu conterritus, ne eum terribilis Karolus dormientem reperiret, mox caput eleuans, & cæteros ad vigilandum prouocans, in hęc verba prorupit: Si vultis audire somnium meum? Videbar mihi videre Polyphemiū illum, qui in terra gradiens alta pulsat sydera, & in medio Ionio latera non cingit ardua, de hac Curte ad domū Luitfredi cum onerario properantem camelo; cumq; causas eius itineris inquisissem, dixit ille, Luitfredū super hæc onera ponere & ad inferna deducere cōtendo. Hac relatione nondū expleta venit puella de domo eius omnibus notissima, & ante pedes eorum procidit implorans, vt memoriam amici sui Luitfredi dignarentur habere. Illis autem interrogantibus, quid causæ haberet; dixit illa: Domini mei, sanus ad latrinam exiuit, & cum ibi diutius moraretur, egredientes defunctum inuenimus illum. Cuius cum subitanea mors Imperatori comperta fuisset, & ab opificibus & reliqua familia tenacia vel auaritia illius iam liberè proderetur, iussit thesauros eius perquiri: Qui cum inæstimabiles inuenirentur, sciretq; iudex post Deum iustissimus, de qua iniquitate congregati fuissent, publicè pronunciauit, Non potest aliquid ex his, quæ iniustè fraudauit, ad liberationem illius miseri proficere. Diuidantur itaq; inter operarios huius ædificij tenuioresq; palatij nostri.

34. Duo sunt adhuc referenda, quę in eodē contigerunt loco. Quidam Diaconus iuxta consuetudinem cisalpinorum contra naturam pugnare solitus, balneas trans caput suum pressissimè radi faciens, cutem expoliuit, vngues murcauit, capillos-

capilloſq; breuiſſimos quaſi ad circinum tornando decurtauit, lineas & camiſiam candidiſſimas induit: & quia deuitare non potuit, quin potius per hoc glorioſior appareret, ſponte coram ſummo Deo & ſanctis Angelis, & in conſpectu ſeueriſſimi Regis & procerum eius, Euangelium (vt ex conſequentibus patuit) polluta conſcientia legere præſumpſit. Inter legendũ verò aranea de laquearijs per fila ſubito deſcendens caput eius percuſſit, & celerrimè ad ſuperna retraxit. Quod cum diſtrictiſſimus Karolus ſecundo ac tertio prouideret, & diſſimulando fieri permitteret, clericus vero propter timorem illius ſe defendere non auderet; maximè cum nõ araneã ſe impetere, ſed muſcas inquietare putaret, Euangelica lectiõe perlecta reliquum etiam compleuit Officium. Egreſſus autem de Baſilica mox intumuit & infra vnius horę ſpacium defecit. Religioſiſſimus vero Karolus pro eo quod vidit & non prohibuit, quaſi homicidij reum publica ſeipſum pœnitentia mulctauit.

35. Habuit incomparabilis Karolus incomparabilẽ clericum in omnibus, de quo illud ferebatur, quod de nullo vnquam mortalium: quia videlicet & ſcientia literarum ſecularium atq; diuinarum, cantilenæq; Eccleſiaſticæ vel iocularis nouaq; carminum compoſitione ſiue modulatione, inſuper & vocis dulciſſima plenitudine ineſtimabiliq; delectatione cunctos præcelleret. Cumq; & ipſe legiſlator (*id eſt Moyſes*) ex instructione diuina ſapientiſſimus de gracilitate vocis vel diſpendio linguæ tardioris cauſetur: Et diſcipulũ (*id eſt Ioſue*) ex autoritate inhabitantis in ſe Dei clementis (*id eſt Soli ad Gabaon*) cæleſtibus imperantem ad conſulta (*ſcilicet Moyſes*) mittat Eleazari: Et Chriſtus Dominus noſter vel eum, quo inter natos mulierum maiorem nõ ſurrexiſſe teſtatur, nullũ in corpore ſignum operari conceſſerit: Et eum quem paterna reuelatione ſeipſum cognoſcere voluit,

Exod. 4. *Ioſue 10.* *Num. 27.* *Matth. 11.* *Matth. 16.*

luit, clauibusq; regni cælorum donauit, Pauli sapientiam mirari voluerit: Discipulumq; plus cæteris dilectum in tantam cadere trepidationem permiserit, vt in locum sepulchri eius ingredi nó præsumeret, cùm illud imbecilles mulierculæ sępius frequentarēt. Sed illi, sicut scriptum est, Omni habenti dabitur; scientes à quo haberent, etiam quæ minus habuêre, consecuti sunt. Iste vero nesciens vnde haberet; vel sciens, auctori donorum dignè gratias non egit, cuncta pariter amisit. Nam cum veluti familiarissim⁹ iuxta gloriosissimum Cæsarem constitisset, subito non comparuit. Cumq; ad tam inauditam & incredibilem rem inuictissimus Imperator Karolus obstupefactus fuisset, sed tandem resipiscens se cruce Domini consignaret, inuenit in eo loco in quo steterat ille, quasi carbonem deterrimum & modò extinctum.

Gal. 2. *Ioan. 20.* *Matth. 25.*

36. Nocturnum atq; pendulum Augusti pallium adhuc nos à bellico procinctu retrahit. Erat antiquorum ornatus vel paratura Francorum, calceamenta forinsec⁹ aurata, corrigijs tricubitalib⁹ insignita, fasciolæ crurales vermiculatæ, & subtus eas tibialia * vel coxalia linea, quamuis ex eodem colore, tamen opere preciosissimo variata. Super quæ & fasciolas in crucis modum * intrinsecus ante & retro longissimè illę corrigiæ tendebantur. Deinde camisia * cilitina; post hæc baltheus spatæ colligatus, quæ spata primum * vagina, secundò corio qualicunq;, tertiò linteamine candidissimo, cera lucidissima roborato ita cingebatur, vt per medium cruciculis eminentibus ad peremptionē gentilium * duraretur. Vltimum habitus eorum erat pallium canum vel saphirinū quadrangulum, duplex, sic formatum, vt cum imponeretur humeris, ante & retro pedes tangeret, de lateribus verò vix genua * tangeret: Tunc baculus de arbore Malo, nodis paribus admirabilis, rigidus, & terribilis cuspide manuali, ex auro vel argento, cum cælaturis insignibus prefixo portabatur

** al. ac*

** al. intrinsecus & extrinsecus, ante & retro longissimæ*

** al. glizina*

** al. vagina sagea, Secundò*

** al. auraretur*

** al. contegeret: Tum*

in dextera. Quo habitu lentus ego & teſtudine tardior, cùm in Franciam nunquam venirem, vidi caput Francorum in Monaſterio ſancti Galli præfulgens, duosq; flores auricomos ex eius femoribus progreſſos, quorũ qui prior egreſſus eſt, proceritatem illius adæquabat: poſterior autem paulatim excreſcens verticem ſtipitis ſui ſumma gloria decorauit, & tranſcendendo contexit. Sed, vt ſe mos humani habet ingenij, cùm inter Gallos Franci militantes virgatis eos ſagulis lucere conſpicerent, nouitate gaudentes, antiquam conſuetudinẽ dimiſerunt, & eos imitari cœperunt. Quod interim rigidiſſimus Imperator idcirco non prohibuit, quia bellicis rebus aptior videretur ille habitus. Sed cum Freſones hac licentia abutentes aduerteret, & breuiſſima illa palliola, ſicut prius maxima, vendere comperiſſet; præcepit vt nullus ab eis niſi grandia latiſſimaq; illa longiſſima pallia cõſuetudinario precio coëmeret, adijciens, Quid proſunt illa putaciola? in lecto non poſſum eis cooperiri, cauallicans contra ventos & pluuias nequeo defendi, ad neceſſaria naturæ ſecedens tibiarum congelatione deficio.

INCIPIT PRÆFATIO LIBRI SECVNDI.

IN præfatione huius opusculi tres tantum auctores me secuturũ spopondi: sed quia præcipuus eorum VVERNBERTVS *septimo die de hac vita recessit; & debemus hodie, id est, III. die Kal. Iunij, Cõmemorationẽ illius orbi filij discipuliq; agere, hoc fiat terminus libelli istius (qui) ex sacerdotis eiusdẽ ore de religiositate & Ecclesiastica domini Karoli cura processit. Sequens vero de bellicis rebus acerrimi Karoli ex narratione* ADALBERTI *patris eiusdem VVernberti cudatus. Qui cum domino suo* KEKARDO *& Hunisco, & Saxonico vel Sclauico bello interfuit. Et cum iam valde senior paruulum me nutriret, renitentem, & sæpius effugientem, vt tandem coactum de his instruere solebat.*

Cudatus.

LIBER SECVNDVS

DE

GESTIS CAROLI MAGNI.

1. EX relatione ſecularis hominis, & in ſcripturis minus eruditi ſermonem facturi, non ab re credimus, ſi iuxta fidem ſcriptorum pauca de ſuperioribus ad memoriam reuocemus. Cùm Deo odibilis Iulianus in bello Perſico cælitus fuiſſet peremptus, & à regno Romanorum non ſolum tranſmarinæ prouinciæ, ſed & proxima Pannonia, Noricus, Retia vel Germania, Franciq; vel Galli defeciſſent; Ipſiq; Reges Gallorum vel Francorum propter interfectionẽ ſancti Deſiderij Vienenſis Epiſcopi, & expulſionem ſanctiſſimorum aduenarum Columbani videlicet & Galli, retrolabi cœpiſſent, gens Hunorum prius per Franciam & Aquitaniam, vel Gallias vel Hiſpanias latrocinari ſolita; tota ſimul egreſſa, quaſi latiſſimum incendium, cuncta deuaſtans, reliquias, quæ remanere poterant, ad tutiſſima latibula comportauit. Quæ huiuſmodi fuerunt, ſicut Adalbertus mihi narrare conſueuerat.

2. Terra, inquiens, Hunorum IX. circulis cingebatur: & cùm ego alios circulos niſi VI. in eos cogitare neſcius, interrogarem: Quid illud miraculi fuit Domine? Reſpondit nouem hegin muniebatur. Cùmq; & illos alterius generis eſſe neſcirem, niſi quatenus ſegetibus ſolent prætendi, inquiſitus etiam de hoc dixit: Tam latus fuit vnus circulus,

hoc

hoc est tantum intra se comprehendit, quantum spacium est de castro Turico ad Constantiam: ita stipitibus quercinis, faginis, & abieginis extructus, vt de margine ad marginem XX. pedes tenderetur in latum, & totidem subrigeretur in altum. Ciuitas autem vniuersa, aut durissimis lapidibus, aut creta tenacissima repleretur. Porro superficies vallorū eorundem integerrimis cespitibus tegeretur. Inter quorum confinia plantabantur arbusculæ, quæ vt cernere solemus, abscissæ atque proiectæ comas caudicum foliorumq; proferunt. Inter hos igitur aggeres ita vici & villæ erant locatæ, vt de alijs ad alias vox humana posset audiri. Contra eadem verò ædificia inter inexpugnabiles illos muros portæ non satis latæ erant constitutæ, per quas latrocinandi gratia non solum exteriores, sed etiam interiores exire solebant. Item de secundo circulo, qui similiter vt primus erat extructus XX. milliaria Teutonica, quæ sunt XL. Italica, ad tertium vsq; tendebatur. Similiter vsq; ad nonum. Quamuis ipsi circuli alius alio multo contractiores fuerint. De circulo quoq; ad circulum sic erant possessiones & habitacula vndiq; versum ordinata, vt clangor tubarum inter singula posset cuiusque rei significatiuus aduerti. Ad has ergo munitiones, per ducentos & eo amplius annos, qualescunq; omnium Occidentalium diuitias congregantes; cùm & Gothi & VVandali quietem mortalium perturbarent, orbem Occiduum pænè vacuum dimiserunt. Quos tamen inuictissimus Karolus ita in annis octo perdomuit, vt de eis minimas quidem reliquias remanere permiserit. A VVlgaribus verò ideo manum retraxit, quia videlicet Hunis extinctis regno Francorum nihil nocituri viderentur. Porro prædam in Pannonia repertam per Episcopia, Monasteria, liberalissimâ diuisione, distribuit.

3. In bello autem Saxonico cum per semetipsum aliquando fuisset occupatus, quidam priuati homines, quorum etiam nomina designarem, nisi notā arrogantię deuitarem, testudine facta muros firmissimę ciuitatis vel aggeris acerrimè destruebant. Quod videns iustissimus Karolus primum illorum cum consensu domini sui KEROLDI præfectum inter Rhenum & alpes Italicas instituit.

4. Ibidem verò cum duorum Ducum filij ad tentorium Regis excubare deberent, & potibus ingurgitati iacerent, vt mortui: Porro ille iuxta consuetudinem suam sæpius euigilans & castra circuiens, sensim & pænè nullo cognoscente ad tabernaculum regressus est. Mane autem facto, cōuocatis ad se cunctis regni primorib⁹ interrogauit, qua pœna dignus esset, qui caput Francorū in manus hostium tradidisset. Tunc prętati Duces earundē rerum penitus ignari eiusmodi hominem condemnauerunt ad mortem: ipse verò durissimis verbis coërcitos dimisit illæsos.

5. Erant quoq; ibi duo nothi de genitio Columbrensi procreati. Qui cum fortissimè dimicarent, requisiuit Imperator ab illis: Qui & vnde nati essent. Quo comperto, meridiano tempore eos ad tabernaculū suum vocatos sic allocutus est, Boni iuuenes volo vt mihi, non alij seruiatis: qui cùm se ad hoc venisse testarentur, vt vel vltimi in eius essent obsequio, dixit ille, Ad cameram meam seruire debetis. Quod indignatione simulata libenter se facturos esse etiam dum faterētur. captato tempore, quo Imperator quiescere cœpisset, exierunt ad castra aduersariorum, & tumultu concitato suo vel hostium sanguine seruitutis notam diluerunt.

6. Inter huiusmodi tamen occupationes nullo modo magnanimus prętermisit Imperator, quin ad longissimarū partium Reges alios atq; alios dirigeret literarum vel munerum porti-

portitores: à quibus illi omnium Prouinciarum ſunt honores directi. Cum igitur de ſede Saxonici belli legatos ad Regẽ Conſtantinopoleos deſtinaret; interrogauit ille, Vtrum pacatum eſſet regnum filij ſui Karoli; vel ſi à finitimis gentibus incurſaretur. Cumque miſſorum primus aliâs omnia pacata referret, niſi quod gens quædam, qui Saxones vocantur, creberrimis latrocinijs Francorum fines inquietarent: dixit homo torpens otio, nec vtilis belli negocio: Heu quare laborat filius meus contra hoſtes pauciſſimos; nullius nominis, nulliuſq; virtutis? Habeas tu gentem illam cum omnib⁹ ad eam pertinentibus. Quod cum reuerſus bellicoſiſſimo Karolo nunciaret; arridens ille dixit ei, Multo melius tibi Rex ille conſuluiſſet, ſi vnum lineum femorale ad tantum iter tibi tribuiſſet.

7. Non videtur occultanda ſapientia, quam ſapienti Græciæ idem miſſus aperuit. Cum autumnali tempore ad vrbem quandam regiam cum ſocijs veniſſet, alijs alio diuiſis, ipſe cuidam Epiſcopo commendatus, qui cùm ieiunijs & orationibus inceſſanter incumberet, Legatum illum pęnè continua mortificauit inedia. Vernali autem tempore iam aliquantulũ arridente, præſentauit eum Regi. Qui & interrogauit eum, qualis ſibi idem videretur Epiſcopus. At ille ex imis præcordijs alta ſuſpiria trahens, Sanctiſſimus eſt, ait, ille veſter Epſ, quantum ſine Deo poſſibile eſt. Ad q ſtupefactus Rex, Quomodo, inquit, ſine Deo aliquis ſanctus eſſe poteſt? Tum ille, Scriptũ eſt, inqt, Deus charitas eſt, qua iſte vacuus eſt. Tunc Rex vocauit eum ad conuiuium ſuum, & inter medios proceres collocauit: à quibus talis lex conſtituta erat, Vt nullus in menſa Regis indigẽa ſiue aduena aliq animal, vel corpus animalis in partem aliam verteret, ſed ita tantum vt poſitum erat de ſuperiore parte manducaret. Allatus eſt autẽ piſcis fluuialis, & pigmentis infuſus in diſco poſitus.

1. Ioan. 4.

Cumq;

Cumq; hoſpes idem cõſuetudinis illius ingnarus piſcem illum in partem alteram giraret, exurgentes omnes dixerunt ad Regem: Domine ita eſtis inhonorati, ſicut nunquã anteriores veſtri. At ille ingemiſcens dixit ad Legatum illum, Obſtare non poſſum iſtis, quin morti continuo tradaris: aliud pete quodcunq; volueris & complebo. Tunc parumper deliberans cunctis audientibus in hæc verba prorupit, Obſecro domine Imperator, vt ſecundũ promiſſionem veſtram concedatis mihi vnam petitionem paruulam. Et Rex ait, Poſtula quodcunq; volueris,& impetrabis, prçter quod contra legem Græcorum vitam tibi concedere non poſſum. Tunc ille, Hoc, inquit, vnum moriturus flagito, vt quicunq; me piſcem illum girare conſpexit, oculorum lumine priuetur. Obſtupefactus Rex ad talem conditionem iurauit per Chriſtum, quòd ipſe hoc non viderit, ſed tantum narrantibus crederet. Deinde Regina ita ſe cœpit excuſare, Per lætificam Theotocon Sanctam Mariam, ego illud nõ aduerti. Poſt reliqui Proceres, alius ante alium tali ſe periculo eruere ſatagentes: hic per clauigerum cæli, ille per doctorem gentium, reliqui per virtutes Angelicas, Sanctorumq; omnium turbas, ab hac ſe noxa terribilibus ſacramentis abſoluere conabantur. Tum ſapiens ille Francigena vaniſſima Hellade in ſuis ædibus exuperata, victor & ſanus in patriam ſuam reuerſus eſt.

8. Poſt annos autem aliquot direxit illuc indefeſſus Karolus quendam Epiſcopum præcellentiſſimum mente & corpore virum, adiuncto ei comite nobiliſſimo Duce, qui diutiſſimè protracti tandem ad prçſentiam Regis perducti & indignè habiti per diuerſiſſima ſunt loca diuiſi. Tandem verò aliquando dimiſſi cum magno nauis & rerum diſpendio redierunt.

9. Non poſt multum autem direxit idem Rex legatarios

ſuos

ſuos ad glorioſiſſimũ Karolum. Fortè verò contigit, vt tunc idem Epiſcopus cum Duce præfato apud Imperatorẽ fuiſſent. Nũciatis igitur Legatis venturis, dederunt conſilium ſapientiſſimo Karolo, vt circumducerẽtur per alpes & inuia, donec attritis omnibus & conſumptis ingenti penuria confecti ad conſpectum illius venire cogerentur. Cumq; veniſſent, fecit idem Epiſcopus & ſocius eius, Comitem Stabuli in medio ſubiectorum throno ſuorum ſublimi conſidere, vt nequaquã alius quàm Imperator credi potuiſſet: Quem vt Legati viderunt, corruentes in terra adorare voluerunt, ſed à miniſtris repulſi ad interiora ꝓgredi ſunt compulſi. Quo cum venirent, videntes Comitẽ palatij in medio Procerum concionantem, Imperatorem ſuſpicati, terratenus ſunt proſtrati; cumq; & inde colaphis ꝓpellerentur, dicentibus, qui aderant, Non eſt hic Imperator. In vlteriora progreſſi, & inuenientes Magiſtrum regiæ cum miniſtris ornatiſſimis, putantes Imperatorẽ, deuoluti ſunt in humum. Indeq; repulſi repererũt in Cõſiſtorio cubicularios Imperatoris circa Magiſtrum ſuum; de quo non videretur dubium, quin ille Princeps poſſet eſſe mortaliũ. Qui cùm ſe quod non erat, abnegaret, pollicebatur tamẽ, quod cum Primoribus palatij moliretur, quatenus ſi fieri potuiſſet, in præſentiam Imperatoris Auguſti peruenire deberent. Tunc ex latere Cæſaris directi ſunt, qui eos honorificè introducerent. Stabat autẽ glorioſiſſimus Regum Karolus iuxta feneſtram lucidiſſimã, radians ſicut ſol in ortu ſuo, gemmis & auro conſpicuus, innixus ſuper HETTONEM, hoc quippe erat nomen Epiſcopi, ad Conſtantinopolim quondã deſtinati. In cuius vndiq; circuitu conſiſtebant inſtar militiæ cæleſtis, tres videlicet iuuenes filij eius, iam regni participes effecti, filiæq; cum matre non minus ſapientia vel pulchritudine quàm monilibus ornatæ; Pontifices forma & virtutibus incõparabiles, præſtantiſſimi

 nobili-

nobilitate simul & sanctitate Abbates. Duces verò tales qualis quondã apparuit Iosue in castris Galgalę: Exercitus vero talis, qualis de Samaria Syros cũ Assyrijs effugauit; vt si Dauid medius esset, hæc non immeritò præcinuisset: Reges terræ & oẽs populi, principes & oẽs iudices terræ, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Dñi. Tunc cõsternati missi Gręcorũ, deficiente spiritu & consilio pdito, muti & exanimes in pauimentũ deciderũt; quos benignissimus Imperator eleuatos cõsolatorijs allocutionib⁹ animare conatus est. Tandẽ itaq; cum exosum quondã & abiectum à se Hettonem in tali gloria vidissent, iterũ pauefacti tamdiu volutabantur humi, donec eis Rex per Regẽ cælorũ iuraret, nihil se illis mali in nullo facturum. Qua sponsione roborati aliquantulum fiducialius agere cœperunt. Patriamq; reuersi, non sunt vlterius ad nostra progressi.

Psal. 148.

10. Hîc replicandũ videtur, quàm sapientissimos homines præclarissimus Karolus habuerit in omnibus. Cum igitur Græci post Matutinas laudes Imperatori celebratas, in octaua die Theophanię secreto in sua lingua psallerẽt, & ille occultat⁹ in proximo carminũ dulcedine delectaretur, pręcepit clericis suis vt nihil ante gustarent, quàm easdem antiphonas in Latinum conuersas ipsi præsentarent. Inde est ꝙ omnes eiusdem sunt toni, & quod in vna ipsarũ pro, contriuit, conteruit, positum inuenitur. Adduxerunt etiam ijdem missi omne genus organorum, sed & variarum rerũ secum, quę cuncta ab opificibus sagacissimi Karoli, quasi dissimulãter aspecta, accuratissimè sunt in opus conuersa, & præcipuè illud musicorum organum præstantissimũ, quod DELVS ex ære conflatis follibusq; taurinis per fistulas æreas mirè perflantibus, rugitum quidem tonitrui boatu, garrulitatẽ verò lyræ vel cymbali dulcedine coæquabat: ꝙ vbi positũ fuerit, quãdiuq; durauerit, & quomodo inter alia post damna perierit, non est huius loci vel temporis enarrare.

Per

Per idem tempus etiam Legati Persarum ad eum directi sunt, qui situm Franciæ nescientes, pro magno duxerunt non littus Italię, propter famositatem Romæ, cui tunc illum imperare cognouerant, apprehendere valuissent. Cumque Episcopis Campaniæ vel Tusciæ, Æmiliæ vel Luguriæ, Burgundiæq; siue Galliæ simul & Abbatibus vel Comitibus causam aduentus sui nunciassent, dissimulanterq; ab eisdem suscepti, vel expulsi fuissent; tandem post anni reuolutum circulum apud Aquisgrani famosissimum virtutibus Karolũ defessi & nimio defecti receperunt circuitu. Venerunt autẽ illuc in maioris Quadragesimę hebdomada maiore: nunciatiq; Imperatori, dilati sunt ab eius cõspectu vsq; in vigiliam Paschę. Cumq; in festiuitate præcipua incõparabilis ille incõparabiliter adornatus fuisset, iussit introduci personas ei⁹ gentis, q̃ cuncto quondã esset orbi terribilis. Quib. excellentissimus Karolus ita terrificus videbatur, prę oĩbus, quasi nunq̃ Regem vel Imperatorẽ prius vidissent. Quos ille blãdè susceptos hoc munere ditauit, vt quasi vn⁹ de filijs ei⁹, vbicunq; vellent, ambulandi, & singula quæq; perspiciendi, & quæcunq; rogandi vel interrogandi licentiam haberent. Quo tripudio gestiẽtes ipsi adhęrere, ipsũ inspicere, ipsumq; admirari, cunctisq; orientalib⁹ præposuere diuitijs: Ascẽdentesq; in solariũ, ꝙ ambit ædem Basilicæ, & inde despectantes clerũ, vel exercitum, iterumq; atq; iterũ ad Imperatorem regredientes, ꝑpter lætitiæ magnitudinẽ risum tenere nequeuntes, cõplosis manibus aiebant: Prius terreos tm̃ homines vidim⁹, nunc autẽ aureos. Deinde ad singulos Procerũ accedentes, nouitatemq; vestimentorũ siue armorum admirati, ad mirabiliorẽ Augustũ sunt reuersi vel regressi. ꝙ cum eadem nocte & sequẽtę dñca iugiter in Eccl'a facerent, in ipso sacrosancto die ad opiparũ conuiuium opulentissimi Karoli cum Franciæ Europæuẽ Proceribus sunt inuitat: sed

tamen rerum miraculo perculsi propemodum exurrexere ieiuni. Postera Phœbæa spargebat lampade terras, Titoni croceum linquens aurora cubile, Cùm ecce quietis & ocij impatientissimus Karolus ad venatū bisontium vel vrorum in nemus ire & Persarum nūcios secum parat educere. Qui cum ingentia illa viderent animalia, nimio pauore perculsi in fugam conuersi sunt. At non territus heros Karolus, vt in equo sedebat, acerrimo appropinquans, vni eorū extracta spata ceruicem eius abscindere conabatur: Sed frustrato ictu galliculam Regis & flasciolam ferus immanissimus discumpens, tibiamq; illius summo licet cornu perstringēs, paulo tardiorem reddidit, & in conuallem tutissimam, lignis & lapidibus asperatam, casso vulnere irritatus aufugit. Cumq; ad obsequiū domini cuncti * hossas suas vellent extrahere, ille prohibuit dicens, Sic affectus ad Hildigardam venire debeo. Consecutus autem feram ISAMBARDVS filius VVARINI persecutoris patroni vestri OTMARI, cum propius non fuisset ausus accedere, librata lancea inter armum & guttur, cor eius penetrauit, & Imperatori palpitantem consignauit. quod cùm ille quasi non aduertisset, cadauere socijs relicto reuersus est domum: aduocataq; Regina, ostendit ocreas disruptas, & dixit ei: Quid dignus est, qui de hoste hæc infligente me liberauit? illaq; respondente, Omni bono: enarrauit Imperator cuncta per ordinem, & immanissimis cornibus in testimonium prolatis, ad lacrimas & suspiria pugnosq; pectoris dominatricē coëgit. quę cum audisset, quod tunc odibilis & cunctis honoribus expoliatus Isambardo Imperatorem de tali aduersario vindicasset, eius pedibus aduoluta impetrauit ei omnia, quæcunq; fuerant illi ablata; sed & ipsa eidem est munera largita.

* In margine hæc verba erant: Theuzer mit den Hosen.

12. Attulerant autem Persæ elephantum, & simias, opobalsamū, nardum, vnguentaq; varia, pigmenta, odoramenta vel

medi-

medicamenta diuersissima, adeo vt Orientem euacuasse & occidentem viderentur impleſſe. Cumq; multi apud Imperatorem familiaritate vti cœpiſſent, quadam die cum iam lætiores eſſent, & grecingario fortiori incaluiſſent, ad Karolum ſerietate ſobrietateq; ſemper armatum, ioculariter hæc prolocuti ſunt: Magna quidem eſt, ô Imperator, potentia veſtra, ſed multo minor rumore quo apud Orientalia regna diffamati polletis. Quo ille audito, & profundiſſima indignatione diſſimulata, ioculariter inquiſiuit ab eis, Cur ita filij mei dicitis? vel hoc vnde videtur? At illi repetentes à principio narrauerunt ei cuncta, quæ ſibi in ciſmarinis partibus contigerunt, dicentes, Nos Perſæ vel Medi, Armeniq; vel Indi, & Elamitæ, omneſq; Orientales multo magis vos quàm dominatorem noſtrum Aaron timemus. De Macedonibus autem vel Achiuis quid dicamus? qui iam iamque magnitudinem veſtram plus ſe fluctibus Ionij oppreſſuram pauitant. Inſulani autem omnes, per quos iter habuimus ad obſequium veſtrum ita prompti ſunt & intenti, quaſi in palatio veſtro nutriti fuerint, & beneficijs ingentibus honorati. Iſtarum autem Partium primores, vt nobis videtur, non ſatis curant de vobis, niſi tantum in præſentia veſtra. Nam cùm eis, vtpote peregrini, perinde ſuggereremus, vt aliquid nobis in veſtri amore, quia vos quærеremus, exhibere dignarentur, inadiutos & vacuos dimiſerunt. Tunc Imperator omnes Comites & Abbates, per quos ijdem miſſi profecti ſunt, cunctis honoribus denudauit. Epiſcopos autem infinita pecunia mulctauit vel damnauit: legatos verò cum ingenti cautela & honore ad vſq; proprios fines deduci præcepit.

Venerunt quoq; ad eum Legatarij Regis Afrorum, deferentes Leonem Marmaricum, vrſumq; Numidicum cum ferrugine Hibera Tyrioque murice, & cæteris earundem 13.

regionū insignibus. Quàm liberalissimus Karolus Lybicos quoq; iugi penuria confectos, Europæ diuitijs, frumento videlicet, vino & oleo non solum tunc, sed & omni tempore vitæ suæ remunerans, & larga manu sustentans, subiectos sibi atq; fideles in perpetuum retentauit, & ab eis non vilia tributa suscepit.

14. Porro autem Imperator Regi Persarum direxit nuncios, qui deferrent equos & mulos Hispanos, palliaque Frisonica alba, cana, vermiculata, vel Saphyrina, quæ in illis partibus rara & multum cara comperit, Canes quoque agilitate & ferocia singulares, quales ipse prius ad capiendos vel propellendos leones & tigrides postulauit. Qui cæteris muneribus quasi negligenter inspectis, requisiuit à missis, quas feras & bestias canes illi debellare solerent. Cumque responsum acciperet; quia cuncta quibus immissi fuissent, absq; mora discerperent. Hoc, inquit, rei probabit euentus. Et ecce crastina die factus est maximus pastorum clamor à facie leonis fugientium. Quod cum in aula Regis fuisset auditum, dixit ad Legatos: ô Socij Franci ascendite in equos vestros & exite post me. Qui statim quasi nihil vnquam laboris aut lassitudinis passi, alacriter sunt Regem prosecuti. Cum autem ad conspectum leonis eminus licet ventum fuisset, dixit satraparum (*quidam*) Instigate canes vestros in leonem. Qui iussa complentes, acerrimè aduolantes, à Germanicis canibus Persicum leonem comprehensum Hyperboreæ venæ gladijs duratis pro sanguine peremerunt. Quo viso nominis sui fortissimus Heros Aarō ex rebus minimis, fortiorem Karolum deprehendens, his verbis in eius fauorem prorupit: Nunc autem cognosco quàm sint vera, quæ audiui de fratre meo Karolo, qui scilicet assiduitate venandi, & infatigabili studio corpus & animum exercendi, cuncta quæ sub cælo sunt,

ſunt, conſuetudinem habet edomandi. Quid igitur ei poſſum condignum rependere, qui ita me curauit honorare? Si terram promiſſam Abrahæ & exhibitam Ioſue, dedero illi, propter longinquitatem locorum non poteſt eam defenſare à barbaris: vel ſi iuxta magnanimitatẽ ſuam defendere cœperit, timeo, ne finitimæ regno Francorum prouinciæ diſcedant ab eius Imperio. Sed tamen hoc modo liberalitati eius gratificari tentabo. dabo quidem illam in eius poteſtatem; & ego Aduocatus eius ero ſuper eam; ipſe vero quandocunque voluerit, vel ſibi opportuniſſimum videtur, dirigat ad me Legatos ſuos, & fideliſſimum me Procuratorem eiuſdem prouinciæ reddituum inueniet. Hoc ergo modo factum eſt, vt quod pro impoſſibili dixit poëta:

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim, Virg eccl 1.

Propter induſtriam victorioſiſſimi Karoli, exitum vel reditum miſſorum eius, & profectionem vel reuerſionem Legatorum Aaron de Parthia in Germaniã, ſiue de Germania in Parthiam, iuuenibus, pueris, & ſenioribus non ſolum poſſibile, ſed & facillimum videretur omnino. Vtrumlibet Ararim velint accipere Grammatici, eum videlicet qui Renum, vel illum qui Rhodanum * præcipat: quia hoc locorum confuderunt ignari. Ad huius rei teſtimonium totam ciebo Germaniam, quæ temporibus glorioſiſſimi Patris veſtri Ludvvici de ſingulis * nobis regalium poſſeſſionum ſingulos denarios reddere compulſa eſt, qui daretur ad redemptionem Chriſtianorum terram promiſſionis incolentium, hoc pro antiqua dominatione Ataui veſtri Karoli, auiq; veſtri Ludvvici ab eo miſerabiliter implorantium.

* *lego: præcipitat. Lucan. lib. 6. Rhodanumq; morantem Præcipitauit Arar.*
* *fort. hubis.*

Et quia ſe obtulit occaſio, vt de indicibili patre veſtro incideret honoranda mentio, libet commemorare præſagium, quod de illo ſapientiſſimũ conſtat protuliſſe Karolum. 15.

Nam

Nam cum natus & sex annis in domo patris cautissimè nutritus sexagenariis hominibus sapientior haud immerito videretur; genitor indulgentissimus, qui hoc vix ægrè expectauit, vt ad conspectum aui eum perducere potuisset, assumens puerum à matre delicatissimè curatum cœpit instruere, quàm seriè vel quàm timoratè ante Imperatorem se ageret, aut fortè interrogatus ei responderet, nec non & sibi ferre deberet: & sic eum ad palatium produxit. Cumq; prima die vel secunda inter reliquos statores eum in præcuriosioribus oculis intueretur, dixit ad filium, Cuius est ille puerulus? Illo respondente, Quia meus & vester, si dignamini. postulauit eum dicens, Da mihi illum. Quod cum factum fuisset, deosculatum serenissimus Augustus pusionem remisit ad stationem pristinam. Ille mox dignitatẽ suam cognoscens, & cuiquam post Imperatorem secundus manere despiciens, collectis animis, & membris compositissimè collocatis æquato gradu stetit iuxta patrem suum: quod prouidentissimus aspectans Karolus, vocato ad se filio præcepit, vt interrogaret * cognomen suum, cur ita faceret, vel qua fiducia se patri adæquare præsumeret: ille verò ratione subnixum reddidit responsum: Quando, inquiens, vester eram vasallus, post vos vt oportuit inter cõmilitones meos steteram: nunc autem vester socius cõmilito non immeritò me vobis coæquo. Quod cùm Ludvvicus Imperatori retulisset, ille huiusmodi sententiam promulgauit, Si vixerit puerulus iste, aliquid magni erit. Quæ verba ideo de Ambrosio mutuati sumus, quia Karolus, quæ dixit, non possunt examussim in Latinum conuerti. Nec immerito prophetiam de sancto Ambrosio, Magno accommodauerim Ludvvico, qui exceptis eis rebus & negocijs, quibus respublica terrena non subsistit, coniugio videlicet vsuq; armorum, per omnia simillimus, imo etiam quantum quoq; potentia regni, tantum

* *leg. cognominem*

Paulinus in vita S. Ambrosij: Pater ait: Si vixerit infantulus iste aliquid magni erit.

tantum religionis ſtudio, ſi dici liceat, quodammodo maior extiterit Ambroſio. Fide ſcilicet Catholicus, Dei cultor eximius, ſeruorum Chriſti ſocius, tutor & defenſor indefeſſus. Quod adeò verum eſt, vt cum fidelis eius, Abba noſter Hart. nunc autem veſter Incluſus, ei retulerit, quod reiculæ ſancti Galli non ex regalibus donariis, ſed ex priuatorum traditiunculis collectæ, nullum priuilegium aliorum Monaſteriorum, vel communes cunctorum populorum leges haberet: & ideo neminem ſui defenſorem vel aduocatum reperire potuiſſent; ipſe cunctis aduerſariis noſtris opponens, Aduocatum ſe vilitatis noſtræ coram cunctis Principibus ſuis profiteri non erubuerit. Quo etiam tempore epiſtolam ad veſtram indolem direxit, vt per veſtram auctoritatem iuramento * coactio, quæcunque opus habuerimus, licenter quærere deberemus. Sed heu, quàm ſtultus ego, qui propter ſpecialem bonitatem ab eo nobis præbitam, à generali & ineffabili eius bonitate & magnitudine vel magnanimitate parum conſultè, priuato gaudio retrahente, digreſſus ſum!

* fort. coacto.

16. Erat itaq; vel Rex vel Imperator totius Germaniæ Retiarumq; & antiquæ Franciæ, necnon & Saxoniæ, Turingiæ, Noricæ, Pannoniarum, atque omnium Septentrionalium nationum: ſtatura optimus, forma decorus, oculis aſtrorum more radiantibus, voce clara & omnino virili, ſapientia ſingularis, quam acutiſſimo fretus ingenio, ſcripturarum aſſiduitate cumulatiorem reddere non ceſſabat. Ideoque ad anticipandas vel ſuperandas omnes inimicorum inſidias, & ſubiectorũ litigia terminanda, fidelibus ſuis vniuerſa commoda prouidenda, incomparabili viuacitate pollebat: cunctis gentilibus circumquaq; vniuerſis anterioribus ſuis magis magiſq; terrific⁹ ſubinde perſeuerabat; & merito: quippe qui nunquam linguam ſuam iudicio, aut manus ſuas effu-

ſione ſanguinis Chriſtiani cõmacularet, pręter vltimam neceſſitatẽ, quam prius enarrare nõ audeo, quàm aliquẽ paruulum Ludovviculum vel Carolaſtrum vobis aſtantem video. Poſtquam tamẽ cedere nullo vnquam modo compelli potuit, vt quempiam condemnaret ad mortem; ſed tamen hac diſtrictione infidelitatis vel inſidiarum inſimulatos coërcere ſolebat, vt honoribus priuatos nulla vnquã occaſione vel temporis longitudine mollitus ad priſtinum gradum conſcendere pateretur. Ad orationis ſtudiũ & deuotionem ieiuniorum, curamq; ſeruitij diuini ſupra oẽs homines ita ęrat intentus, vt exemplo S. Martini quicquid aliud ageret ſemper quaſi pręſenti Domino ſupplicare videretur. Carne & cibis lautioribus, diebus certis abſtinuit. Tempore verò litaniarum de palatio diſcalceatis pedibus vſq; ad Eccleſiam Paſtoralẽ, vel ad ſanctum HEMERAMMVM, ſi quidem eſſet REGENSPVRG, CRVCEM ſequi ſolitus erat. In aliis verò locis commanentium conſuetudinem nõ abnuebat. Oratoria noua ad Franckenoford & Regeneſpurg admirabili opere conſtruxit. Cum propter magnitudinem fabricæ alij lapides non ſufficerent, muros vrbis deſtrui fecit. In quarum ciuitatibus tantum auri circa antiquorum oſſa reperit, vt non ſolum Baſilicam eandem eodem adornaret, ſed & libros integros exinde conſcriptos thecis eiuſdem materiei, groſſitudine prope digiti cooperiret. Nullus clericus, niſi legere doctus & canere, non ſolum cum eo manere, ſed ne in conſpectum eius venire præſumpſit. Monachos verò voti ſui præuaricatores ita deſpexit, vt obſeruatores omni affectu dilexit. Ita omni iocunditate ac dulcedine plenus ſemper extitit, vt ſi quis ad eum triſtis aduenirct, ex ſola viſione vel quantulacunque eius allocutione lætificatus abſcederet. Quod ſi quid forte ſiniſtrum aut ineptum in eius conſpectu ſubito fieret, vel eum aliunde compe-

comperisse contingeret, sola oculorum animaduersione sic omnia correxit, vt quod de interno æternoq; iudice scriptum est: Rex, qui sedet in solio regni sui, intuitu vultus sui dissipat omne malum, supra fas mortalibus concessum, in illo non ambigeretur inceptum. Hæc breuiter per excessum dixerim: vita comite, propitiaq; diuinitate votum habens plurima de eo scribere. Ad propositum iam redeundum est.

Proverb. 20.

Interea cum Imperator Karolus propter aduentantiũ frequentiam vel infestationem indomitissimorum Saxonũ, vel latrocinia piraticamq; Nordmannorũ, siue Maurorum, apud Aquisgrani paulo diutius consedisset: bellum autem contra Hunos à filio eius Pipino gereretur, exeuntes à Septentrione barbarę nationes Noricum & Orientalẽ Franciam magna ex parte deprædatæ sunt: Quod ille comperiens per seipsum ita omnes humiliauit, vt etiam pueros & infantes ad spatas metiri præciperet, & quicunque eandem mensuram excederet, capite plecteretur. De quo facto aliud multo maius & illustrius opus excreuit. Cumque enim sanctissimus auus Imperij vestri, vita decederet, quidam Gigantes (quales propter iracundiã Dei per filios Seth de filiabus Cain narrat scriptura procreatos) spiritu superbię inflati, eorum procul dubio superiores, qui dixerunt: Quæ nobis pars in Dauid, aut quæ hæreditas in filio Isai? eius prolem habitudinis optimæ despicientes, singuli sibi principatum regni arripere, & diadema portare conati sunt. Tunc quibus de mediocribus, Dei instinctu, protestantibus, quod inclytus Imperator Karolus hostes quondam Christianorum metiretur ad spatam, & idcirco quamdiu de progenie illius aliquis spatæ longitudinis inueniri posset, ille Francis imò Germaniæ deberet imperare; factio illa diabolica quasi fulminis ictu percussa est in diuersa disiecta.

Gen. 6.

3. Reg. 12.

18. Sed extraneorum victor Karolus, à propriis est mira quidem sed cassa fraude circumuentus. Nam de Sclauis ad regna regressus, à filio per concubinam progenito, nomine gloriosissimi Pippini à matre ominaliter insignito, pænè captus, &, quantum in eo fuit, est morti damnatus. Quod hoc modo compertum est. Cum in Ecclesia sancti Petri Proceribus congregatis, de morte Imperatoris consiliatus fuit: finito consilio omnia tuta timens, iussit explorare, si quis vsquam in angulis aut subter altaribus fuisset absconsus. Et ecce, vt timuerunt, inuenerunt vnum clericum subtus altare celatum. Quem apprehendentes ad iusiurandum compulerunt, ne proditor eorum molitionis fieret. Qui ne vitam perderet, vt dictauerunt, iurare non abnuit. Sed illis recedentibus iuramentũ illud sacrilegum paruipendens, ad palatium properauit. Cumq; cum maxima difficulate per septem fores & ostia tandem ad cubiculũ Imperatoris penetrasset, pulsato aditu vigilantissimum semper Karolum ad maximam perduxit admirationem, quis eo tempore eum præsumeret inquietare: prœcepit tamen fœminis, quæ ad obsequium Reginæ vel filiarum eum comitari solebant, vt exirent videre quis esset ad ianuam, vel quid inquireret: quæ exeuntes cognoscenteśq; personam vilissimam, obseratis ostijs cum ingenti risu & cachinno se per angulos, vestibus ora repressæ, conabantur abscondere. Sed sagacissimus Imperator, quẽ nihil sub cælo posset effugere, diligenter à mulieribus exquisiuit, quid haberent, vel quis ostium pulsaret; responsumq; accipiens, quod quidam * cocao derasus, insulsus, & insaniens, linea tantum & femoralibus indutus, se absq; mora postularet alloqui; iussit eum intromittere: qui statim corruens ad pedes illius cuncta patefecit ex ordine.

* al. coccio

Nihil verò minus suspicantes, ante horam diei tertiam omnes illi coniuratores dignissima pœna vel exilijs deportati

tati sunt, aut puniti. Ipse quoq; nanus & gibbosus Pippinus immanissimè cæsus & detonsus ad cellam sancti Galli, quæ cunctis locis Imperij latissimi pauperior visa est & angustior, castigandi gratia ad tempus aliquantulum destinatus est.

Nec multo post quidam de primoribus Francorum in Regem manus mittere voluerunt; quod cum eum minimè lateret, & tamen non libenter eos perderet (quia si benè voluissent, magnum Christianis munimen esse potuissent) direxit Legatos suos ad eundem Pippinum, sciscitans ab eo, quid de his fieri oporteret. Quem cum in horto cum senioribus fratribus (iunioribus ad maiora opera detentis) vrticas & noxia quæq; tridente extrahentem reperissent, vt vsui proficua viuacius excrescere valerent, indicauerunt ei causam aduentus sui. At ille ex imis præcordijs suspiria trahens, vt omnes debiles animosiores sanis esse consueuerunt, in hæc verba respondit: Si Karolus consilium meum dignaretur, non ad tantas deponeret iniurias. Ego nihil illi demando: dicite ei quid me agentem inueneritis. At illi timentes ne sine certo aliquo responso ad formidabilem reuerterentur Imperatorem, iterum atq; iterum requirebant ab eo, quid domino renunciare deberent. Tunc ille stomachando, Nihil, inquit, aliud ei demando, nisi quod facio. Inutilia recrementa extraho, vt olera necessaria liberius excrescere valeant. Igitur illi tristes abscesserunt, quasi qui nihil rationabile reportarent. Venientes autem ad Imperatorem, & requisiti quid referrent; conquesti sunt se tanto labore & itinere ne in vno quidem sermone certiorari potuisse: sagacissimo autem Rege per ordinem interrogante, vbi eum, vel quid agentem repererint, quidquid responsi illis reddiderit, dixerunt: in triecio rusticano sedentem eum inuenimus,

& tridente areolam olerum nouellantem; causamq; itineris nostri reuoluentes, hoc solum ab eo responsum magnis flagitationib⁹ extorquere potuimus: Nihil, aiente, aliud ei demando, nisi quod facio; inutilia recrementa extraho, vt olera necessaria liberius excrescere valeant. His auditis astu non carens, & sapientia pollens Augustus, confricatis auribus & inflatis naribus, dixit ad eos: Rationabile responsum, optimi vasalli, reportastis. Illis itaque de periculo vitæ metuentibus, ipse vim dictorum ad effectum perducens, cunctos illos insidiatores suos de medio viuentium auferens, fidelibus suis occupata ab infructuosis loca, crescendi & se extendendi causa concessit. Vnum verò aduersariorum, qui excelsissimum in Francia collem, & quęcunq; de eo prospicere posset, sibi in possessionem delegit, in eodem colle altissimæ trabi affixum iussit eleuari. Pippinum vere nothum pręcepit eligere sibi, quomodo vitam degere voluisset; qui optione concessa optauit locũ in quodam Monasterio tunc nobilissimo, nunc autem nõ incertum, de qua causa destructo; quam antea non soluam, quam BERNHARDVLVM vestrum spata femur accinctum conspiciam.

20. Indignatus est autem magnanimus Karolus, quod ipse ad barbaras illas nationes sit exire prouocatus, cum quilibet Ducum suorum ad hoc videretur idoneus; quod etiam ita esse ex vnius comprouincialium meorum facto probabo. Erat quidam vir de Durgonum, iuxta nomen suum, magna pars terribilis exercitus, vocabulo eis hæretante, proceritatis, vt de Enachim stirpe exortus credi potuisset, nisi tantum temporum ac locorum interesset; qui quotiescunq; ad fluuium Duram alpinis torrentibus tumefactum, exundantemque venisset, ne caballum maximum in eius non dicam fluenta, sed nec liquentia posset impellere, apprehensis habenis fluitantem post se traxit, inquiens:

fort. Duranium intelligit, flun. Galliæ Aquitaniæ in Garumnam se exonerantem.

inquiens: Per dominum Gallum, velis nolis me ſequi debebis. Is itaque cum in comitatu Cæſaris Behemanos, VVilzos, & Auaros in modum prati * ſiccaret, & in auicularum modum de haſtili ſuſpenderet, domum victor reuerſus, & à torpentibus interrogatus, qualiter ei in regione VVinidum complaceret; illos dedignatus, biſq; indignatus aiebat: Quid mihi ranunculi illi? ſeptem vel octo, vel certè nouem de illis haſta mea perforatos, & neſcio quid murmurantes, huc illucq; portare ſolebam. fruſtra aduerſum tales vermiculos dominus Rex & nos fatigati ſumus.

*ſecaret.

21.

Eodem itaq; tempore cum Imperator Hunorum bello extremam manum imponeret, & ſupradictas gentes in deditionem ſuſcepiſſet, exeuntes Nordmañi Gallis & Francis magnam inquietudinem fecerunt: Reuerſus autem inuictiſſimus Karolus itinere terreſtri, quamuis multum anguſto & inuio, domi eos inuadere molitus eſt. Sed vel Dei prouidentia prohibente, vt, ſecundum Scripturam, in his experiretur Iſrahelem, vel peccatis noſtris obſiſtentibus, cuncta illius tentamenta in irritum deducta ſunt; in tantum, vt ad incommoda totius exercitus comprobanda, de vnius Abbatis copijs in vna nocte quinquaginta boum paria repentina peſte numerarentur extincta. Sapientiſſimus igitur Karolus ne Scripturæ inobediens contra * iactum fluuij conaretur, deſtitit ab incepto. Cum vero per non modicum tempus latiſſimum peragraret imperium, Godefridus Rex Nordmannorum, abſentia eius animatus, fines regni Francorũ inuaſit, Moſellanumq; pagum in ſedem ſibi prælegit. Cum vero falconem ſuum de aneta vellet extrahere, conſecutus eum filius ſuus, cuius nuperrimè matrem reliquit, & alteram ſuper eam duxit vxorẽ, per medium diuiſit. Quo facto, ſicut quondã Holoferne perempto, nullus in

Iudic. 3.

*iſtum
Eccli. 4.

Iudith 15.

in animis aut armis, ſed in ſolo fugæ præſidio auſus eſt confidere. Et ita ne exemplo ingrati Iſrahelis contra Deum gloriaretur, abſq; ſua induſtria liberata eſt Francia. Inuictus autem nec vincendus vnquam Karolus de tali quidem iudicio Deum glorificauit; ſed plurimũ conqueſtus, quod propter abſentiam ſuam aliquis de illis euaſerit: Heu, proh dolor, inquiens, quod videre non merui, quomodo Chriſtiana manus mea cum cynocephalis illis luſerit.

22. Contigit quoq; ad quandam maritimam Galliæ Narbonenſis vrbẽ vagabundum Karolum inopinatò venire; ad cuius portum eo prandente, ſed ignorato, piraterium exploratores Nordmannorum fecerunt. Cumq; viſis nauibus, alij Iudæos, alij vero Africanos, alij Britannos mercatores eſſe dicerent, ſapientiſſimus Karolus ex inſtructione vel agilitate non mercatores, ſed & hoſtes eſſe deprehendens, dixit ad ſuos: Non iſtæ naues confertæ mercimonijs, ſed hoſtibus fœtæ ſunt acerrimis. His auditis alter alterum præuenire cupientes feſtinè ꝓperabant ad naues, ſed fruſtra. Nam comperto Nordmanni, quod ibidem eſſet, vt ipſi eum nuncupare ſolebant, martellus Karolus, ne omnis armatura ſua in illo aut retunderetur, aut in minutiſſimas reſoluta particulas diſperiret, effugio ſatis incomparabili, inſequentium non ſolum gladios, ſed & oculos euitarunt. Religioſiſſimus autem Karolus, iuſtus & timoratus, exurgens de menſa ad feneſtram Orientalem conſtitit, & inæſtimabilibus lachrymis diutiſſimè perfuſus eſt; cum nullus eum cõpellare præſumeret. Tandẽ aliquando ipſe bellicoſiſſimus Proceribus ſuis de tali geſtu & lachrymatione ſatisfaciens, Scitis, inquit, ô fideles mei; quid tantopere plorauerim? Non hoc, ait, timeo, quod iſti nugis mihi aliquid nocere præualeant; ſed nimirum contriſtor, quod me viuente auſi ſunt littus iſtud attingere; & maximo dolore torqueor, quia præuideo, quã-

ta ma

ta mala posteris meis, & eorum sunt facturi subiectis. Quod ne adhuc fiat, Christi Domini nostri tutela prohibeat, & gladius vester in sanguine NORDOSTVNORVM duratus obsistat, adiuncto sibi mucrone Karlomanni fratris vestri, tincto quidem in eorundem cruore, sed nunc non propter ignauiam, sed propter inopiam rerum angustiamq; terrarum fidelissimi vestri ARDNOLDI ita in rubiginem versus, vt tamen iussu & voluntate potentiæ vestræ haud difficulter possit ad acumen & splendorem perduci. Hic enim solus ramuscul⁹ cum tenuissima * bennolini astula de fœcundissima L. radice sub singulari cacumine protectionis vestræ * pupulascit. Etenim ergo de proatauo vestro Pipino in historia vestra cognouimus aliquid inseratur, quod, concedente clementia diuina, mox futurus Karloaster aut Ludvviculus vester imitetur.

* Bemlin.

Ludouici

* pullulascit.

23.

Longobardis vel cæteris hostibus Romanos infestantib⁹, miserunt Legatos suos ad eundē Pippinum, vt propter amorem sancti Petri sibi quantocyus in auxilium venire dignaretur. Qui absq; mora subiugatis hostibus, orationis tantum gratia Romā victor ingreditur; & à ciuibus hac laude suscipitur: CIVES APOSTOLORVM, ET DOMESTICI DEI ADVENERVNT HODIE PORTANTES PACEM, ET ILLVMINANTES PATRIAM; DARE PACEM GENTIBVS, ET LIBERARE POPVLVM DOMINI. Cuius vim carminis & originē quidam ignorātes, hoc in natalitijs Apostolorū canere cōsueuerunt. Ipse vero inuidiam Romanorum, imo, vt verius loquar, Constantinopolitanorum declinans, mox in Franciam reuertitur. Comperto autem, q̄ Primates exercitus eum clanculo despicientes carpere solerent; præcepit adduci taurum magnitudine terribilem & animis indomabilem, leonemq; ferocissimum in illum dimitti, qui impetu validissimo in eum irruens, apprehensa ceruice tauri, proiecit in

terram. Tunc Rex dixit ad circumstantes, Abstrahite leonem à tauro, vel occidite eum super illum. Quo spectantes ad alterutrum congelatisq; præcordiis paueſacti, vix hæc singultando mussitare potuerunt, Domine, non est homo sub cælo, qui hoc audeat attentare. Quo ille confidentior exurgens de throno & extracta spata per ceruicem leonis ceruicem tauri diuisit ab armis; & spata in vaginam remissa consedit in solio: Videtur vobis, inquiens, vtrum dominus vester esse possimus? Non audistis, quid fecerit paruus Dauid ingenti illi Goliat, vel breuissimus Alexander procerissimis satellitibus suis? Tunc quasi tonitru perculsi ceciderunt in terram, dicētes: Quis nisi insaniens dominationem vestram mortalibus imperare detractatur?

24. Non solum contra bestias & homines talis extitit, sed etiam contra spiritales nequitias inauditum certamen exercuit. Nam cum Aquisgrani thermis nondum ædificatis calidi saluberrimiq; fontes ebullirent, iussit Camerariū suum præuidere, si fontes purgati essent, & ne quis ignotus ibi dimitteretur. Quod cum factum fuisset, assumpto Rex gladio, in linea ex subtalaribus properauit ad balneum: Cum repente hostis antiquus eum quasi perempturus aggreditur: Rex autem crucis signo munitus nudato gladio vmbram in humana aduertens effigie, inuincibilem gladium ita terræ infixit, vt diutino luctamine vix eum reuocauerit. Quæ tamen vmbra tantæ crassitudinis erat, vt cunctos illos fontes tabo & cruore abominandaq; pinguedine deturparet. Sed nec his motus insuperabilis Pippinus dixit ad cubicularium, Non sit tibi cura de talibus, fac effluere infectam illam aquam, vt in ea, quę pura manauerit sine mora lauari debeam.

25. Proposueram quidem Imperator Auguste de solo proauo vestro Karolo, omnia vobis scientibus quæcunq; fecit,

breuem

breuem narratiunculam retexere; ſed cum ita ſe obtulerit occaſio, vt neceſſario memoria fiat glorioſiſſimi patris veſtri Ludvvici, cognomento Illuſtris, & religioſiſſimi proauaui veſtri Pippini iunioris, de quibus propter ignauiam modernorum grande ſilentium eſt, omnia intacta præterire nefarium iudicaui. Nam de maiore Pippino integrum pæne librum doctiſſimus BEDA in Eccleſiaſtica procudit hiſtoria. His itaq; per exceſſum commemoratis ad cognominalem veſtrum illuſtrem Karolum olorin⁹ iam redeat natatus. Sed ſi bellicis rebus ab eo geſtis aliquid non ſubtraxerimus, nunquam ad quotidianam eius conuerſationem reuoluendam reducimur. Qua propter quæ concurrunt in præſenti quàm ſtrictiſſime potuero memorabo.

Poſt mortem victorioſiſſimi Pippini cum iterato Longobardi Romam iam inquietarent, inuictus Karolus, quamuis in ciſalpinis partibus nimium occupatus, iter in Italiam haud ſegniter arripuit, & incruento bello, ſiue ſpontanea deditione humiliatos in ſeruitium accepit Longobardos; & infirmitatis gratia, ne vnquam à regno Francorum diſcernerentur, vel terminis ſancti Petri aliquam irrogarent iniuriam, filiam DESIDERII Longobardorum Principis duxit vxorem. Qua non poſt multum temporis, quia eſſet clinica & ad propagandam prolem inhabilis, iudicio ſanctiſſimorum ſacerdotum, relicta, velut mortua; iratus pater iuramento ſibi prouinciales aſtringens, ipſeq; in muris Ticinenſibus ſe concludens, inuincibili Karolo rebellare diſpoſuit. Quod ille pro certo comperiens illuc iter accelerauit. Contigit autē ante aliquot annos quendā de primis Principibus nomine OGGERVM offensā terribiliſſimi Imperatoris incurrere, & ob id ad eundē Deſideriū confugium facere: audito autē aduentu metuendi Karoli aſcenderunt in turrim eminentiſſimā, vnde longe lateq; ꝓſpicere venientē potuiſſent. 26.

Apparentibus vero impedimentis, quæ expeditiora Darij vel Iulij fuissent expeditionibus, dixit Desiderius ad Oggerum, Estne Karolus tanto exercitu? At ille respondit, Non adhuc. Videns vero exercitum popularium de latissimo Imperio congregatum, diffinitè pronunciauit ad Oggerum, Verè in his copijs Karolus exultat. Respondit Oggerus, Sed non adhuc, neq; adhuc. Tunc æstuare cœpit & dicere, Quid faciemus, si plures cum eo venerunt? Dixit Oggerus, Videbis qualis ille veniat. De nobis autem nescio quid fiat. Et ecce ista sermocinantibus apparuit schola * vocationis semper ignara: quam videns Desiderius stupefactus, Iste est, inquit, Karolus. Et Oggerus, Non, infit, adhuc. Post hanc cernuntur Episcopi Abbatesq;, & clerici, Capellani cum Comitibus suis: quibus aspectis hæc vix ægrè iam lucis inimicus, mortisq; Desiderius singultando blaterauit: Descendamus & abscondamur in terra à facie furoris aduersarij tam immanis. Ad quæ retulit extumescens Oggerus, rerum & apparatus incomparabilis Karoli quondam expertus, & in meliori tempore assuetissimus: Quando videris, inquiens, segetem campis inhorrescere, ferreũ Padum & Ticinum marinis fluctibus ferro nigrantibus muros ciuitatis inundantes, tunc est spes Karoli venientis. His necdum expletis, primùm ad occasum circino vel Borea cœpit apparere quasi nubes tenebrosa, quę diem clarissimam horrentes conuertit in vmbras. Sed propiante paullulum Imperatore, ex armorum splendore dies omni nocte tenebrosior oborta est inclusis. Tunc visus est ipse ferreus Karolus ferrea galea cristatus, ferreis manicis armillatus, ferreo thorace ferreum pectus humerosq; Platonicos tutatus, hasta ferrea in altum subrecta sinistra impletus, nam dextera ad inuictum chalybem semper erat extenta; coxarum exteriora, quæ propter faciliorem ascensum in alijs solent lorica nudari, in eo ferreis ambiebantur

* vacationis

bantur bracteolis. De ocreis quid dicam? quæ & cuncto exercitui solebant ferreæ semper esse vsui. In clypeo nihil apparuit nisi ferrum. Caballus quoq; illius animo & colore ferrum retinebat. Quem habitum cuncti præcedentes, vniuersi ex lateribus ambientes, omnesq; sequentes, & totus in commune apparatus iuxta possibilitatem erat imitatus. Ferrum campos & plateas replebat; solis radij reuerberabantur acie ferri; frigido ferro honor à frigidiori deferebatur populo; Splendidissimum ferrum horror expalluit cloacarum. O ferrum, heu ferrum, clamor confusus insonuit ciuium. Ferro contremuit firmitas murorum, & iuuenum consilium ferro deperijt seniorum. His igitur, quæ ego balbus & edentulus, nō vt debui circuitu tardiore diutius explicare tentaui, veridicus speculator Oggerus celerrimo visu cōtuitus, dixit ad Desiderium: Ecce habes quem tantopere perquisisti. & hæc dicens pæne exanimis cecidit. Sed quia ipso die vel propter amentiam, vel propter aliquam spem resistendi ciues vrbici eum suscipere noluissent, dixit artificiosissimus Karolus ad suos: Faciamus hodie aliquid memorabile, ne diem istum otiosi transegisse vituperemur; acceleremus efficere vnum oratoriolum, in quo si nobis citius apertum non fuerit, diuinis seruitijs insistere debeamus. Et hac voce emissa, alius alio discurrentes, calcem & lapides, alij vero ligna vel pigmenta cōgregantes, artificibus semper eum comitantibus, attulerunt. Qui à quarta diei hora ante duodecimam talem basilicam muris & tectis, laquearibus & picturis auxiliante & tironum manu militumque construxerunt, vt nulli adhuc eam cernenti, nisi per annum integrum fieri posse credatur. Postea verò die quinta facilitate quibusdam ciuium sibi aperire volentibus; quibusdam, licet frustra, rebellare, vel (vt verius dicam) se includere volentibus, absq; cruoris effusione, sola tantum industria, ciuitatem superauerit, ce-

perit, poſſederit, illi ſcribendũ relinquo, qui nõ aliquo amore, ſed quęſtus tantũ gratia veſtram Celſitudinẽ comitantur.

27. Exin ad vlteriora progreſſus venit religioſiſſimus Karolus ad vrbem Furiolanam, quam qui ſibi ſcioli videntur, Forum Iulienſe nuncupant. Contigit autem, vt eodem tempore Epiſcopus Ciuitatis illius, aut (vt modernorum loquar cõſuetudine) Patriarcha occaſui vitę propinquaret. Ad quem cum religioſiſſimus Karolus viſitandi gratia properaret, vt ſucceſſorem ſuum ex nomine deſignare deberet, ille religiosè admodum ex imis præcordijs ſuſpiria trahens: Domine inquit, Epiſcopatum iſtum diu ſine aliqua vtilitate vel profectu ſpiritali retentum, iudicio diuino & veſtræ diſpoſitioni relinquo, ne ad cumulum peccatorum, quem viuens exaggeraui, etiam mortuus aliquid ſuperinijcere apud ineuitabilem & incorrumpendum iudicem deprehendar. Quod ſapientiſſimus Karolus ita cepit, vt eum antiquis Patribus non immeritò coęquandum iudicauerit. Cum autem in eadem regione aliquantiſper demoratus fuiſſet exercitatiſſimus inexercitatiſſimorum Francorum Karolus, donec Epiſcopo decedẽte dignum ei ſucceſſorem ſubſtitueret, quadam feſtiua die poſt Miſſarum celebrationem dixit ad ſuos, ne otio torpentes ad ignauiam perducamur; Eamus venatũ donec aliquid capiamus, & ſinguli in eodem habitu pergam⁹, quo nunc induti ſumus. Erat autẽ imbrifera dies & frigida. & ipſe quidem Karol⁹ habebat pelliciũ berbicinum, non multum amplioris precij quàm erat roccus ille S. Martini, quo pectus ambitur, nudis brachijs Deo ſacrificiũ obtuliſſe aſtipulatione diuina comprobatur. Cæteri verò vtpote feriatis diebus, & qui modo de Papia veniſſent, ad quã nuper Venetici de tranſmarinis partibus omnes Orientaliũ diuitias aduectaſſent, phœnicũ pellibus auium ſerico circũdatis, & pauonũ collis cum tergo & clunis mox floreſcere incipientibus,

entibus, tyria purpura, vel diacedrina littra decoratis. Alij de lodicibus, quidā de gliribus circumamicti procedebant, saltusq; peragrantes ramis arborum spinisq; & tribulis lacerati, vel imbribus infusi, tum etiam sanguine ferarum pelliumq; volutabro fœdati remeabant. Tunc astutissimus dixit Karolus, nullus nostrum pellicium suum extrahat, donec cubitū eamus, vt in nobis ipsis melius sicc〈ar〉i possint. Quo iusso singuli corpora magis quam indumēta curantes, vsquequaq; focos inquirere & calefieri studebant, ac mox reuersi & in ministerio eius vsq; ad profundā noctē persistentes, ad mansiones remittebantur. Cumque tenuissimas illas pelliculas, vel tenuiores brandeas extrahere cœpissent, rugarum & contractionum rupturas quasi virgarum in ariditate fractarum procul audiri fecerunt, gementes & suspirantes, conquerentesq; se pecuniæ sub vna die perdidisse. Præceptum verò ab Imperatore susceperant, vt in eisdem pellibus crastina die se illi præsentarent. Quod cum factum fuisset, & omnes non in diuinis resplenderent, sed pannis & decolori fœditate horrerent; dixit industria plenus Karolus ad cubicularium suum, Tere illud pellicium nostrum inter manus, & affer in conspectum vestrum. Quo integerrimo & candidissimo allato, assumens illud inter manus & cunctis astantibus ostendens, hęc pronunciauit: O stolidissimi mortalium quod pellicium modo preciosius & vtilius? istud ne meum vno solido comparatum, an illa vestra non solum libris, sed & multis coëmpta talentis? Tunc vultibus in terram declinatis terribilissimam eius animaduersionem sustinere nequibant. Quod exemplū religiosissimus pater vester non semel, sed per totā vitam suam ita imitatus est, vt nullus, qui eius agnitione & doctrina dignus videbatur, aliquid in exercitu contra hostem, nisi tantum arma militiæ & lanea vestimenta cum lineis portare præsumeret. Quod si quisq̄

interio-

inferioris disciplinę illius ignarus de ſerico, auro, vel argento circa ſe habens eum forte incurriſſet, his verbis increpatus & melioratus imo ſapientior effectus abſceſſit: O te bis aureum, eccum, ô te argenteum, ô te totum coccinum! miſer & infelix, non tibi ſufficit vt tu ſolus vel forte belli intereas? quin etiam & res, quibus anima tua redimi valeret, in manus hoſtium tradas, vt de his ſimulacra gentium adornentur?

28. Quantum vero à prima ætate vſque ad ſeptuageſimum annum ferro gauderet inuictiſſimus Ludovvicus, quantum ante Nordmannorum legatos ſpectaculum de ferro faceret, melius hoc vobis ſcientibus replicabo. Cum Reges Nordmannorũ ſinguli pro deuotione ſua aurum illi & argentum & ꝓ ſempiterna ſubiectione vel deditione gladios ſuos ipſi dirigerent; præcepit Rex, vt pecunia quidem in pauimentum proijceretur, & à nullo niſi indignanter aſpiceretur, ſed potius ab omnibus velut lutum conculcaretur. Gladios verò in ſublimi ſolio reſidens ſibi attẽtandos iuſſit afferri. Porrò legati metuentes, ne quid ſiniſtræ ſuſpicionis contra eos poſſit oriri, eo modo, quo ſolent miniſtri dominis ſuis cultellos de ſummis oris præbere, ita ſpatas Imperatori cum ſui periculo porrigebant. Quarum ille cum vnam de capulo acceptam, & ab extremitate vltima ad ſummum curuare niteretur, inter fortiores ferro manus diſrupta eſt. Tunc vnus de miſſis ſuam de vagina protrahens, miniſtrantiumq; more ad ipſius obſequelam protendens; Domine, inquit, vt credo, & flexibilis & rigida inuenietur iſta ſpata ad votum victorioſiſſimæ dexteræ veſtræ. Qua Cæſar accepta & verè Cæſar, iuxta vaticinium Iſaiæ; Attendite ad petram, vnde exciſi eſtis, deuota Germaniæ populoſitate, ſingularis diuinitatis opificio, in antiquos hominum artus & animos exurgens, ab ora vltima capulotenus in modũ viminis contraxit,

Eſai. 51.

& ſen-

& ſenſim ad ſtatum priſtinum redire permiſit. Tum Legati ſemet aſpectantes, & ad alterutrum obſtupeſcentes: O, inquiunt, principibus noſtris tam vile videretur aurum, & ferrum tam pretioſum! Et quia de Nordmannis mentio incidit quanti fidem habeant & Baptiſmum in temporibus aui veſtri, geſtis paucis euoluam.

Vt poſt mortem bellicoſiſſimi Dauid multo tempore finitimæ gentes manu fortiſſima ſubiugatæ eius imperio, filio Salomoni pacifico tributa dependerunt, ita propter timorem & tributa Auguſtiſſimo Imperatori Karolo perſoluta filium eius Ludouicum gens immaniſſima Nordmannorum ſimili veneratione ſolebat honorare: quorum legatos religioſiſſimus Imperator tandem aliquando miſeratus, interrogatos; ſi Chriſtianam religionem ſuſcipere vellent: & reſponſo accepto; quia ſemper & vbique atque in omnibus eſſent obedire parati; iuſſit eos in eius nomine baptizari, de quo doctiſſimus ait Auguſtinus: Si non eſſet Trinitas, non dixiſſet veritas, Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Qui à primoribus palatij quaſi in adoptionem filiorum ſuſcepti, de Camera quidem Cæſaris candidatum, à patrinis vero ſuis habitum Francorum in veſtibus precioſis & armis cæteriſq; ornatis acceperunt. Quod cùm diutius actitaretur, & non propter Chriſtum, ſed propter commoda terrena ab anno in annum multo plures iam, non vt legati, ſed vt deuotiſſimi vaſalli ad obſequiũ Imperatoris in ſabbato ſancto Paſchæ feſtinarent occurrere; contigit, vt quodam tempore vſq; ad Ludouicum veniſſent. Quos Imperator interrogatos, ſi baptizari votum haberent, & confeſſos iuſſit aqua ſancta ſine mora perfundi. Cumq; tot lineæ veſtes non eſſent in promptu, iuſſit incidi camiſilia & in modum ſepium conſui, vel in modum vitium paſtinari. Quarum cum vna

29.

cuidam seniorum illorum repentino fuisset imposita; & ille eam curiosioribus oculis ex tempore contemplatus fuisset, iamq; indignatione non modica, mente concepta, dixit ad Imperatorẽ: Iam vicies hîc lotus sum, & opimis candidissimisq; vestib⁹ indutus: Et ecce talis saccus non milites, subulcos condecet: & nisi nuditatẽ erubescerẽ meis priuatus, nec à te datis contectus, amictum tuũ cum Christo tuo tibi relinquerem. Tanti pendunt hostes Christi, quod ait Apostolus

Galat. 3. Christi: Omnes qui in Christo baptizati estis, Christũ induistis. Et illud: Quicunq; baptizati sum⁹ in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Et quod maximè contra contemptores fidei violatoresq; Sacrãentorũ vigilat: Rursum crucifigentes sibi filiũ Dei, & ostentatui habentes. Quod vtinam apud gentiles tantum & non etiam inter eos, qui Christi nomine censentur, sæpius inueniretur.

Rom. 6.

Hebr. 6.

30. Adhuc referendum est de bonitate Ludouici prioris & sic ad Karolũ remeandum. Quietissimus Imperator Ludouicus à cunctis hostium incursionibus immunis, religiosis tantum operibus, orationibus scilicet, eleemosynis causisq; audiendis, & iustissimè determinandis insudabat. In quo negotio tantũ & ingenio & vsu exercitat⁹ erat; Vt cum ei quidam in similitudine Achitofel, pro Angelo habit⁹ à cunctis, illudere tentauisset; huiusmodi responsum comi vultu, blandissimaq; voce, sed mẽte aliquantulũ commota rependeret: O sapientissime Anshelme, si fas sineret, dicere auderem, quod tramite non recto incedis; ex qua die idem iuridicus ab vniuersis est pro nihilo deputatus.

2. Reg. 15.

31. Eleemosynis vero intentus erat misericordissimus Ludouicus, vt eas non solum in conspectu suo, sed & p se ipsum fieri maluisset. Insuper & vbi ipse absens fuisset, ita pauperum causas modorerari decreuit, vt vni ex eis, qui ex omni parte debilis, sed animosior cæteris videbatur, ipsorum com-

commiſſa, furtorum redditiones, iniuriarum vel læſionum taliones, in maiorib⁹ etiã commiſſis membrorum abſciſſiones, auttruncationes capitũ, nec non & ſuſpenſiones corporum per eum fieri preciperet. Qui conſtitutis ducibus, tribunis, & centurionibus eorumq́; vicarijs, rem ſibi delegatam haud ſegniter impleuit. Ipſe autẽ clementiſſimus Auguſtus, in cunctis illis Dominum Chriſtũ veneratus, eis alimenta, & quib⁹ tegerentur, impẽdere nunq̃ deſtitit; & precipuè in illa die, qua Chriſtus mortali tunica exutus incorruptibilẽ reſumere parabat. In qua etiã cunctis in palatio miniſtrantibus & in curia regia ſeruientib⁹ iuxta ſingulorũ perſonas donatiua largitus eſt, ita vt nobilioribus quibuſcunq; aut baltheos aut flaſcilones precioſiſſimaq; veſtimenta à latiſſimo Imperio perlata diſtribui iuberet. Inferiotibus vero ſaga Freſonica omnimodi coloris darentur. Porro cuſtodib⁹ equorũ, piſtoribuſq; & coquis indumẽta linea cum laneis * ſpatijſq;, prout opus habebant, proijcerentur. Cumq; iam nullo indigente, ſecundum Actus & dicta Apoſtolica, eſſet in omnibus gratia magna, quando & pauperes pannoſi iucundiſſime dealbati Kyrie eleisõ Ludvvico beato ꝑ latiſſimã curtẽ vel curticulas Aquarũ grani, quas Latini vſitati⁹ porticuũ noĩe vocant, vſq; ad celũ voces efferrent; & q̃ poterant de militib⁹ pedes Imperatoris amplectentib. alijs verò emin⁹ adorantib. iam Ceſare ad Eccleſiã ꝓcedẽte, quidã de ſcurris iocularıter inquit: O te beate Ludvvice, q̃ tot homines vna die veſtire potuiſti; per Chriſtũ, nullus in Europa hodie plures veſtiuit, quàm tu præter ATTONEM. cumq; ab eo Impator quæreret, quomodo ille plures veſtire potuiſſet, munus, quaſi gaudẽs, ſi Impatorẽ in admirationẽ vertiſſet, cum cachinno intulit, Hodie, inquiens, ille noua indumẽta largit⁹ eſt plurima. Quod dulciſſimi geſtus Imperator blande ꝓ ludo, & inept⁹ vt erat vultu, percipiens, humili deuotione Eccleſiã intrauit, in qua ita

* fort. ſpatijs.

Actor. 4.

timoratè ſe geſſit, quaſi ipſum Dominum Ieſum Chriſtum præ oculis corporalibus habere videretur. Qui etiam omni tempore nõ pro aliqua neceſſitate, ſed pro largiendi occaſione ſingulis ſabbatis balneari, & cuncta quæ depoſuerat, præter gladium & baltheum, apparitoribus ſuis dare conſueuerat. Quæ eiùs liberalitas vſq; ad infimos etiam peruenit, adeo vt STRACHOLTO vitreario ſeruo Sancti Galli totam veſtituram ſuam tunc ſibi ſeruienti præciperet dari. Quod cum erronei militum vaſalli cognouiſſent, ei iuxta viam inſidias ponentes ſpoliare moliti ſunt. Quibus cum idem diceret, Quid facitis vitreario Cęſaris vim inferentes? Reſponderunt, Officium quidem tuum habere te permittimus...

Videntur quædam deeſſe.

...

HER-

HERMANNI CONTRACTI COMITIS DE VöRINGEN,

MAIORIS AVGIÆ MONACHI CRONICON,

A

VVLGATO ILLO ET AB EO ETIAM QVOD VRSTISIVS EDIDIT, LONGE DIVERSISsimum & locupletius.

NVNC PRIMVM EX MANVSCRIPTO CODICE AVGVSTANI MONASTERII SS. AFRÆ & Vdalrici editum.

AD LECTOREM.

CHRISTIANVS *Vrstisius tomo* I. *illustrium Germanicorum Scriptorum, vulgatæ Hermanni editioni aliam locupletiorem adiunxit, è regione respondentem. Cum quibus, si quis hoc nostrum Vlricianum apographum conferat, deprehendet, esse vtrisque longè plenius, auctius, atque emendatius. Vt autem huius diuersitatis causam, quæ mihi videtur, significem; censeo Hermanno in conscribendo chronico id euenisse, quod & hodie multis claris Scriptoribus: placuit fœtus, quem lambendo formauit, variauit; & hoc aliquoties: vt proinde accesserint multa. Hæc coniectura & Vrstisij est: quam, erunt mecum, qui non pro certa recipiant; & eo quidem nunc minus, quod tertia Hermanni Editio accedit: quæ ego fere persuadeor varietates à descriptoribus esse, quorum alius pro cuiusque captu, nonnulla adiecerit, alius resecuerit. id enim antiquitus plerunque fieri consuesse obseruo in illis libris, quos monachi sibi quisque priuo usui describebant. Sane insunt huic, nusquam vnquam antehac visa, quæ historiam illius æui illustrent. Quis Hermannus fuerit, breuiter habe. Comites de Vöringen ditionem habuerunt in alpibus Sueuiæ, & ad Danubium supra Riedlingam. Ex horum illustri familia Hermannus. Trithemius Monachum sancti Galli facit: sed errat. Erroris causa forte est, quia vulgata illa editio primùm ex codice Sangallensi transcripta fuit. Nam fuisse cœnobitam in Augiâ Maiori (Reichenaw) in insula lacus Cellensis, qui Acronij appendix est, ipsemet sæpe diserte fatetur.* Hermannus, qui dicebatur Cótractus, *inquit Abbas Spanheimensis*, Monachus Cœnobij sancti Galli, ordinis diui patris Benedicti, natione Teutonicus, filius Comitis de Vöringen in Sueuia, vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & in secularibus literis, vniuersaliter doctissimus, philosophus, poeta, astronomus, rhetor & musicus, nulli suo tempore secundus, trium linguarum, Græcæ, Latinæ, & Arabicæ peritissimus. Scripsit carmine & prosa multa præclara volumina, de quibus ego tantum reperi subiecta; videlicet de musica, de monochordo, de sex ætatibus mundi, de compositione astro-

astrolabij, de vtilitate astrolabij, de eclipsibus, de quadratura circuli, de conflictu rythmomachiæ, de physiognomia, vitas plurium Sanctorum, Hymnos & prosas varias. Composuit etiam dulci & regulari melodia cantus & prosas pulcherrimas: E quibus est illa de beata Virgine Maria dulcissima: SALVE REGINA. Et: ALMA REDEMPTORIS MATER. & cæteræ, quarum copiosus est numerus. Transtulit etiam nonnulla Græcorum Philosophorum & Arabum Astrologorum volumina in Latinum. Membris fuit iuxta nomen suum contractus, sed semper in gratiarum actione perseuerans. Vnde & per Beatam Virginem Dei Genitricem interius mirabiliter consolari & illustrari meruit. Claruit temporibus Henrici Imperatoris secundi, Anno Domini M XL. *Ex omnibus illis libris Hermanni solum Chronicon de sex mundi ætatibus iam extat.*

CHRO-

CHRONICA HERMANNI, VIRI NOBILIS, COMITIS DE VÖRINGEN, AC AVG. MONAsterij Monachi religiosissimi: Scripsit ad tempora Papæ Victoris 21. & Hainrici Imperatoris, ad annos ab Incarnatione 1054. & anno ætatis 44.

Augiensis.

ANNO 42. Octauiani Augusti Cæsaris, ex quo autem Ægyptus in Prouinciam redacta est, & Cleopatra cum Antonio victa, 28. anno; ab vrbe verò condita 752. Olympiadis 193. anno tertio Dominus noster IESVS Christus in Bethleem Iudæ nascitur: transactis ab initio mundi secundum Hebraicam veritatem annis 3952. secundum septuaginta Interpretes verò 5199.

2. Infantes pro Domino trucidantur ab Herode.

3.

4.

5. Asinius Pollio orator moritur.

6. Herodes Rex Iudeæ cum magno cruciatu moritur. Pro quo Archelaus regnauit annis 9.

7. Fames magna Romæ facta est.

8. Tiberius Cæsar Dalmatas Sarmatasq; subegit.

9.

10.

11.

12. Iani portæ, 12. annis iam ab Augusto clausæ aperiũtur Messa-

13. Messala Coruinus orator moritur.
14. Eclipsis solis facta est.
15. Archelaus in Viennam Galliæ vrbem ab Augusto relegatur. Et AVGVSTVS moritur anno ætatis 76. Imperij 56. pro quo TIBERIVS regnat annis 23.
16. Herodes Tetrarcha Iudæorum regnum tenuit annis 24.
17. Mathematici vrbe pelluntur.
18. Liuius Historiographus moritur. Ouidius poëta in exilio * mittitur.

* al. moritur

19. Germanicus à Tiberio missus Germanos vicit.
20. Tredecim vrbes terræmotu corruerunt.
21. Fenestella historiographus & poëta moritur.
22. Tiberius multos Reges ad se vocatos dolo nunquam remisit.
23. Pompeij theatrum incensum est.
24. Tiberius Drusum consortem regni fecit, qui eodem anno veneno periit.
25.
26.
27. Pilatus præses Iudçæ à Tiberio mittitur.
28.
29.
30. Dominus IESVS Christus à Ioanne baptizatur trigesimo anno ætatis suæ secundum carnem inchoante, & prædicare cœpit.
31. Ioannes Baptista ab Herode Tetrarcha decollatur.
32.
33. Dominus in Ierosolyma passus est & resurexit. Eclipsis solis, & maximi terræmotus facti sunt.
34. Iacobus frater Domini Ierosolymorum Episcopus ab Apostolis ordinatus sedit annis 30.

35. Pilatus imaginem Cæſaris in templo ſtatuens, ſeditionem excitauit.

36. Pilatus Romam venit, & de miraculis Domini Cæſari nunciauit.

37. Tiberius ea, quæ à Pilato audierat Senatui nunciauit, ſed Senatus contempſit.

38. Tiberius populum Romanum grauiter afflixit, & ipſe veneno periit.

Hæc & ſequentia ad orã adſcripta ſunt in m. ſ. Gaius regnat ann. 3. menſ. 10. dieb. 8. vir ſceleſtiſſimus.

39. Herodes Agrippa Rex Iudęæ à Gaio conſtitutus, regnat annos 7.

40. Iudæi apud Alexandriam profligantur, pro quibus Philo clariſſimus ſcriptor Gaium interpellans, nihil profuit.

41. Pilatus ſemetipſum interfecit, magnis à Gaio calamitatibus oppreſſus.

42. Matthęus Euangelium hebraicè ſcripſit. Gaius occiditur à ſuis.

Claudius annos 13. menſ. 8. dies 28.

43.

44. Petrus Apoſtolus Romam venit, ibiq; per 25. annos prædicans, Epiſcopatum tenuit.

45. Herodes Agrippa ab Angelo percuſſus, expirauit: pro quo filius eius Agrippa regnauit ann. 26. Marcus Euangeliſta in Ægypto prædicauit.

46. Claudius Britanniam ſubegit. Fames magna facta eſt.

47. Noua Inſula 30. ſtadiorum in mari apparuit.

m. ſ. habet: 69144.

48. Ciues Romani à Claudio numerati inuenti ſunt ſexagies nouies centena & quadraginta quatuor millia.

49. Iudæorum in ſeditione 30000. necantur in diebus Azymorum.

50.

51. Claudius Iudæos vrbe expulit.

52. Magna fames Romæ facta eſt.

Clau-

53. Claudius Felicem Procuratorem Iudęæ fecit.
54. His temporibus Simon Magus ſimoniacæ hæreſeos auctor extitit.
55. Ægyptius quidam pſeudopropheta Iudæorum plures ſeducens, à Felice opprimitur.
56. Claudius veneno mortuus eſt anno ætatis 64.
57. Nero flagitioſus primam in Chriſtianos perſecutionem exercuit. Seditio in Cæſarea orta plures Iudæorum perdidit.

Nero ann. 13. menſ. 7. dies 28.

58. Paulus Apoſtolus Romam à Feſto præſide mittitur.
59. Huc vſq; librum, Actus Apoſtolorum, Lucas Euangeliſta perduxit, continentem annos à Paſſione Domini 27.
60. Statius Poëta clarus erat.
61. Nero Agrippinam matrem ſuam & ſororem patris interficit.
62. Nero infinita luxuria & laſciuia ignauiaq; bacchatur.
63. Iacobus Frater Domini à Iudæis lapidatur.
64. Marcus Euangeliſta apud Alexandriam paſſus eſt.
65. Neronianæ thermæ à Nerone ædificantur.
66. Nero vt ſimilitudinem Troiæ ardentis videret, magnam partem vrbis incendit.
67. Nero magiſtrum ſuum Senecam interfecit.
68. Veſpaſianus aduerſus Iudæos rebellantes à Nerone mittitur.
69. Petrus & Paulus à Nerone propter Simonem magum trucidantur, & peſtilentia Romæ facta eſt. Neroq; ſeipſum interfecit. Linus primus à beato Petro ſedit ann. 12. Antiochiæ ſecundus Epiſcopus ordinatur Ignatius.
70. Galba menſes 7. Otho menſes 3. Vittellius menſes 8. Veſpaſianus in Iudæa pugnãs Imperator ab exercitu conſtituitur, vir militari virtute præcipuus.

Veſpaſianus ann. 9. menſ. 11. dies 22.

71. Titus Iudæos inenarrabili fame cruciatos obſedit.

72. Ierusalem à Tito expugnata destruitur anno à passione Domini 40. a prima vero conditione templi sub Salomone 1089.

73.

74.

75. Hoc tempore Iosephus historiographus clarus habetur.

76.

77. Colossus erectus est habens altitudinis pedes. 107.

78.

79. Pestilentia Romæ facta est, & terræmotus 3. ciuitates Cypri subuertit.

80. Vespasianus profluuio ventris in villa circa Sabinos obijt.

Titus ann. 2. mens. 2.

81. Titus vir erat omnium virtutum genere mirabilis, ita vt delitiæ & amor humani generis diceretur. Hic amphitheatrum Romæ construxit, in cuius dedicatione 5000. ferarum occidit.

82. Cletus Papa secundus anno. 12. Titus in eadem villa qua & pater obijt anno ætatis 42.

Domitianus frater Titi an. 15. mens. 5.

83. Domitianus infectus omnibus sceleribus secundo persequitur Christianos. Idem etiam eunuchos fieri prohibuit.

84. Decreto Senatus Titus inter Deos refertur.

85. Tres virgines Vestæ ob stuprum damnantur.

86. Anianus primus post Marcum Euangelistam Episcopus Alexandriæ, post annos 22. obijt: pro quo Abilius sedit annis. 13.

87.

88. Domitianus se Deum & dominum appellari iussit.

89.

90. Quintilianus rhetor Romæ clarus habetur.

91. His temporibus hæresis Menandri magi, & Hebionitarum, & Cherinthiorum & Nicolaitarum exoritur.
92. Romani plurima mala à Cęsare & ab hostibus pertulerunt.
93. Domitianus de Dacis & Germanis triumphat.
94. Clemens Papa tertius sedit annis 9. Cornelia virgo Vestalis ob stuprum viua defossa est.
95. Domitianus multos nobilium occidit.
96. Hoc tempore Ioannes Apostolus in Pathmos insulam à Domitiano in exilium missus Apocalypsin scripsit.
97. Domitianus Flauiam Domitillam cum multis alijs in exilium pro fide Christi relegauit.
98. Domitianus cum multa mala egisset, à suis crudeliter interfectus est anno ætatis suæ 35.
99. Nerua primo edicto suo omnes exules reuocauit. Sanctus Ioannes Apostolus ab exilio rediens Euangelium scripsit. Nerua confectus morbo obijt, pro quo Traianus regnauit.

Nerua ann. 1. mens. 4. dies 8.

100. Traianus genere Hispanus vir Reip. vtilis, sed errore deceptus tertius persequitur Christianos. Alexandriæ Cerdo III. Episcopus sedit ann. 12. Ioannes Apostolus apud Ephesum dormiuit in pace, anno à passione Domini. 68.

Traianus an. 19. mens. 6. dies 15.

101.
102.
103. Euarestus Papa IV. sedit annis. 8. Traianus de Dacis & Scythis triumphat.
104. Traianus multas gentes Romano subiecit imperio.
105.
106. Aurea domus Neronis incendio conflagrauit.
107. Terræmotu multæ vrbes subuersæ sunt.
108. Alexandriæ Ecclesiæ IV. Episcopus ordinatur, nomine Primus.

109. Simon filius Cleophæ, qui in Ierosolymis Episcopatum tenebat, crucifigitur anno ætatis 120. Pro quo Iustus tertius.

110. Ignatius Antiochiæ Episcopus Romam perductus bestijs traditur: Pro quo constituitur Episcopus Oron.

111. Alexander Papa quintus sedit annis 10.

112. Pantheum Romæ fulmine concrematum.

113. Post Iustum Ierosolymæ Episcopum Zachæus constituitur quartus.

114. Terræ motus pænè totam Antiochiam subruit.

115. Traianus Assyriam, Armeniam, & Mesopotamiam prouincias facit.

116.

117. Iudæi commoti magnas cædes hominum faciunt, sed in Alexandria victi ab omnibus vbiq; trucidantur.

118. Traianus apud Seuleuciam profluuio ventris moritur anno ætatis 64.

Adrianus ann. 21.

119. Hic per Quadratum discipulum Apostolorum & Aristidem virum sapientem libris apologeticis edoctus, mitis efficitur Christianis.

Adrianus Alexandriam publicis restaurauit expensis.

120. Adrianus iterum Iudæos profligat.

121. Xistus Papa VI. sedit annis 12. Adrianus plurimum tributa relaxat.

122. Adrianus bellum cõtra Sauromatas gessit, Terræ motus factus est.

123. Adrianus in Lybiam, quæ à Iudęis vastata fuerat, colonias deducit.

124. Iustinus Episcopus Alexandrinus sedit annis 11. Adrianus legem dedit Atheniensibus.

125. Ierosolymis post Philippum Seneca decimus constituitur.

126. Hoc

126. Hoc tempore Aquila interpres habetur.

127. Adrianus Apologeticis nostrorum acceptis literas pro Christianis misit.

128.

129. His temporibus Saturninus & Basilides & Carpocrates hæresin condiderunt.

130. Adrianus Pater patriæ primus appellatur.

131. Antiochiæ ordinatur Cornelius Episcopus. Nicopolis & Cæsarea terræmotu corruerunt.

132.

133. Telesphorus Papa VII. sedit ann. 7.

134. Iudæi in arma versi Palæstinam depopulantur.

135. Alexandriæ Eumenes Episcopus sedit ann. 13.

136. Iudæi iterum commoti magnis vbiq; cædibus enecantur.

137. Ierusalem ab Helio Adriano reparata est, & ex eius nomine Helia nuncupata, & Iudæis ne introirent, interdicta.

138. Primus ex gentibus Ierosolymis Episcopus Marcus ordinatur, cùm iam 15. de Iudaica gente obijssent.

139. Adrianus morbo intercutis aquæ moritur, maior sexagenario.

140. Antoninus cognomēto Pius per Apologeticum Iustini Christiani philosophi, & postea Martyris edoctus clemens efficitur nostris. Iginus Papa IIX. sedit annis. 4.

Antoninus ann. 22. menses. 3.

141. Antoninus pater patriæ appellatur.

142. Valentinus & Cerdo, & post hos Marcus & Marcion Ecclesiam hæresi impugnant.

143. Iustinus philosophus pro Christianis Apologeticon Antonino scripsit.

144. Pius Papa nonus sedit annis 15.

145. Antiochiæ constituitur Episcopus Heros.

146.

147.

148. Ale-

148. Alexandriȩ Marcus VII. Episcopus sedit annis 10.
149. Valentinus Hæreticus agnoscitur.
150.
151.
152. Apollonius & Basilides Philosophi illustres habẽtur.
153.
154.
155.
156. Crescens Cynicus philosophus Iustino nostro persecutionem commouit, in qua ille gloriosè sanguinem fudit.
157. Alexandriæ Celadion Episcopus sedit annis 14.
158. Anicetus Papa X. sedit annis 13.
159. Ierosolymis post Marcum factus est Episcopus Cassianus XVII.
160. Antoninus Pius apud Lorum obiit anno ætatis 77.

Marcus & Lucius ann. 19. mens. 1.

161. Marcus Antoninus Verus cum fratre Lucio Aurelio Commodo, æquo iure administrauerunt imperium.
162. Lucio Cæsari Athenis sacrificanti ignis ab oriente in occidentem in cælo ferri visus est.
163. Fronto orator insignis habetur.
164. Cæsares de Parthis triumphant.
165. Quarta persecutio orta apud Asiam Polycarpũ cum plurimis & in Gallia multos Sanctorum coronauit.
166.
167. Lues maxima multas vastauit Prouincias & exercitum Romæ penè deleuit.
168. Sother Papa XI. sedit annis 8.
169. Antiochiæ Theophilus Episcopus ordinatur vir sapiens.
170. Lucius Cæsar apoplexia extinctus est. Alexandriæ Agrippinus Episcopus sedit annis 12.
171. His temporibus Egesippus, Dionysius Corinthi Episco-

Episcopus, & Pinitus Cretæ Episcopus clari habentur.

172.

173. Catafrigarum hæresis oritur.

174. Hoc tempore Traianus hæresin Encratitarum condit.

175. Maxima per totum orbem pestilentia fuit.

176. Antoninus multa bella per se & Duces suos faciebat. Eleutherius XII. Papa sedit annis 15.

177. Antoninus Commodum filium suum consortem regni fecit. Lucius Britanniæ Rex ab Eleutherio Papa Christianus efficitur.

178. Imperatores dona largiti sunt, debita relaxant, & seueriores leges temperant.

179. Antoninus in Pannonia morbo perijt & Commodus à senatu Augustus appellatur.

Commodus XV. ann. 13.

180. Commodus post mortem patris Germanos vicit. Hic obscœnus & prauus fuit.

181. Alexandrię templum Serapis incensum. Iulianus X. Alexandriæ Episcopus sedit annis. 10.

182. Hyreneus Lugdunensis Episcopus insignis habetur. Panthenus & Clemens Alexandriæ clari habentur.

183. Commodianæ thermæ Romæ factæ sunt.

184. Commodus Septembrem mensem nomine suo appellauit.

185. Ierosolymis XXVI. ordinatur Maximus Episcopus. Origenes apud Alexandriam nascitur.

186. Montanus quidam hæresin Catafrigarum condit.

187.

188. Capitolium Romæ & bibliotheca fulmine cremantur.

189. Alexandriæ Episcopus Demetrius sedit annis 43. Commodus colossi capite sublato suæ imaginis caput iussit imponi

190. Commodus multos nobiliũ interfecit. Serapio IIX. Antiochiæ Episcopus ordinatur.

191. Quęstio de Pascha oritur & in Dominica die celebrari iubetur.

al. leg. Vestiliani.

192. Commodus cunctis incommodus in domo vestali strangulatur.

Pertinax 16. mens. 7.

193. Pertinax maior septuagenario ex senatusconsulto iussus est imperare. Victor XIII. Papa sedit an. 10.

194. Pertinacem occidit in palatio Iulianus iurisperitus: & regnauit pro eo 7. menses.

Seuerus VII. mens. 17.

195. Seuerus genere Afer Iulianum apud Miluium pontem interfecit. Et in honorem Pertinacis, quem idem Iulianus occiderat, Pertinacem se cognominari fecit.

196. Hoc tempore Narcissus Ierosolymorum Episcopus &

197. Theophilus Cæsariensis, Polycarpus quoque & Bacchilus & alij insignes Episcopi habentur.

198. Iudaicum & Samaricum motum est.

199. Seuerus Parthos & Adiabenos Arabesq; superauit.

200.

201. Thermę Seuerianæ apud Antiochiam factæ sunt.

202. Zepherinus Papa XIV. sedit annis 18.

203. Seuerus quinta persecutione plurimos Sanctos coronauit; inter quos pater Origenis, Leonides, cum multis alijs martyrizatur.

205. Perpetua & Felicitas hac persecutione bestijs deputantur apud Carthaginem.

206. Symmachus & Theodocion interpretes habentur his temporibus.

207. Seuerus vallum apud Britannos per 132. millia passuum à mari ad mare fecit.

208. Tertullianus Afer clarissimus habetur.

209. Origenes Alexandriæ studijs eruditur.

210 Seuerus in Britannia moritur.

211. An-

211. Antiochiæ Asclepiades Episcopus ordinatur.

212. Alexander Ierosolymorum Episcopus ordinatur, viuente Narcisso, Deo per visum iubente.

213. Antoninus Caracalla propter genus vestis, quod Romæ erogabat, cognominatur.

Antoninus XIIX. an. 7.

214. Antonianæ thermæ dictæ sunt Caracallæ ex nomine Antonini.

215. Antoninus Romæ thermas sui nominis ædificauit.

216. Antoninus impatientia libidinis nouercam suam Iuliam duxit vxorem.

217. Antoninus interficitur anno vitæ 43.

218. Romæ amphitheatrum incenditur. Antiochiæ Episcopus constituitur Philetus X.

Marcrinus cum filio Diadumeno occidit in Archelaide.

Macrinus an. 1

219. Aurelius Antoninus adeo impudicè in imperio vixit, vt nullum genus obscœnitatis omiserit. Callistus Papa XV. sedit annis 5.

Aurelius Antoninus an. 4.

220. Hippolytus Episcopus clarus habetur.

221. In Palęstina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, condita est.

222. Aurelius tumultu militari Romæ occiditur.

223. Alexander Xerxem Persarum Regem vicit.

Alexander XXI, 13.

224. Hic militaris disciplinæ Seuerus corrector fuit.

225. Vrbanus Papa XVI. sedit annos 9. Hic multos nobiles ad fidem Catholicam conuertit.

226. Vlpianus iurisconsultus insignis habebatur.

227. Thermæ Alexandrinę Romæ ædificantur.

228. Geminus presbyter Antiochenus & Hippolytus & Beryllus Episcopus & Bostrenus clari scriptores habentur.

229. Antiochiæ ordinatur Episcopus Zebennus XI.

Alexandriæ Heradas Episcopus ann. 16.

230. Mammea mater Alexandri Originem celeberrimum doctorem ad se vocatum audiuit.

231. Alexander in matrem Mammeam vnice pius fuit & omnibus ob id amabilis.

232. Origenes de Alexandria ad Cæsarẽ Palæstinæ transit.

233. Pontianus Papa XVII. sedit annos 5.

234. Alexander Romæ fauorabilis fuit.

235. Alexander tumultu militari Mogontiaci occiditur.

Maximinus 22. ann. 3.

236. Maximinus Christianos & maximè Rectores Ecclesiæ sextus post Neronem persequitur.

237. Maximinus aduersus Germanos bellum feliciter gessit.

238. Maximinus Aquilegiæ à Pupieno occiditur.

Gordianus 23. ann. 6.

239 Antherus Papa XIIX. sedit .... mens. 1. post quem Fabianus XIX. ann. 13.

240. Pupienus & Albinus, qui imperium arripuerant, in palatio à Gordiano occisi sunt.

241. Hoc tempore Iulius Africanus chronographus clarus habetur.

242. His temporibus Origenes Theodorum & Athenodorum fratres, postea Episcopos nobiles diuina imbuit Philosophia.

243. Gordianus cum victor à Parthis reuerteretur, haud longe à Romano solo interficitur.

244. Milites Gordiano tumulum ædificant, & ossa eius Romam reportant.

Philippus 24. cum filio an. 7.

245. Philippus primus omnium Imperatorum Christianus fuit. Hic filium suum Philippum consortem regni fecit.

246. Regnantibus Philippis millesimus annus Romanæ vrbis expletus est.

247. Millesimus annus à Christiano Imperatore variis ludis celebratus est.

248. Theatrum Pompeij Romæ incensum.

Philip-

249. Philippus nominis sui in Thracia construxit....
His temporibus Origenes multa scripsit.

250. Alexandriæ Dionysius XIII. Eps sedit annis 17.

251. Philippus senior Veronæ, Romæ verò iunior occiditur.

252. Decius cum Philippos patrem & filium interfecisset, ob eorum odium in Christianos persecutionem mouet. Antonius in Ægypto nascitur. Decius cum filio occiditur. Fabianus martyrizatur: pro quo Cornelius Papa sedit ann. 2. qui etiam ipse martyrio coronatur.

Decius 25. anno 1 mens. 3.

Gallus cum Volusiano anno 2. mens. 3.

253. Origenes anno ætatis 70. moritur. Nouacius presbyter hæreseos auctor interficitur. Maxima pestilentia facta est.

254. Lucius Papa XXI. mens. 8. post quem Stephanus ann. 2. Gallus cum filio interficitur.

Valerianus & Gallienus annis 15.

255. Valerianus octauus persecutionem in Christianos exercuit.

256.

257. Cyprianus doctor eximius Carthaginensis Episcopus martyrio coronatur.

258. Valerianus à Sapore Persarum Rege capitur. Xistus Papa sedit ann. 6.

259. Valeriano in Persas ducto, & oculis priuato Galienus pacem reddidit nostris.

260.

261. Galienus in omnem lasciuiam dissoluitur.

262. Germani Italiam, Alamanni Gallias & Italiam populantur.

263. Macedonia, Græcia, Pontus, Asia & aliæ prouinciæ depopulantur per Gothos.

264.

265. Dionysius Papa sedit an: 9.

266. Hoc tempore Theodorus, qui etiã Gregorius Neocæsareæ Episcopus, virtutibus claruit.

267. Hierosolymis Hymeneus Episcopus ordinatur.

268.

269. Galienus Mediolani occiditur.

Claudius an. 1. mens. 9.

270. Claudius Gothos iam per annos 15, Illyricum Macedonicumq; vastantes superat.

Paulus Samosatenus Antiochiæ Episcopus hæreticus esse conuincitur.

Claudius Sirmio moritur; pro quo frater eius Quintillus regnauit dies 17. & Aquileiæ occiditur.

Aurelianus ann. 5. mens. 6.

271. Aurelianus primo vtilis & clemens Christianis, postea persecutor fuit.

272. Zenobia regina orientis vincitur. Eusebius Laodicensis Episcopus insignis habetur.

273. Aurelianum Romæ triumphantem Tetricus & Zenobia captiui præcessere.

274. Imperator Soli templum ædificat & nonus Christianos persequitur.

Tacitus mens. 6.

275. Aurelianus diuino fulmine territus, interficitur à militibus: pro quo regnauit Tacitus mensibus 6. quo apud Pontum occiso Florianus regnauit diebus 88. & occiditur.

Probus ann. 6. mens. 4.

276. Felix Papa XXV. sedit an. 5.

277. Probus Gallias à Barbaris occupatas ingenti virtute restituit.

278. Anatolius Laodiceę Episcopus clarus habetur.

279. Manes quidam genere Persa insanam Manichęorum hæresin condit.

280. Antiochiæ Episcopus XIIX. constituitur Quirillus.

281. Eutycianus Papa sedit menses 8. cui successit Gaius Papa, sedit annos 16.

282. Probus

282. Probus apud Sirmium tumultu militari occiditur. *Carus cum filiis Carino & Numeriano ann. 2.*
283. Carus victor de Parthis super Tigridem, fulmine ictus interijt.
284. Numerianus insidijs Apri soceri sui occisus est.
Carinus apud Margum à Diocletiano prælio victus interficitur.
Huc vsq; ab Incarnatione Domini supputantur secundum Dionysium anni 284.
285. Ab hoc anno Græci Paschales circulos inchoabant.
286. Diocletianus Herculianum Maximianum in consortium regni assumit. *Diocletianus ann. 20.*
287. Maximianus in Gallia Amandum cum rusticis vicit.
288. Hoc tempore Carausius Britanniam, Narseus Rex Persarum Orientem, Achilleus Ægyptum, Quinquegentiani Africam infestauere. Ob quæ Constantinus, Galerius, & Maximianus in regnum assumuntur.
289.
290. Diocletianus Constantium Constantini patrem Cæsarem fecit, qui regnauit annos 16.
291. Imperator Galerium Maximianum Cæsarem fecit.
292. Hoc tempore Phierius presbyter & Achillas & Melitus Alexandriæ claruere.
293. His temporibus diuersis & multis prælijs hostes diuersi vincuntur.
294.
295 Diocletianus se vt Deum adorari iussit.
296. Gaio per Martyrium coronato Marcellinus XXIIX. successit.
297. Diocletianus victo Achilleo Alexandriam Ægyptumque recepit.
298. Idem plurimos per totam Ægyptum proscriptionibus & exilijs damnauit.

299. Con-

299. Constantius 6000. Alamannorum iuxta Lingonas occidit.

300. Galerius Maximianus à Narseo victus, ante carpentum Diocletiani purpuratus cucurrit.

301. Maximianus Narseum superauit & vxorem eius ac liberos captiuauit.

302. Maximianus & Diocletianus insigni pompa de hostibus triumphant.

303. Diocletianus & Maximianus Ecclesias subuertunt, libros diuinos incendunt & Christianos cruciant.

304. Diocletianos Nicomediæ & Maximianus Mediolani purpuras & regna deponunt. Eusebius Papa sedit menses 8. post quem Miltiades annos 4.

305. Maximinus & Seuerus Cæsares facti sunt. Cõstantius Augustus obijt: Post quẽ filius eius Constantinus regnauit.

Constantinus Constantij ex concubina Helena filius, primus Imperator excepto Philippo Christianus fuit; & ab hoc Christiani Imperatores esse cœperunt.

Constantinus ann. 30. mens. 10.

306. Maxentius Maximiani Herculiani filius Augustus appellatur.

307. Maximianus apud Massiliam turpiter interficitur.

308. Occiso Seuero Licinius Cæsar efficitur. Galerius Maximianus moritur.

309. Syluester Papa sedit annos 25. Maximinus Christianos persequitur: & apud Tharsum moritur.

310.

311. Maxentius iuxta Miluium pontem à Constantino superatus occiditur.

312. Persecutio post 10. annos finita est.

313.

314. Diocletianus in prędio suo moritur & solus omnium priuatus inter Deos refertur.

315. Plu-

315. Plurimi perſecutorum & magorum trucidantur.
316.
317.
318. Licinius Chriſtianos de palatio ſuo pellit, & eos perſequitur.
319. Hoc tempore Arrius Alexandriæ presbyter nefandam Arrianorum hæreſin condit.
320. Alexandriæ ordinatur Epiſcopus Alexander.
321. Arrius presbyter ab Eccleſia à ſuo Epiſcopo Alexandro eiectus multos ſuæ impietati ſociat.
322. Concilium in Nicæa congregatur 318. Epiſcoporum ſub Syluestro Papa.
323. Conſtantius filius Conſtantini Cæſar efficitur. Licinius occiditur.
324. Hoc tempore Crux Dominica ab Helena matre Conſtantini Ieroſolymis reperitur.

Sub Machario eiusdem vrbis Epiſcopo Nazarius rhetor inſignis habetur.
325. Vicennalia Conſtantini Romæ Nicomediæ acta, & ſequenti anno Romæ edita.
326. Hucuſque hiſtoriam ſcribit Euſebius. Hinc Hieronymus.
327. Conſtantinus Drepanam Bithyniæ ciuitatem inſtaurans in honorem ſuæ matris Helenopolim appellauit.
328. Arriani Epiſcopi Eccleſiam obtinuerunt, quorum tempora non digeruntur, qui hoſtes Chriſti iudicantur.
329. Iuuencus presbyter claruit. Porphyrius hæreticus à Conſtantino de exilio liberatur.
330. Alexandriæ ordinatur Epiſcopus Athanaſius. Dedicatur Conſtantinopolis.
331. Edicto Conſtantini Gentilium templa ſubuerſa ſunt.
332. His temporibus Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus & alij multi doctores claruerunt.

333. Antonius Monachus clarus habetur.

334. Constantinus cum liberis suis honorificas ad Antonium litteras mittit.

335. Tricennalibus Constantini Dalmatius Cæsar appellatur.

336. Constantinus dum bellum parat in Persas, apud Nicomediam obijt anno ætatis 66.

35. Constantinum, Constantium & Constans ann. 24. men. 5 dies 13.

337. Dalmatius Cæsar factione Constantij patruelis & tumultu militari interficitur.

338. Constantius Arriana hæresi per Arrianum presbyterum & Eusebium Nicomediensem pollutus, Athanasium Episcopum & omnes non suæ partis Episcopos persequitur.

339. Constantinus fratri Constantio bellum inferens iuxta Aquileiam occiditur.

340. Terræ motus multas vrbes subuertit.

341. Franci à Constante perdomiti in pacem recepti sunt

342. Constantinopoli eiecto ab Arrianis Paulo Episcopo, Macedonius hæresiarches substituitur.

343. Hoc tempore Maximinus Treuirorum Episcopus claruit; à quo Athanasius à Constantio profugus suscipitur.

344. Athanasius ad Constantis litteras Alexandriam regreditur.

345. Eclipsis solis facta est: & terræ motus multas vrbes subuertit.

346. Tribus diebus ac noctibus Roma natauit: & Campaniæ vrbes vexatæ.

347. Bellum contra Persas geritur graui Romanorum damno.

348. Romæ ordinatur Liberius: quo ab Arrianis expulso, Fœlix in eius locum substituitur.

349. Constans interficitur anno ætatis 30. Magnentius & alij multi conturbant P. R.

350. His

350. His temporibus ossa Timothei & S. Andreæ Apostolorum & Lucæ Euangelistæ Constantinopolim inuecta sunt.

351. Gallus Constantij patruelis Cæsar factus, Magnentius seipsum occidit.

352. Antonius Monachus 105. ætatis suæ anno in eremo moritur. Et multi alij eremitæ claruerunt.

353. Gallus Cæsar occiditur. Victorinus Rhetor & Donatus Grammaticus insignes habentur.

354. Iulianus Cæsar efficitur à Constantio. Eusebius Vercellinus & Dionysius Mediolanensis cum alijs exulantur.

355. Magnæ Alamannorum copię apud Argentarium deletæ sunt à Iuliano Cæsare.

356. Iulianus Rheno Germanos vicit. Hilarius Pictauiensis & Athanasius Alexandrinus ab Arrianis multa mala passi sunt.

357. Apud Ariminum Synodus Arrianorum contra fidem facta est. Paulinus Treuirensis Episcopus in exilio moritur.

358. Iulianus Augusti nomen vsurpat. Constantius in Parthos bellum parat.

359. Constantius Parthico bello dimisso contra Iulianum arma sumit.

360. Constantius moritur anno ætatis 45.

361. Iulianus ex Christiano lectore paganus factus, persequitur Christianos. Athanasius, Eusebius, & Lucifer de exilio reuertũtur. Pagani apud Sebasten sepulchrum sancti Ioannis Baptistæ inuadunt.

36. Iulianus an. 1. menses 8.

362. Iulianus ad bellum Parthicum profectus, & Christianorum sanguinem Dijs suis vouens, Dei iudicio à quodam hoste occisus interijt anno ætatis 32. post quem Iouianus Imperator factus cum omni exercitu ad Christianitatem redit. Antiochiæ synodus hæresiaca collecta est.

37. Iouianus mens. 8.

363. Iouianus in noua domo recubans, suffocatus odore prunarum & calcis moritur: pro quo Valentinianus regnat, qui ob fidem Christi tribunatu militum à Iuliano priuatus est.

Valentinianus ann. 11.

364. Valentinianus Valenti fratri suo orientis imperium dedit.

365. Romæ Damasus Papa ordinatur. Valens ab Eudoxio Arrianorum Episcopo baptizatus Christianos persequitur.

366. Gratianus filius Valentiniani imperator efficitur. Veralana pluuia mixta de nubibus fluxit.

367. Athanaricus Rex Gothorum, Christianos persequitur. Hilarius Episcopus Pictauię moritur. Nicęa terræ motu corruit.

368. Eusebius Vercellinus moritur. Hoc tempore Apollinaris Episcopus hæresin condit.

369. Magna fames in Phrygia.

370. His diebus post Auxentij Arriani mortem Ambrosius Episcopus Mediolanensis ordinatur.

371. Didymus Alexandriæ cæcus claruit. Valentinianus Saxones cæde perdomuit.

372. Eunomius agnoscitur. à quo hæresis Eunomiana.

373. Burgondiones iuxta Rhenum consederunt. Hoc tempore docente Ambrosio, Italia ad Christi fidem conuertitur.

374. Valentinianus subita sanguinis eruptione moritur: pro quo Gratianus filius cum patruo.

375. Gratianus 30. millia Alamannorum deleuit.

Valens cum Gratiano & Valentiniano an. 4.

376. Valens legem dedit, vt monachi militarent: nolentes fustibus iussit interfici.

377. Gothi datis à Valente Arrianis doctoribus Arriani efficiuntur.

378. Va-

378. Valens Arrianus imperator post multa mala sua in Thracia trucidato à Gothis Romano exertu, ipse sagitta sauciatus, fugiens, & in vilem casam, cum sæpe equo laberetur, deductus; insequentibusq; hostibus, viuus in ipsa casa incensus sepultura caruit. Post quem Gratianus tertius fratris eius filius cum fratre suo Valentiniano regnauit annos 6.

Huc vsque Chronicam Eusebij Hieronymus perduxit. Hinc Herimannus.

379. Gratianus Imperator ob perturbatum imperij statum, genere Hispanum armis, fide & religione præcipuum orienti Imperatorem præfecit: Qui 17. annis regnans Gothos, Hunnos, Alanos, & alias gentes plures coërcuit deq; Tyrannis Romanorum sæpe imperium vindicauit. Priscillianus de Gallijs Episcopus hoc tempore sui nominis hæresin condit.

Theodosium intelligit

380. Ab hoc anno Theophilus Alexandrinus Episcopus Paschales ciclos inchoat.

Ambrosius Mediolanensis Archiepiscopus multa hoc tempore sublimiter scripsit.

381. Synodus secunda Vniuersalis 150. Episcoporum Constantinopoli agitur. contra Macedonium Hæresiarcham ipsius vrbis Episcopum sub Theodosio Augusto & Damaso Papa.

382. Athanaricus Rex Gothorum persecutorq; Christianorum Constantinopoli receptus à Theodosio moritur.

383. Arcadius filius Theodosij Augusti à patre in consortium regni assumptus regnauit annis 26.

384. Theodosio Augusto filius Honorius nascitur. Romæ post Damasum Papam Siricius, qui in chronicis Prosperi Vrsinus dicitur, Papa quadragesimus sedit annis 14.

385. Maximus in Britannia à militibus Imperator creatus

ad Gallias transfretans, Gratianum Augustum à suis proditum bello victum fugauit, & Lugduni captum occidit, Valentinianumq; Augustum fratrem eius de Italia ad Theodosium in Orientem pepulit, Victoremq; filium suum Imperij consortem fecit.

386.

387.

388. Maximus tyrannus à Theodosio & Valentiniano Augustis victus & captus iuxta Aquileiam purpura priuatur, capite plectitur, & Victor filius eius ab Arbogaste magistro militum in Galliis peremptus est. & Valentinianus Imperio restitutus.

389. Ithacius & Vrsacius Episcopi ob necem Priscilliani, quem accusauerant, Ecclesiæ communione priuantur.

390.

391.

392. Valentinianus Augustus nimia, vt aiunt, Arbogastis austeritate, vitæ pertęsus, apud Viennam laqueo vitam finiuit. A quo Arbogastes insimulatus, Eugenium in Gallia Imperatorē creat. Hieronymus librum, quem de viris illustribus Ecclesię scripsit, hucusq; perduxit.

393. Theodosius Imperator cum filijs Arcadio & Honorio 3. annos regnauit.

394. Ioannes Anachoreta, cuius vitam Hieronymus edidit, Theodosium Imperatorem, contra Eugenium tyrannum victorem fore prædixit.

395. Theodosius Imperator diuinitus adiutus Eugenium pugna victum peremit: & ipse eodem anno Mediolani vita decessit, & apud sanctum Laurentium sepultus est: pro quo filius eius Arcadius cum fratre Honorio annos 13. regnauit. Augustinus Ecclesiæ propugnator facundissimus à Maximo veterano Episcopo Hippone regionis Africæ, adhuc

viuente

viuente, ipsius vrbis Episcopus quamuis inuitus ordinatur, Claudianus Poëta clarus habetur. Ioannes Eremita migrauit ad Dominum.

Huc vsq; Ruffinus Ecclesiasticam historiam Eusebij Cęsariensis Episcopi à se translatam perduxit.

396. Gildo Comes Africæ tyrannidem inibi inuasit, eam sibi vsurpare præsumens.

397. Concilio Carthagini habito Hipponense concilium roboratur.

Sanctus Martinus Turonorum Episcopus post multas virtutes migrauit ad Dominum anno ætatis 81. Episcopatus verò 26. cuius virtutes & vitam Sulpitius Seuerus egregio edidit stilo.

398. Sanctus Ambrosius Mediolanensis Archiepiscopus doctor Ecclesiæ mirificus ad Dominum migrauit. Romę Anastasius Papa 41. sedit annos 4. In Africa Gildo Comes Africæ Mascezele Domino iuuante, pugna victus interijt.

399. Templa idolorum iussu Imperatorum in diuersis partibus orbis destruuntur, & ludi gladiatorum tolluntur. Eutropius eunuchus qui hoc anno cum Theodoro consulatum inuaserat honore & vita priuatus interijt.

400. Gothi Alarico & Radagasio Regib. Italiā ingredientes deuastant. Hoc tēpore Anastasius Papa sua & Italiæ decreta constituit, inuētos in vrbe Manichæos dānauit; & Basilicam, quæ Crescentiana dicitur, via Mamurtina cōstruxit.

401. Ioannes Constantinopolitanus & Theophilus Episcopi clarissimi habentur; sed adeò inter se discordes, vt molimine Theophili Ioannes in Pontum exilio relegatus sit.

402. Pollentiæ Romani, Stilicone Duce, contra Gothos, graui vtrorumque clade pugnantes, tandem victi terga vertunt.

Romæ Innocentius Papa 42. sedit annos 14.

403. Car-

403. Carthagini concilium contra Donatiſtas habitum.

404. His temporibus Innocentius Papa plurima in Eccleſia conſtituit decreta & Eccleſiam Sanctorum Prothaſij & Geruaſij martyrum Romę constructam dedicauit, & Titulum in vrbe conſtituit.

405. Romanis Duce Stilicone in Tuſcia pugnantibus, Radagaiſus cum ducentis millibus Gothorum facili victoria, Deo donante, victus & captus eſt.

406. VVandali, Sueui, & Alani traiecto Rheno 3. Kalen. Ianuarij Gallias hoſtiliter ingreſſi.

407. Conſtantinus in Britannia tyrannide inuaſa ad Gallias tranſit.

408. Arcadius Imperator Conſtantinopoli moritur, relicto pro ſe filio Theodoſio: Cum quo demum huius Patruus Honorius annis 15. regnauit. Stilico Dux fortis cum filio Eucherio ab Honorio Auguſto occiditur.

409. VVandali Albani in die octaua Hiſpanias occupant. Attalus Imperator Romæ per tyrannidem factus, & mox pulſus Gothis cohæſit.

410. Alaricus Rex Gothorum Romam obſedit, multasq; cædes ibi & prædas faciens, locis tantum ſacris, & ad ea profugis, quia Chriſtianus erat, pepercit. Anno ab vrbe condita 1164. Placidia ſoror Honorij Auguſti à Gothis in vrbe inter alios capta. Gothorum pars Venetiam captam poſſedit, & poſtea Oſtrogothi vocati, & cum Romanis confœderati ſunt.

Arelatum 411. Conſtantinus Tyrannus apud Relatum victus ab Honorio captus eſt, filiusq; eius Conſtans in Hiſpania à Gerontio Comite peremptus; & Maximus ab eo in regnum leuatus eſt. Conſtantinus ab Honorio Dux conſtitutus eſt. Alarico Gothorum Rege mortuo, Ataulfus ſucceſſit; qui Placidiam captiuam vxorem accepit. Peſtilentia, fames, beſtię, & gladi-

& gladius barbaricus miserum late vastant & comprimunt orbem.

412. Maximo in Hispania regno ablato vita concessa est. Gothorum pars maxima Rege Ataulfo Gallias ingressa. Heros sancti Martini discipulus Arelatensis Episcopus sanctus, innocens sede sua pulsus est; & pro eo Patroclus ordinatus. VVandali & Sueui Galleciam, Alani Lusitaniam & Carthaginensem prouincias, Silingi Bœticas sortiuntur.

413. Herodianus huius anni cum Lucio consul, nouarum rerum in Africa reus, honore & vita priuatur. Burgundiones partem Galliæ Rheno cõtiguam obtinuerunt. * Louiunus & Sebastianus fratres, Galliæ tyranni, Narbonæ ab Honorio perempti sunt. His temporibus Pelagius Brito, adnitentibus Cælestio & Iuliano liberum arbitriũ plus iusto extollentes, & hominem sine gratiæ Dei auxilio, proprio nisu, perfectum fieri posse afferens fidem Christi & Ecclesiæ turbat. Eius hæresin sanctus Augustinus singulariter præ cæteris expugnat: & Papa Innocentius cum alijs Hæreticis condemnat.

414. Attalus Gothis auctorib⁹. in Gallia tyrannidẽ inuasit.

415. Gothi Hispanias petunt, quorum præsidio Attalus destitutus à Romanis captus est. Ataulfus Rex Gothorum à quodam sociorũ vulneratus interijt, & pro eo VVallia regium nomen inuasit. Hierosolymis corpora sanctorum Stephani protomartyris, Gamalielis, & Nicodemi Luciano presbytero diuinitus reuelata inueniuntur, & innumeris miraculis glorificantur.

416. VVallia Rex Gothorum pacem cupiens, filiam Ataulfi Placidiam fratri Honorio Augusto reddidit. Eius nuptias Dux Constantius promeruit. Romæ Zosimus XLIII. Papa sedit annis 3. qui sua etiam ad Ecclesiæ statum decreta promulgauit.

417. Honorius Augustus Romã triumphans ingreditur, Attalo currum eius præcedente, & postea in exilium misso. Quæstio & dissensio de huius anni Pascha sub Zosimo Papa Romano. Constantius Fredibaldum Regem VVãdalorum, sine bello, arte captum Honorio Imperatori misit.

418. Carthagini concilio Epũm 217. collecto, & à Zosimo Papa confirmato, Pelagius alijq; Hæretici damnantur. Eclipsis solis 14. Kalend. Augusti facta, & cometa abhinc vsq; ad mensem Septembrẽ visa. Pugna inter Gundericum Regem VVandalorum & Ermenricum Sueuorum Regem facta.

419. Honorius Augustus Constantium Ducem in consortium imperij assumit. Romæ Bonifacius Papa XLIV. sedit annis 4. cum quo ab alijs Papa ordinatur Eulalius: Quo ab Augustis eiecto, Bonifacius in sede firmatur: sua etiam decreta constituit, & Ecclesiam sanctæ Fælicitatis & sancti Siluani in vrbe construxit. Constantius Imperator cum VVallia Rege Gothorum pacẽ firmat, data ei cum aliquot vrbibus ad inhabitandum Aquitania secunda.

420. VVallia Rege Gothorũ mortuo Theodoricus successit. Bethlehem Hieronymus presbyter doctor & interpres incomparabilis scripturarum, annó ætatis 91. obijt. Alani à Gothis adeo cæde domiti, vt regio nomine neglecto, Gunderico VVandalorum Regi se tuendos submitterent.

421. Constantius Imperator Rauennæ moritur. Bellum inter VVandalos & Gothos oritur.

422. Exercitus contra VVandalos, Duce Castino, ad Hispanias Gothis auxilium mittitur, à quo offensus Bonifacius vir bellicosus secedens ad Africam se contulit. VVandali vero pene ad desperationem coacti, Castino incautè manum conferente victores effecti sunt.

423. Placidia Augusta à fratre Honorio pulsa cũ filio Valẽtiniano ad Theodosium Augustũ in orientẽ proficiscitur.

Ro-

Romę Cęlestinus Papa XLV. sedit an. 9. qui plurima in Ecclesia fecit statuta,& Basilicā Iulij in vrbe cōstitutam dedicauit. Honori⁹ Occidētis Imperator Rauenę moritur,& Ioannes Tyrañus regnū eius occupat. Theodosius Imperator Oriētis post mortē Patrui sui Honorij regnat annis 26.

424. Theodosi⁹ Valentinianū amitæ suæ Placidiæ filium Cęsarē faciens,ad regnū Occidentis cū matre possidendum remittit. Ioañes Tyrannus Africā contra Bonifaciū petijt.

425. Valentinianus cum matre Ioannē Rauennæ extinctum oppressit: regnum Occidentis recepit: Castinum Ioanni fauentem exilio damnauit: Aëcio patricio, qui Hunnos reuerti fecerat,veniam dedit.

426. Patroclus Arelatensis Eps̄ à tribuno quodam barbaro innocens trucidatus est Gundericus Rex VVandalorum Dei iudicio percussus moritur eiq; Geiseric⁹ tyrañus, Arrianusq; hęreticus& Catholicorū crudelis persecutor successit.

427. Bonifaci⁹ in Africa pollens duces quosdā cōtra se dimicātes occidit; cōtra quē euocatis barbaris, mare ad id tēpus ignotū,peruiū efficitur: vnde gens efferaVVādalorū de Hispanijs exclusa à Gothis freto traiecto Africā inuadens; gladio, pręda,& igne miserabiliter debacchatur: interfecto postea Ermēgario Rege Sueuorū,postquam in Hispania 19. annis debacchati sunt.

428. Nestorius Eps̄ Constātinopolitanus duas in Christo psonas prædicās, hominēq; purū ex Virgine natū diuinitatē postea accepisse affirmās à Cyrillo Alexādrino Epo & Papa Cęlestino hęreseos arguit. Aëci⁹ Comes Roman⁹ multis Frāchis cęsis,partē Galliarū quā peruasam tenuerāt recepit.

429. Aëcius magister militum & patricius factus est.

Agricola Hæretic⁹ Pelagianista Britanias suo inficit errore. vnde sanct⁹ Germanus Antisiodorēsis Eps̄ à Cælestino Papa illo missus,hæresin expugnauit plurimisq; saluti fuit.

430. Sanctus Augustinus Hipponensis Episcopus, Ecclesiæ Christi & Catholicæ fidei propugnator & defensor inuictissimus, in ciuitate sua à barbaris obsessus, cum inter ipsas obsidionis angustias pro Ecclesia sollicitus, Iuliani argutijs pro gratia Dei oppugnans respondisset, ipsa Dei gratia, ne ruinam suorum videret, subtractus 5. Calend. Septemb. migrauit ad Dominum anno ætatis 76. Episcopatus verò seu presbyteratus 40.

431. Tertia Synodus vniuersalis 200. Episcoporum apud Ephesum congregatur sub Cælestino Papa, vbi inter alias hæreses, Nestorius cum secta sua damnatur. Palladius ad Scotos Christo credentes à Cælestino Papa primus Episcopus mittitur.

432. Romæ Xistus Papa XLVI. sedit annis 8. qui accusatus à Basso quodam, ventilata in synodo causa ab Episcopis 56. purgatus, & Bassus damnatus est. Bonifacius de Africa reuersus & magister militum factus cum Aëcio pugnauit & vicit; & post paucos dies morbo absumptus est. Aëcius vero inimicos fugiens, Dalmatias Pannoniasq; petijt, & Hunorum auxilio gratiam Principum pristinamq; dignitatem recepit.

433. Burgundiones Aëcio pugna victi sunt hoc tempore. Xistus Papa Ecclesiam sanctæ Mariæ, quæ Liberij dicebatur, & Ecclesiam sancti Laurentij in vrbe construxit. Confessionem sancti Petri itemq; sancti Laurentij adornauit. Valentinianus quoq; Augustus Ecclesijs multa dona dedit & Confessionem sancti Pauli construxit. Petrus etiam Episcopus sanctæ Sabinæ Ecclesiam fecit.

434. VVandali iam nono anno Africam infestantes pactum à Romanis postulant.

435. Pax cum VVandalis facta, data eis ad inhabitandum Africæ portione. Aëcius Gundickarium Regem Burgundionum

dionum bello obtinuit, ſupplicantiq; pacem conceſſit: qua tum non diu potitus à Hunis cum gente ſua peremptus eſt.

436. Gothi pacem turbantes inter alia mala Narbonam obſeſſam fame premunt: ſed Littorius Dux Romanus ſuperueniens & hoſtes vi repulit & ciuitatem aduecto frumento fame liberauit.

437. Bellum à Romanis contra Gothos Hunis auxiliatoribus, geritur. Geiſericus Rex VVandalorum Arianus Catholicos in Africa perſequens, quoſdam Eccleſijs ſuis pepulit, quoſdam exilio damnauit, quoſdam etiam varijs pœnis affectos martyrio coronauit. Barbari piraticam exercere aggreſſi. Valentinianus Auguſtus ad Theodoſium Auguſtum auunculi ſui filium Conſtantinopolim veniens, filiam eius accepit vxorem. Ermenricus Rex Sueuorum morbo oppreſſus Richilam filium pro ſe Regem conſtituit.

438. Gothi Richilam Regem Sueuorum pugna victum theſauris ſpoliauerunt.

439. Iulianus Atelenenſis Epiſcopus Pelagianiſta iactantiſſimus Eccleſiæ communioni ſurrepere tentans, à Xiſto Papa denuo damnatur. Romani Hunis auxiliatoribus aduerſum Gothos & Regem Theodoricum infauſta pugna confligunt in Gallia; & Littorius Dux Romanus vulneratur, & poſt ab eis capitur & occiditur. Quibus tamen non multo poſt ſuppliciter petentibus, pax cum eis à Romanis pacta eſt. Ipſo anno Aëcio & Romanis contra Gothos intento Geiſericus Rex VVandalorum, qui fidus & amicus Romani populi pùtabatur, dolo ſub ſpecie pacis 14. Calend. Nouemb. Carthaginem cepit, ciues & maximè nobiles trucidauit, opes omnes diripuit ſacerdotibus cæſis & pulſis Eccleſias in vſus ſuorum vertit, omniaq; diuina & humana iura confudit, ibiq; 37. anno regnum obtinuit, ſub quo plurimi ſanctorum martyrio ob fidem Catholicam coronati ſunt.

440. Romæ defuncto Xisto Leo vir doctrina insignis & morib⁹ Papa XLVII. sedit annos 22. Qui plurima ad vtilitatem Ecclesiæ sublimiter scripsit & constituit, Eutychianã & Nestorianã hæresem condemnauit: cuius tempore Demetrias ancilla Christi Romæ S. Stephani Ecclesiam fecit. Geisericus Siciliã peruasam grauiter affligens timore Ducis ad Carthaginem tuendam rediit. Richila Rex Sueuorum Bœthicam prouinciam, & Carthaginem, Hispaniam cepit.

441. Theodosius Imperator cõtra Geisericum & VVandalos per Duces suos bellum mouet; sed ipsi negotium cunctando differẽtes Siciliæ magis oneri quàm præsidio fuere.

442. Hunnis Thracias & Illyricum sæua populatione vastantibus, exercitus contra VVandalos missus ad tuitionem Orientaliũ reuocatur. Valentinianus Imperator cum Geiserico Rege VVandalorum pacem firmat. Africa inter vtrumq; certis spatiis diuisa.

443. Sanctus Brictius Turonorum Episcopus decessit, cui S. Eustochius successit. Leo Papa multos Manichæos in vrbe inueniens publicauit & libros eorum incendit.

444. Attila Rex Hunorum Bledlam Regem fratrem suum regniq; consortem interemit, & eius regnũ populumq; sibi subiecit. De huius anni Pascha Proterius & Paschasius Leoni Papæ scribunt.

445. His temporibus Leo Papa inter alia bona Basilicas Apostolorum Petri & Pauli renouauit, & Ecclesiam S. Cornelij Papæ & martyris via Apia construxit.

446. Britanni ab Aëtio & Romanis contra Scotos & Pictos auxilium implorant nec impetrant. Apud Ephesum septem dormientes, qui sub Decio multa pro Christo tormenta passi, in spelunca quadam obdormierunt, post annos 196. expergefacti sunt, & cõfirmata fide resurrectionis mortuorum iterum obdormierunt.

447. Euthices presbyter & Abbas Cõstantinopolitanus, confu-

confuſa in Chriſto diuinitatis & humanitatis ſubſtantia, vnã in eo naturã dogmatizans, annitente Theodoſio & Dioſcoro Alexandrino Epiſcopo, reſiſtentem ſibi Flauianum Conſtantinopolitanũ Archiepiſcopum expulſum, vſq; ad mortẽ perſequuntur. contra quã hæreſin Leo Papa legatos miſit. Richila Rex Sueuorũ moritur, eiq; Richarius filius ſucceſſit.
448. Theodoſius Imperator Leonẽ Papam ꝓ defenſione Euthicetis vocat, q̃ à Populo Romano venire ꝓhibitus, legatos ꝓ ſe miſit. Richari⁹ Rex Sueuorũ ducta in coniugium Theodori Regis Gothorũ filia, VVaſconiã deuaſtauit. Hoc tempore Angli Saxones à Britannis contra Pictos & Scotos auxilio aſciti inſulam petunt, & hoſtib. fugatis in ſocios arma conuertunt; & poſt multa bella magna ex parte inſula ſubacta potiti ſunt.
449. Iterum Catholici ab Imperatore Theodoſio ad audientiam euocati. Attila Rex Hunorum Gallias aliasq; circum prouincias vaſtat, & arte Aëtij magno inter eum & Gothos prælio concitato, Theodorus Rex Gothorum cecidit eiq; Thoriſmod filius eius ſucceſſit.
450. Leo Papa legatos ad confutandam hæreſin mittere curauit. Theodoſius Imꝑator moritur, & à Placidia Auguſta & Leone totoq; ſenatu, ingenti pompa deductus in Mauſoleo apud S. Petrũ ſepelitur. pro quo Martianus Orientis imperium adeptus & 7. annis regnans Euthicetem cum ſuis damnauit ſequentib. Placidia Auguſta moritur. Romani Aëtio Duce Gothis auxiliatorib. contra Attilam Regẽ Hunorum grandi vtrinq; cęde pugnãtes, in cãpo Catalaunico acie victũ in ſuperiorẽ Galliam fugere cõpellunt: Qui in regnum timidè reuerſus non multo poſt arma commouit in Italiam.
451. Attila recollectis virib. Aquileiã vi magna diu obſeſſã cepit, & circũquaq; prędis & cædib⁹ furibundus bacchatur. Ad quẽ Valentinianus Imperator Leonẽ Papã mittens pacem cum eo fecit, exercitusq; ei⁹ fame, peſte, morbo, cædib. inſup ab Aëtio attritus eũ reuerti fecit. Atti-

452. Attila Rex Hunorum in ædibus suis moritur. Thorismodo Regi Gothorum perempto, Theodoricus frater successit. Hoc tempore quarta Synodus vniuersalis 630. Episcoporum Calcedone contra Euticem & omnes hæreticos congregatur.

453. Valentinianus Imperator in palatio Aëcium patricium, qui multa pro populo Romano laborauerat, manu sua fraudulenter occidit, & à cirumstantibus Boëtius eius amicus interemptus est.

454. Valentinianus Imperator in campo Martio ab amicis Ecij peremptus interijt, pro quo Maximus inuadens imperium infra duos menses à militibus interemptus & in Tyberim proiectus est, post quem Auitus in gallijs auxiliis fidens Gothorum item imperium arripuit. Ipso anno Geisericus Rex VVandalorum de Africa traijciens, Romam, quæ sine Imperatore erat, inuasit, eamq; opibus cunctis expoliauit.

Huc vsq; Prosper chronicam suam produxit.

455. Richario Rege Sueuorum in Hispanijs vastationibus instante, consilio Auiti Theodoricus Rex Gothorum cõtra eum veniens inita pugna grauiter cæde protriuit vulneratumq; fugauit, & postea captum occidit; vastataq; impie & crudeliter Hispania & ipsa quam possederat prouincia, Sueuos sibi subiugauit. Auitus Gothorũ auxilio destitutus iubẽte Martiano Augusto Placentię imperiũ deposuit. Hoc tempore apud Francos mortuo Meroueo Rege filius eius Hildericus regnauit años 24. Qui ob luxuriam regno pulsus in Turingiam fugit: sed astu Viomadi amici reuocatus est.

456. Ab hoc anno Victorius Paschales ciclos inchoat, iubente Papa Hilario. Martiano Imperatore defuncto in Oriente, Leo Imperator annis 17. Romæq; Maiorianus Imperator annis 4. regnauere.

457. Theodoricus Rex Gothorum multis in Hispania Eccle-

Ecclesiis & ciuitatibus vastatis Emeritam obsidet vrbem. Sueui Maldram sibi statuunt Regem. Maiorianus Imperator contra VVandalos in Africam mouet procinctum. Theodoricus nunciis territus, relicta Emerita, Gallias repetit, & pace fucata, cæde furens Ecclesias, vrbes, villas vastauit & incendit. Sueui Galliciam & Gothi Bœthicam prouincias vastant.

458.

459. Item Sueuorum alij cum Maldra Rege Lusitaniam, alij cum Richmundo Galliciam deprædantur. Veruli Bœthicam inuadunt. Maiorianus Imperator facta cum Theodorico & Gothis pace contra VVandalos & Sueuos suo eos asciuit auxilio.

460. Maldras Rex Sueuorum occiditur. Sueui à Gothis prædati pacem postulant. Maiorianus Imperator Hispanias petens contra VVandalos parauit classem: Quæ tamen ab ipsis inuasa & direpta est. Rursum cùm ad Africã contra eos traijcere moliretur, Geisericus territus pacẽ postulat. Maiorianus Romam reuersus, cum R.P. disponeret, fraude Richimeris Patricij, Sueuorũ, vt aiunt, consilio peremptus est.

461. Seuerus Rauennæ à Richimere Imperator effectus, 4. annis regnauit. Atrabenus in Gallia Comes Theodorico Regi Gothorum confœderatus, Narbonam ei tradidit. Turonis beatus Perpetuus Episcopus factus est; qui Basilica beati Martini adaucta, corporis eius translationem fecit. In Gallicia villæ, homines, & greges mirum in modum fulmine tacti comburuntur: & duo iuuenes concretis in vnum adustione cadaueribus inueniuntur.

462. Roma Hilarius Papa XLVIII. sedit an. VI. mensibus III. Qui pro statu Ecclesiæ nonnulla decreuit & constituit, hæreses Euthycianam & Nestorianam damnauit; & multis metallis plures in vrbe Basilicas ornauit, oratoriaq;

construxit, Monasteriũ S. Laurentij ad Balneas fecit, itemq; aliud ad Lunam: & duas bibliothecas in vrbe condidit.

463. Rex Alanorum Beorgor Italiam petens apud Pergamum à Richmere patricio pugna victus interijt.

464. Seuerus Imperator fraude, vt aiunt Richmeris, in palatio veneno interijt. VVandali per Marcellinum in Sicilia victi cæsiq; sunt & fugati.

465.

466. Leo Imperator Anthemium de Constantinopoli ad regendum Occidentis imperium Romam misit, quo suscepto regnauit annos 6.

467. Marcellinus in Sicilia occiditur. Tolosæ vbi sedes regni Gothorum erat, in medio ciuitatis sanguis è terra prorumpens tota die vna fluxit.

468. Arabundus imperium tentans, iussu Anthemij Imperatoris, exilio deportatur. Romæ Simplici9 Papa XLIX. sedit annis 15. mensibus 3. Qui Basilicam S. Stephani in Celio monte dedicauit. Item Basilicã S. Andreæ iuxta sanctam Mariam construxit. Item Basilicam sancti Stephani iuxta sanctum Laurentium. Item Basilicam sanctæ Fabianæ iuxta palatium Licinianum.

469. Romanus Patritius imperium affectans capitaliter punitus est.

470. Constantinopoli Aspar affectata tyrannide à Leone Imperatore occidi iussus est. In Gallia sanctus Remigius antequã nasceretur cælitus prænunciatus est. A cella, in quam se adolescentulus, Deo militans incluserat, vi abstractus Remorum Archiepiscopus ordinatur.

471. Romæ Richmer patricius Olybrium faciens Imperatorem, Anthemium Imperatorẽ, contra ius affinitatis & imperij, cum graui clade vrbis occidit. sed non diu scelere lętatus ipse 40. post die, & Olybrius 7. mense vitã exegerant.

472. Gundebaldo hortante Glycerius Rauennæ sumpsit impe-

imperium. Constantinopoli Leo Imperator Leonem nepotem suum imperij consortem fecit.

473. Constantinopoli Leo senior Imperator obijt: post quem Leo iunior paucis mensibus regnans, & ipse decessit, & post hunc Zeno Imperator factus regnauit annis 17. Romæ quoq; Glycerio nepos in imperio successit.

474. Romę Orestes patricius nepote Impatore in Dalmatias fugato, filiũ suum Augustulum Imperatorem constituit.

475. Odoacer Rex Torcilingorũ & Rugorum, cum multis barbarorum auxilijs peruasa Italia, Romã obtinuit anno à conditione eius 1230. Orestem & Paulũ patricios occidit. Augustulũ Imperatorem exilio damnauit, & pro eo Regis nomen arripuit, cum tamen nec purpura nec regni insignibus vteretur.

476. Odoacer possessa Roma maximam Italiæ partem sibi subiugauit.

477 Geisericus Rex VVandalorum post 37. & paulo plus inuasæ Carthaginis annos, tandem moriens tyrannidi suæ finem fecit. Post quem non melior filius Hunericus regnauit annos ferè 8.

478. Huius tempore Zenonis Imperatoris, corpus Barnabæ Apostoli, & Euangelium Matthæi Euangelistæ, stilo ipsius scriptum, ipso reuelante, inuentum est.

479. His temporibus Simplicius Papa Petrum Alexandrinum Episcopum hęreticum Euticianum ab Acatio Constantinopolitano accusatum damnat.

480. Hoc tẽpore mortuo Hilderico Rege Francorũ, Ludouic⁹ filius eius, quem Clodoueũ dicunt, regnauit annis 30.

481. Odoacer Romæ regnans in Dalmatia Odiciam Regem vicit & peremit.

482. Theodoricus Theodmari filius Rex Ostrogothorum, vel qui olim remanserant in Italia Gothorum, Zenoni Augusto familiaris effectus cum suis ei Gothis militauit.

483. Zeno Augustus Theodoricum huius anni Consulem & magistrũ militũ fecit. Romę Felix III. Papa L. sedit annis ferè 9. qui Basilicam beati Agapiti iuxta sanctum Laurentium construxit. Cirola Arrianus Episcopus in Africa aduersus Eugenium Carthaginensem Archiepiscopum aliosque Catholicos miraculis claros, zelo ductus quendam è suis pecunia corruptum cæcitatem simulare iussit, vt eum coram Rege se inuocantem, quasi per fidem suam illuminaret: cui cum coram omnibus manus imposuisset, vera mox diuinitùs cæcitate percussus dolum aperuit, conuersusq; à sanctis Episcopis Eugenio, Vindemiale & Longvvino rursum illuminari promeruit. Ab hoc Cirola Hunericus Rex instigatus Catholicos persequitur, & plurimis martyrio coronatis ipsum Eugenium cum 324. Episcopis exilio relegauit & Catholicas Ecclesias clausit.

484. Hunericus Rex VVandalorum diuinitus percussus, scatens vermibus, expirauit. Post quem fratris eius filius Gundamundus regnauit annis ferè 12. qui nòn multò post Eugenium Episcopum reuocauit. Ludovvicus Rex Francorum iuuante Raganhario cognato suo, Siagrum Regem Galliç Egidij filium, bello victum, ad Alaricum Regem Gothorum fugere compulit, sibiq; redditũ occidit & totum regnum illius ac thesauros sibi subiecit.

485. Hoc tempore Achacius Constantinopolitanus hæresi fauens, Petrum Alexandrinum reuocat: quo audito Felix Papa vtrumq; cum sequacibus erroris condemnat.

486. Odoacer Fœbam, qui & Feletheus, Regem Rugorum vicit & apprehendit.

487. Gundamundus Rex VVandalorum Carthagini Ecclesiam sancti Agilei Catholicis reddidit, petente sancto Eugenio Episcopo.

488. Theodoricus Rex Ostro Gothorum permissu Zeno-

nonis Augusti Italiam petijt, cui apud Isoncium Odoacer occurrens bello conflixit, & victus aufugit; & iterum recollectis viribus Veronæ acie congressus, denuo victus & fugatus est.

489. Theodoricus ad fluuium Adduam Odoacrum tertio certamine vicit, fugientemq; apud Rauennam obsedit. Ludovvicus Rex Francorum Turingos petens graui eos cæde prostrauit: ipsos cum terra eorum sibi subiecit.

490. Odoacer noctu à Rauenna cum Berulis egressus, collectis viribus, quarto cum Theodorico conflixit, & itidem victus captusque ab eo est. Ipso anno Gundamundus Rex VVandalorum pacem cum Romanis fecit. Constantinopoli Zeno moritur Imperator: post quem Anastasius imperium Orientis 28. annis tenuit. Hoc tempore Ludovvicus Rex Francorum, intercurrēte Aureliano legato suo, de Burgundia Bruodhildem vxorem Christianam accepit, filiam scilicet Hilperici, quem frater suus Gundobaldus cum vxore & filijs trucidauerat.

491. Romæ defuncto Felice Papa concilium à presbyteris & diaconis actum.

492. Theodoricus Rauennæ Odoacrū insidias sibi molientem peremit, ac ipse Occidentis imperium 30. annis obtinuit. Romæ Gelasius Papa LI. sedit annis 4. mensibus 7. vir doctus & pius, qui pro Ecclesiæ statu nonnulla decreta fecit: multa sublimiter scripsit: hæreticos damnauit: clerum Romanum auxit: pauperes dilexit: ipse dedicauit Ecclesiā sanctæ Eufemiæ Tiburtina vrbe aliasq; Basilicas sanctorū Nicandri, Eleutherij & sancti Andreę via Lauicana: fecit etiam Basilicam sanctæ Mariæ via Laurentina.

493. His temporibus in Africa beatus Fulgentius Episcopus, qui Ruspensem 26. annis rexit Ecclesiam, doctrina & actibus clarus effulsit: qui etiam ipse plurima inter alios Ca-

tholicos mala & exilia perpessus. Hac etiá tempestate Ludovvicus Rex Francorum Gallias vsq; Sequanam & deinde vsq; Ligerũ fluuios suo regno subegit. Hunc multa instantia Bruodhildis vxor sua ad fidem Christi cohortatur. Gundamundus Rex VVandalorum, persuadente Eugenio Episcopo, tandem post 10. annos omnes catholicos Episcopos de exilio reuocauit, & diu clausas Ecclesias, pace reddita, aperuit. Ludovvicus Rex Francorum contra Alamannos pugnans, cùm exercitus eius periclitaretur, Deũ cæli inuocans & suam fidem Christo vouens, ipso iuuante, Alamannos subiugauit.

494.

495. Ludovvicus Rex Francorum seu Clodoueus, instante Bruodhilde coniuge sua, à sancto Remigio Remensi Archiepiscopo fide Christi imbutus cum gente sua baptizatur.

496. Gundamundo Rege VVandalorum defuncto, Trasamundus 26. pauloplus annis regnat pro eo. Qui item Catholicis infestus Ecclesias post aliquot annos clausit, & inter alios persecutionis labores 240. Episcopos exilio in Sardinia & alijs insulis afflixit.

497. Boëtius patricius & consul multa his temporibus ingenij sui in seculari philosophia excellenter edidit: Romæ Anastasius Papa LII. sedit annis fere 2. hic Confessionem sancti Laurentij exornauit. Et quia quibusdam communionem clam reddere velle videbatur, quidam se ab eius communione sequestrant.

498. Isauri occiso Lilingo duce suo, ab Anastasio Imperatore victi trucidati sunt. Hoc tempore Ludovvicus Rex Frãcorum Gundebadũ & Godegiselum fratres, Burgondionum Reges, pugna & fugauit, & Gundebadum Auenniono obsessum tributarium fecit, & cum magna præda redijt.

499. Theodoric⁹ Rex Romæ & alibi multa per hæc tẽpora mirifica construxit ędificia. Romæ Symãchus Papa LIII.

sedit

ſedit annis 15. menſib. fere 8. cum quo ſimul per nimiam diſſenſionem ordinatus eſt Laurentius: & magna Romæ inter clerum & populum diſcordia facta; donec iudicio Theodorici Regis & maioris multitudinis, Symmachus in ſede confirmaretur.

500. Symmachus Papa Romę Synodo acta inter alia Laurentium æmulum ſuum Nuceriæ Epiſcopum conſtituit.

501. Theodoricus Rex aquæ ductum Rauennæ fecit. His temporibus Sanctus Mamertus Viennenſis Archiepiſcopus virtutibus claruit, qui propter luporum & vrſorum immanitatem, aliaſque plagas, triduanas ante Aſcenſionem Domini Litanias primus inſtituēs, Domini miſericordiam plagarumq; ceſſationem promeruit.

502. Theodoricus Rex victis Vulgaris, Sirmium regno Italiæ reſtituit.

503. Quidam ex Romanis Symmachum falſo criminantes, & apud Regem accuſantes, Laurentiumque reuocantes, magnum Schiſma fecerunt: Et Petrus Altinæ vrbis Epiſcopus, permiſſu Theodorici, Sedem Apoſtolicam inuaſit.

504. Synodo CXV. Epiſcoporum collecta, beatus Papa Symmachus de illatis purgatur, & ſedi ſuę cum gloria reſtituitur, & peruaſores ſedis eius Laurentius Nucerinus, & Petrus Altinas condemnantur. Ludovvicus Rex Francorum per ſuffragia ſancti Petri ſanctique Martini & aliorum ſanctorũ diuinum implorans auxilium Gothos petijt, eoſq; iuxta Pictauis vrbem in campo Voglenſi pugna vicit, & Regem eorum Alaricum, qui iam 22. annis regnabat, occidit regnumq; eius, quod in Gallijs habebat ac theſauros accepit. Almaricus vero filius Alarici fugiens, regnum patris ſui in Hiſpanijs recepit.

505. Lu-

505. Ludouicus Rex Francorum Parisijs beati Petri Basilicam ædificat.

506. Hoc tempore Ludouicus Rex Francorum Ragneharium, cognatum suum regniq; participem, ignauum & luxuriosum, à suis proditum, bello fugauit, victum & comprehensum sua manu cum fratre Richario occidit, & eius sibi populum subiecit. Theodoricus Rex Italiæ contra Francos in Galliam exercitum misit.

507. His temporibus Romæ iterum dissensione contra Symmachum Papam & Ecclesiam orta, nonnulli ex parte eius fustibus & diuersis plagis afflicti, nonnulli trucidati & necati; & multa indigna & nefaria contra Ecclesiam & religionem commissa sunt.

508. Hoc anno Romæ Boëthius vir eruditissimus Consulatum administrauit.

509. Ludouicus, qui & Clodoueus magnus Francorum Rex, post multas victorias totam pæne Galliam possidens, Parisiis, vbi regni sedem instituit, moritur, & in Basilica sancti Petri à se constructa sepelitur anno regni 30. post transitum sancti Martini, vt in gestis Francorum habetur, anno 112. post quem quatuor filij eius, diuiso regno, Theodoricus Mettis sedem habens 23. cum strenuo filio suo Theodeberto regnauit; Chlodomeris, Aurelianis; Hildebertus, Parisijs; & quartus Lotarius Suesionis sedem statuens, an. 51. regnauit. Horum soror Hrodhildis, æquiuoca matris & æquè religiosa, Almarico Regi Gothorum Arriano in Hispaniis nupsit, materq; vidua apud sanctum Martinum Turonis in orationibus & eleemosynis permansit.

510. His temporibus Symmachus Papa inter alia bona Manichæos in vrbe inuentos damnauit. Ecclesiã S. Andreæ ad S. Petrum construxit. Oratorium sancti Thomæ, Confessionem sancti Cassiani, itemq; sanctorũ Proti & Iacincti, Orato-

Oratorium sancti Apollinaris, itemque sancti Soffij, item sanctæ CRVCIS, item sancti Ioannis Baptistæ, item sancti Ioannis Euangelistæ. Basilicam sancti Petri & porticũ marmore strauit & multis modis ornauit. Xenodochia instituit, & singulis annis Catholicos à Trasamundo Rege VVandalorum Arriano per exilia dispersos alimonia & vestibus iuuit. Construxit etiam Basilicam sanctæ Agathæ, via Aurelia, item sancti Pancratij, item sancti Syluestri, item sancti Martini, item sancti Cosmæ & Damiani, & alias nonnullas struxit, renouauit, & ornauit.

511. Hoc tempore Reges Francorum Chlodomeris, Hildebertus, & Lodharius Burgundiorum Reges Sigismũdum & Gotdmarum petunt, & pugna victos fugant. E quibus Sigismundus Rex religiosus ad sanctos Agaunenses confugiens, insequente Clodomere ibidem captus, & Aurelianis in carcerem missus, vna cum vxore & filijs trucidatus est: & secuto tempore Clodomeris iterum Burgundiones petẽs pugna fugauit, & ipse inter hostes equo delatus ab ipsis iugulatur; & Burgundia à Francis subiugatur.

512. Almaricus Rex Gothorum in Hispanijs Arrianus Hrodhildem vxorem suam Catholicam multis modis afflixit. Qui postea à fratre eius Hildeberto pugna victus est, & peremptus & pro eo Theuda regnauit.

513. Cassiodorus huius anni Consul fuit, qui postea conuersus & monachus factus, Cœnobium construxit & in seculari diuinaque literatura clarus effulsit. Psalmos exposuit, libros institutionum & chronica fecit. Romæ tandem dissensione cessante inter clerum & populum, optata redijt concordia: & Symmachus Papa beatus obijt.

514. Theodoricus Rex Italiæ filiam suam Amalsuindam Eutharico Ciliciæ in matrimonium iunxit. Romæ Ormisda Papa LIV. sedit annos 9. qui inter alia bona Euthicianos-

itemque Manichæos damnauit: clerum erudiuit, Basilicas adornauit.

515. Hoc tempore Vitalianus quidam seruus, dignitatibus elatus, Anastasio Imperatori rebellat, & Scythis adiunctis, crebris prælijs milites eius victos fugans, magno Romano populo dedecori & detrimento fuit.

516. His temporibus Ormisda Papa pro fide catholica ad Imperatorem Anastasium Constantinopolim Legatos mittens, & nihil proficiens, alios itidem cum epistolis legatos mittit: Quos cùm Anastasius corrumpere non posset, depulit exilio: & inter alia domno Papæ rescripsit dicens: Nos iubere volumus non iuberi.

517. His temporibus Rex Francorum Danos se inuadentes per filium Theodobertum vna cum rege suo ad internecionem deleuit.

518. Anastasius Imperator cùm Hæresi Euthicetis fauisset & Catholicos persequeretur, fulmine ictus interijt, maior octogenario: pro quo Iustinus Imperator catholicus Constantinopoli regnauit an. 8. qui nonnullos imperio inhiantes & cum Vitaliano tyranno pace prius facta eundem postea peremit.

519. Iustinus Imperator Augustus Legatos apostolicæ sedis ab Ormisda Papa Constantinopolim pro fide missos summo honore suscepit, eisq; in damnatione hæreseos per omnia consentaneus plurima per eos donaria Romam misit.

520. Hac tempestate Theodoricus Rex Francorum cum filio Theodeberto Thuringos petens, immensa eos cæde protriuit, & Ermensfridum Regem eorum fugauit; quem postea fide data ad se venientem suscipiens, è muro præcipitauit, & filios eius occidi fecit.

521. Iustinus Augustus hæreticis infestus Arrianos etiam Constantinopoli persequitur, Vnde iratus Theodoricus

Rex Italiæ Arrianus exitium in Italia Catholicis minatur.

522. In Africa mortuo tandem Trasamundo Rege VVandalorum Arriano, Heldericus pro eo regnauit an. 8. qui statim in principio regni Ecclesias diu clausas aperuit & omnes Catholicos de exilijs reuocare studuit & optatam Ecclesiæ pacem restituit.

523. Romę Ioannes Papa LV. sedit annos 2. menses 9. qui cœmeteria in vrbe restaurans & alijs bonis instans à Theodorico Constantinopolim Legatus mittitur, & summo honore & gaudio à Iustino Augusto & cunctis ciuibus susceptus ad portam, quę dicitur aurea, cęcum illuminat: & coronato à se Augusto Iustino, & pro quibus venerat impetratis, donarijs & muneribus donatus reuertitur.

524. Theodoricus Rex Gothorum & tyrannus Romanorum inter alia mala Boëtium Patricium & philosophum diu carceratum occidit. nec post multum tempus socerum eius Symmachum patricium itidem peremit, Ioannemq; Papam beatum de Constantinopoli reuertentem Rauennæ vna cum comitibus carceris afflictione necauit 15. Calend Iunij: qui non multo post Romam relatus apud sanctum Petrum sepultus est.

525. Theodoricus tyrannus post 7. menses ab obitu Papæ Ioañis post multa mala sua, Dei iudicio subita morte Rauennæ interijt; &, sicut solitario cuidam reuelatum est, à Ioanne Papa & Symmacho patricio in ollam Vulcani coniectus est, anno regni Italici 32. post quem nepos eius Atharicus puer cum matre sua Amalsuinda regnauit an. 8. Romæ Felix IV. Papa LVI. sedit annos 4. mens. 2. qui fecit Basilicam sanctorum Cosmæ & Damiani via sacra, & beati Saturnini via salaria.

526. Constantinopoli Iustinus Imperator Iustinianum regni consortē & successorē faciens, obijt: pro quo Iustinianus

ex sorore nepos eius imperauit an. 38. multa pietate & prudentia conspicuus, nisi in quibusdam hæreticis fauisset.

527. Iustinianus Augustus Belesarium amicum suum principem militiæ fecit, per quem & de Parthis triumphauit, & magna ex parte R. P. recuperauit. Gens VVinilorum siue Longobardorum Rege Odvvino Pannoniam inuasit ibiq; habitare cœpit.

528. His temporibus beatus Abbas Benedictus immensa virtutum gloria claruit. Priscianus quoque Grammaticus.

529. Exercitus Romanus sabbato Paschæ à Parthis superatur.

530. In Africa occiso malè Helderico Rege VVandalorum Catholico, Geilamer regnum inuadens, tanta feritate in Catholicos & in omnes debacchatur, vt nec parentibus suis parceret. Romæ Bonifacius II. Papa LVII. sedit annis II. mense ferme vno: cum quo per dissensionem ordinatus est Dioscorus, & paucis post diebus mortuus: Quem tamen Bonifacius collecta Synodo damnare molitus est.

531. Bonifacius Papa Vigilium Diaconum in Synodo post se Papam eligi sub chirographo decreuit; quod tamē postea rescindens, quòd contra Canones erat, combussit. Ipse in periculo famis clerum & pauperes alimonia iuuit.

532. Ab hoc año scilicet Iustiniani Imperatoris 6. Dionysius Romanus Abbas vtriusq; linguæ peritissimus, ciclum magnum Paschalem inchoat: qui iam semel ab Incarnatione Domini in annis 532. exactus, totidem ipse annos continet. Incipit autem à primo Diocletiani anno, vnde Græci ciclos suos inchoabant ciclis decennouenalibus 13. exactis, id est, an. 242. Romæ Ioannes II. qui & Mercurius, Papa LIIX. sedit an. 2. mensibus 4. Ad hunc Iustinianus Augustus de fide sua litteras & donaria sancto Petro transmisit. Theodoricus Rex Francorum anno Regni 23. moritur, & Mettis sepe-

ſepelitur: pro quo filius eius Theodebertus regnauit an. 14.
533. Romæ mortuo Atalarico Rege Gothorũ Amalſuinda Theodatum in conſortium regni aſſumit, qui ipſam non multo poſt occidi iuſſit, & regnum ſibi ſoli vſurpauit.
534. Beleſarius patricius à Iuſtiniano Imperatore miſſus VVandalorum gentem in Africa bello victam deleuit: Geilamerum Regem eorum captum Conſtantinopolim abduxit & Carthaginenſibus Rempub. reſtituit poſt annos 94. ex quo à Geiſerico capta eſt. Geilamer quoq; poſt aliquot annos à Iuſtiniano Auguſto Comes effectus & in terminos Parthorum ad eos arcendos conſtitutus eſt.
535. Romæ Agapitus Papa LIX. ſedit anno fere vno. Hic à Theodato Tyranno pro gratia Iuſtiniani Auguſti propter occiſam Amalſuindam ſibi infenſi Conſtantinopolim miſſus conſtanter cum Auguſto pro fide Chriſti decertauit. Anthemium eiuſdem vrbis Epiſcopum hæreticum conuictum damnauit, & in locum eius, fauente Auguſto, ordinauit Mœnam; ipſeq; ibidem morbo tactus obijt, & in loculo plumbeo Romam relatus ad ſanctum Petrum ſepultus eſt.
536. Romæ Siluerius Hormiſdæ Papæ dudum filius, contra voluntatem Cleri à Theodato tyranno pecunia corrupto, LX. Papa violenter promotus ſedit an. 1. menſib 5. Theodatus tyrann' abhinc poſt 2. menſes à VVittigiſo peremtus & VVitigis Rex Gothorũ factus eſt. Beleſarius Patritius à Iuſtiniano Auguſto in Italiam contra Gothos miſſus per Siciliam tranſiens & ſuderat Ducem eius vincens Africamq; de tyrannis eius eruens Neapolim tranſfretauit, ipſamq; vrbem ſibi reſiſtentem obſeſſam vi cepit, & tam ciues quàm Gothos nulli parcens trucidauit. Inde cum Romã ingreſſus eſſet, Gothi oẽs, qui ibi fuerant, nocte egreſſi Rauennam fugientes petierunt, quos inſecutus conſerto prælio 7000. ex eis occidit. VVitigis vero collecto grandi exer-

citu Belesariū vrbemq; Romam vno anno obsedit, omniaq; circum deuastans, vrbem bello fameq; grauiter oppressit: postea vero egresso Belesario pugna cōmissa victus Rauennam aufugit. Fames tanta facta est, vt in Liguria quædam mulieres paruulos suos comederent.

537. Syluerius Papa cum in restitutione Anthemij & communione hæreticorum Augustis nollet parere, iussu ipsorum ab Elesario patricio falsò criminatus, & secreto positus, monachiq; habitu indutus, indictione 15. à Vigilio diacono exilio afflictus & deficiens 12. Calend. Iulij post obitum etiam miraculis claruit, ipseq; Vigilius Papa LXI. ordinatus, sedit annos 17. menses 7. Ipsis diebus Belesarius Theodebertum Regem Francorum cum grandi exercitu Italiam ingressum vicit, & inde reuerti coëgit. Ipse Romæ S. Petro dona obtulit.

538. Belesarius patricius commissa cum Gothis pugna, iterum victor, VVittigisum Regem eorum in ipsa fuga à Ioanne sanguinario magistro militum comprehensum, & Romam adductum. ipse & Vigilius Papa Constantinopolim cum vxore & thesauris ad Iustinianum Augustum perducuntur. à quo patricius & Comes factus in oriente contra Parthorum seu Persarum excursiones constitutus ibidem vitam finiuit. Gothi in Liguria manentes Hellebadum sibi Regem eleuant, iterumq; Romanis rebellant.

539. Parthi rupta pace Antiochiam totamq; Syriam inuadentes deuastant, donec à Belesario tandem repulsi ad terminos suos rediere. Posteaq; à Martino Duce pax cum eis facta est, Belesario ad Italiam contra Totilam reuocato. Gothi Hellebado pòst primo anno perempto Errariū Regem faciunt.

540. In Italia occiso post 1. annum Errario Rege Gothi Totilam qui & Baduila dictus est, Regem sibi statuunt; qui succes-

ſucceſſibus bellorum fretus, Romanum exercitum Duceſque aliquoties ſuperauit, & per multos annos Italiam totam ipſamque vrbem Romam captam pluribus malis attriuit & vaſtauit.

541. Totila per hæc tempora apud Fauentinum Æmiliæ oppidum Romanum exercitum ſuperat; nec multo poſt iterum Romanos Duces fugans partim vi partim donis exercitum ſibi conſociat & tyrannidi inſtans ipſam etiam Romam & Campaniam vaſtat.

542. Huius Iuſtiniani temporibus corpus ſancti Antonij monachi diuinitus reuelatum, ad Alexandriam tranſlatum, in Eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ tumulatum. Hoc etiam tempore VI. Synodus vniuerſalis Conſtantinopoli cõtra Theodorum & omnes hæreticos ſub Vigilio Papa collecta eſt.

543. Per hæc tempora cum Beleſarius à Parthorum finib. ad auxilium Italię reuocatus & diu impeditus, tandem cum claſſe Romam iam pæne vaſtatam ingreſſus eſſet, Totilæ ſuper irruentem exercitum commiſſo prędio fudit, & in Tiberi merſit ipſumq; in Campaniam repulit. Hoc tempore Benedictus Abbas cum diſcipulum ſuum Maurũ ad Gallias tranſmiſiſſet, migrauit ipſe poſt multas virtutes ad Dñm.

544. Sanctus Remigius Remorum Archiepiſcopus & gentis Francorum Apoſtolus anno Epiſcopatus 74. idibus Ianuarij plenus virtutibus migrauit ad Dominum. Arator Subdiaconus Romanus librum ſuum, quem de Actibus Apoſtolorum heroico metro edidit, Vigilio Papæ oblatum publice cum magno feruore recitauit.

545. Hoc tempore cum Beleſarius à Sicilia iuſſu Auguſti Conſtantinopolim reuocatus eſſet, Totila iam ſecurus iterum Romam inuaſit, & ſecuto tempore collectis viribus Siciliam etiam inuaſam cepit totamq; Romanis, qui diuerſis occaſionibus ſubducti erant, deuaſtat Italiam.

546. The-

546. Theodebertus Rex Francorum strenuus & fortis moritur & filius Theodbaldus multum patre nequior & ignauior pro eo regnauit ann.7.

547. His temporibus Vigilius Papa cum ad consensum hæreseos & restitutionem Anthemij Episcopi nullatenus adduci posset, iussu imperiali Romæ vi captus & Constantinopolim perductus, cum constanter in incepto perstitisset nec Augustus cessisset, cum Comitibus affectus & exilio adductus, & per annos aliquot grauiter afflictus est.

548. Per hæc tempora Iustinianus Augustus inter magnifica Basilicam Saluatoris, quæ Agiæ Sophiæ dicitur, incomparabili opere construxit: ipse leges Romanas infinitas abbreuiatas collegit & leges, quę Iustinianæ dicuntur, composuit.

549. Hoc tempore gens Gepidorum à Rege Albuino & Longobardis, qui in Pannonia tunc habitabant, pręlio victa & pęne deleta est. Et Chunimundus Rex eorum occisus est, de cuius capite auro incluso Alboni sibi Praciam fecit, filiamq; eius Rosmodam inter alios multos captiuam, postea defuncta coniuge, Lodharij Regis Francorum filia, in sui perniciem duxit vxorem.

550. Victor Episcopus Capuanus de huius anni Pascha scribens, erroneos Victorij ciclos arguit. Hoc tempore Totila Rex Gothorum iterum Romam obsessam & fame nimis oppressam cepit: & quibusdam senatoribus Constantinopolim fugientibus Seuerus vrbem possedit.

Hucusque Iordanis Episcopus Chronica sua de gestis Romanorum abbreuiata perduxit.

551. His temporibus in Africa Mauri per Ioannem patritium domiti sunt.

552. Hoc tempore Iustinianus Augustus Narsetem Eunuchum Carthularium & cubiculariũ suum principem mi-

litiæ

litiæ fecit, & in Italiam miſit, qui commiſſa pugna, Dei gratia, victor Totilam Regem occidit & gentem Gothorum, auxiliantibus etiam Longobardis, in Italia exterminauit. Per hæc etiam tempora cum Bucellinus Comes cum ſocijs à Theodeberto Rege Francorum dudum miſſus per annos aliquot Italiam Siciliamq; infeſtaret & Romanum ſæpe exercitum ſuperaret, tandem exercitus eius profluuio ventris attritus & attenuatus, à Narſete pugna victus & profligatus; ipſe dux occiſus eſt: nec multo poſt ſocius eius Ammingus Dux cum reliquis Gothorum, quibus ſe iunxit, peremtus eſt.

553. Theodbaldus Rex Francorum moritur, & regnum eius VVanderadam Lotorius Rex patris eius Theodeberti patruus accepit, qui iam 44. anno regnabat. Ipſo anno Hlotharius ipſe Saxones rebellantes iuxta VViſeram fluuium magna cæde domuit & Thuringam peruaſam deuaſtauit.

554. Vigilius Papa tandem, impetrantibus Romanis & Narſete, de exilio reuocatus, cùm Romam redire cœpiſſet, in Sicilia morbo calculi tactus deceſſit: Sed tamen Romam relatus apud ſanctum Marcellum via ſalaria ſepultus eſt: pro quo ordinatus Pelagius Papa LXII. ſedit annos 11. menſibus 10. qui à Pop. Rom. factionis contra Vigilium incuſatus, celebratis vna cum Narſete litanijs apud ſanctum Petrum, ambone aſcenſo Euangelioq; ſuper caput ſuum poſito, iuramento ſe crimine purgauit.

555. Hoc tempore Saxones iterum Hlodhario rebellantes, cùm ab eo peterentur hoſtiliter eiq; pro ſatisfactione dimidium rerum ſuarum offerrent, idq; exercitus Francorum refutans, eo inuito pugnam iniſſet, magna ab eis cæde protritus fugæ præſidium petijt.

556. His temporibus Chramnus patri ſuo Hlodario anni-

tente patruo Hildeberto rebellans, regnũ Francorum domestica seditione perturbat. Saxones factione Hildeberti in Francia prædas egerunt. Hildebertus Remensem Campaniam populatur.

557. In Britannia Bridius Rex Pictorum efficitur. Hildebertus Rex Francorum circa hæc tempora moritur, & Parisijs in Basilica S. Vincentij à se constructa sepelitur. Regnumq; eius Hlodharius frater assumens, totam paterni regni Monarchiam obtinuit.

558. Chramnus patrem Hlotharium, quem multis malis offenderat, hoc tempore in Britanniam fugiens, insequente eo ibidem cum Conobro Rege ibidem victus & captus, cum vxore & filiabus viuus incensus est. Quo etiam tempore Turonis Basilica sanctiMartini, rebellibus ad eam cõfugientibus, igne crematur.

559. Lotharius Rex de sceleribus & peccatis suis pœnitentiam agẽs Basilicam sancti Martini hoc tempore studiosè reparans, stanno texit. Sanctus Medardus Episcopus plenus virtutibus migrauit ad Dominum & à Hlodhario Rege Francorum Suessionis magna cum gloria sepultus est.

560. Hlodhari⁹ maior filius Chlodouei magni, Rex Francorũ anno regni 51. Compendij moritur, & Suessionis apud sanctum Medardum sepelitur. Post quem quatuor filij eius diuiso regno, Sigibertus Mettis & Remis sedem habens, annis 14. Haribertus Parisijs, Hilbericus Suessionis, 25. annis regnauit. Guntrammus Aurelianis & in Burgundia, 23. annis regnauit.

561. In Britannia Edilbertus Rex Anglorum regnauit annis 56. Hunni cum Rege suo Chagano Gallias petentes à Sigiberto Rege pugna victi & humiliati, vix impetrata pace, fœdere pacto redierunt.

562. Hil-

562. Hilpericus Rex regnum fratris sui Sigiberti & vrbem Remensem inuasit, Campaniamq; vastauit. Quo audito Sigibertus à Hunnis reuersus è contra Suesionis vrbem cepit: Theodebertum filium Hilperici ibidem captum in exilium misit ipsumq; Hilpericum pugna victum fugauit, & ciuitates suas recepit. Postea verò accepto ab eo pacis Sacramento filium ei reddidit pacemq; cum eo firmauit.

563. Haribertus Rex libidini deditus cum in Goberga vxore sua repudiata duas ancillas germanas sibi in matrimonio iunxisset, à suo germano Parisiorum Episcopo excommunicatus, non multo post interijt. Quo etiam tempore Sigibertus Rex Brunam, quæ & Brunihildis, filiam Athanagildi Regis Gothorum de Hispanijs vxorem accepit, & secuto tempore Hilbericus frater eius Hielsvvindam, sororem Brunæ, coniugem accepit, quam postea suasu Fridegundis concubinæ noctu strangulauit: cuius etiam astu Audoueram Reginam commatrem suam factam repudiauit, & multa mala fecit.

564. Constantinopoli Iustinianus Imperator anno imperij 38. decessit: pro quo Iustinus minor ann. 11. regnauit, homo iniquis vltra modum deditus. His temporibus immensa pestilentia & mortalitas totam Italiam & maximè Liguriam incredibiliter vastauit.

565. Sanctus Columba presbyter & Abbas de Hybernia veniens Britannis verbum Dei prædicat. His temporibus Narses patricius Sinduualdum Regem de reliquijs Herulorum in Italiam sibi rebellantem pugna vicit, & captum alta trabe suspendit. Qui diuitijs auctus magnam à Romanis passus inuidiam apud Augustum criminatus, & ad id adductus est, vt relicta Roma in

Campaniam * subsecuti secederet, eiq; Longinus successor in Italiam mitteretur.

566. Romæ Ioannes LXIII. Papa, sedit ann. fere 14. Qui Ecclesiam Philippi & Iacobi Apostolorum, quam decessor eius Pelagius ceperat, perfecit & dedicauit.

567. Narses Eunuchus & Patricius, qui Italiam à Gothis alijsq; hostibus liberauerat, & multum pro Repub. laborauerat, à Iustino Augusto & Sophia vxore eius iniurijs lacessitus; Longobardos, qui in Pannonijs habitabant, ad vastandam & possidendam Italiam inuitauit, missis eis de vbertate Italiæ fructibus terræ & muneribus. Multa prodigia & præcipuè igneæ acies in cælo visæ, sanguisq; coruscans Italiam terrent.

568. Longobardi Rege Alboino mense Aprili Venetiam & fines eius ingressi sunt, eamq;, paucis ciuitatib' exceptis, captam subijcientes; apud Aquilegiam seu forum Iulij electam partem copiarum cum Duce Gihulfo relinquentes, ad totam Italiam capiendam animos intendunt. Ingens hoc anno cecidit nix, & insolita frugum copia subsecuta est.

569. Hoc tempore Hunni rupta pace iterum Franciam petentes, dolis instructi Sigibertum Regem cum Francis acie victum fugant. Alboinus Rex cum Longobardis Liguriam inuasit; Mediolanum & alias plerasq; vrbes cepit & circumquaq; prædis & cædibus furibundus Papiam plus triennio obsedit.

570. Alboinus plerasque in Tuscia citraq; ciuitates, exceptis Roma Rauennaq; & paucis castris, cepit. Ingens etiam fames post vbertatem Italiam pestilentia attritam inuasit. Sanctus Vedastus Episcopus decessit.

571. Papienses ciues vltra resistere non valentes Regi Alboino se tradunt: qui ciuitatem ingressus corruente & iacente

cente intra portam equo suo diuinitus mitigatus, contra votum, quo omnes se puniturum minitabatur, ciuibus pepercit,& sedem ibi regni statuens 3. ann. & 6. menses in Italia regnauit. Quo etiam tempore Narses patricius cum è Campania Romam reuersus esset, non multo post mortuus & in loculo plumbeo cum thesauris suis Constantinopolim relatus est.

572. Hilpericus Rex Chlodoueum hoc tempore hostiliter filium suum in regnum fratris sui Sigiberti misit: Qui cum iuxta Burdegalensem resideret vrbem, Sigulfus Dux ex parte Sigiberti super eum irruit, fugientemq; cum tubis & buccinis vociferando, quasi ceruum, Parisios vsque, vbi pater eius fuerat,persequitur.

573. His diebus Hilpericus filium suum Theodebertum item ad vastandum Sigeberti regnum trans Ligerim misit: Qui cum vastationibus crudelissimè instaret & ciuitates nonnullas cepisset, tandem cum Ducibus Sigeberti pugna incaute conserta decisus interiit.

574. Alboinus Rex Longobardorum apud Veronam insidijs Rosmodæ coniugis suæ à Helmichso armigero suo peremptus est: ipseq; Helmichis frustra regnum attentans, cùm ad mortem quæreretur, cum eadem Rosmoda coniuge sua & thesauris filiaq; regia Albsvvinda Rauennam fugit; ibiq; venenum ab ipsa acceptum, ipsam quoque bibere cogens cum ipsa pariter interijt. Sigibertus Rex Francorum cum suas vlciscens iniurias, fratris Hilperici regnum inuasisset, eumq; contra vetitum sancti Germani Parisiorum Episcopi, mortifero odio, fugientem persequeretur, missis dolo Fridegundis iam Regina duobus adolescentibus,ab eis peremptus interiit; ipsiq; pariter extincti sunt; & Brunihild vxor eius cum filio Hildeberto capta & custodiæ mancipata est. Sed Hildebertus puer clanculo à suis ereptus, & Rex

pro patre promotus regnauit an. 23. Rex admodum fortis & strenuus. Huius soror Ingundis Irmingildo Regi Gothorum, filio Leuigildi nupsit.

575. Constantinopoli Iustinus Imperator post multa mala & cupiditates suas in amentiã versus moritur: Pro quo Tiberius Constantinus, qui & ipso mente capto palatium rexerat, regnauit ann. 7. vir Deo deuotus & in eleemosynis pauperum omnium largissimus atq; in acquirendis facile diuitijs omnium fortunatissimus. In Italia Clep Longobardorum Rex, qui pro Albuino electus fuerat, cum anno & mense vno crudeliter regnasset, & multos Romanorũ peremisset, à proprio seruo suo peremptus est. Post quem Longobardi sine Regibus per ann. 10. sub Ducibus militantes, pluribus per totam Italiam debacchantur sceleribus; Burgundiam, quam (sicut sanctus Hospicius reclusus prædixerat) ingressi, Amatum Ducem Guntrammi Regis pugna victum occidunt, & multa cæde facta prædis ditati in Italiam reuertuntur.

576. Hoc tempore Meroueus Hilberici filius à patre contra Pictauos missus & inde reuertens Brunhildem accepit vxorem; à qua statim à patre separatus, cùm suspectus haberetur; non multo post attonsus & presbyter ordinari iussus est. Per idem tempus sanctus Germanus Parisiorum Episcopus migrauit ad Dominum. Circa hoc tempus Longobardi iterum Burgondiam ingressi à Mummulo patricio Guntrammi, qui Amato successerat, circumuenti, pluribus tricidatis & captis vix refugerunt.

577. His diebus Hilpericus Chlodoueum filium suum & Desiderium Ducem contra fratrem suum Guntrammum transmisit: sed à Mummulo patricio Guntrammi, pugna victi, terga verterunt. Hoc item tempore Saxones, qui cum Alboino Italiam intrauerant, Gallias inuadunt: sed à Mummulo

mulo cæsi & humiliati, impetrata pace, redeunt; & post annum iterum patriam repetere volentes, Gallias petunt; Viso Mummulo territi, auro se redimunt. Postremo à Sueuis, qui locum ipsorum possederant, pugna victi & pene deleti sunt.

578. Romæ Benedictus Papa LXIV. sedit annos 4. menses 2. à quo beatus Gregorius de monasterio ablatus, & diaconus ordinatus, Constantinopolimque apocrisiarius missus Euthicium eiusdem vrbis Episcopum in fide resurrectionis errasse, Tiberio Augusto præsente conuicit: Vbi etiam egregium opus Moralia in Iob venientibus ad eum monachis suis scribere compulsus est. Hoc tempore Guntrammus Rex Diacolemum Ducem superbè sibi vincula minitantem pugna victum occidit.

579. Hilpericus Rex Francorum inauditis exactionibus populum suum & descriptionibus afflixit: sed exactor eius occisus, & pictacia census incensa sunt. Magna aquarum inundatio, & illuuies, fulmina & terræ motus, & prodigia sequens pestilentia Gallias aliasque prouincias afflixere. Tres filij Hilperici dysenteria periere: quartus ab ipso in custodia positus molimine nouercæ Fridegundis cultro fixus interijt. In Hispanijs Leuigildus Rex Gothorum Arrianus instigante Goesinda vxore catholicos persequitur. His diebus magnæ Longobardorum copiæ cum tribus Ducibus Galliam ingressę diuersis modis ac pręlijs à Mummulo attritæ vix tandem in Italiam refugerunt.

580. Cometa die Paschę visus. Suesionis cælum ardere visum est. Parisijs sanguis de nubibus fluxit. Pestilentia & mortalitas ingens facta. Leuigildus Rex Hermigildum filium Catholicum persequitur cum exercitu. Rodinus Dux Hildeberti pius & religiosus obijt.

581. Hoc

581. Hoc tempore exercitus Tiberij Imperatoris missus Persas potenter superauit, & inter innumerabilem prædæ copiam 20. elephantos Imperatori reddit. Ipse Imperator, cùm Italia & ipsa Roma bello Longobardorum, pestilentia, & insuper fame grauiter laboraret, naues frumento onustas Romam misit, & annonæ copiam populo subministrauit.

582. Constantinopoli Tiberius Imperator omni laude dignissim' morbo tactus filiam suam & imperium Mauricio tradidit; & ipse ex hac vita fœliciter discessit. Pro quo idem Mauricius genere Capadocus regnauit annos 21. Romę Pelagius II. Papa LXII. sedit an: 10. mensib. 2. Hic templum sancti Petri tabulis argenteis deauratis texit. Domum suam fecit xenodochium, Basilicam sancti Laurentij construxit & sepulchrum eius tabulis argenteis ornauit.

583. Hildebertus Rex Francorum cùm hoc tempore 50. millia solidos auri à Mauricio Imperatore accepisset, quatenus Longobardos ex Italia pelleret, valido cum exercitu Italiam petijt. Sed Longobardis petentibus & munera offerentibus pacem cum eis pactumq; confirmans sine bello redijt, Mauricioq; pecuniam repetenti nec responsum dedit.

584. Guntrammus Rex in suburbano Cauillonensi summo studio monasteriū sancti Marcelli construens, ad exemplum Agaunensis instituit. Gundoaldus quidam cum auxilio Mummuli & Desiderij regnū affectans contra Guntrammum tyrannidem inuasit. Sed aduersis eius Leudiselo & Egilano fugatus, cum latebram Cambanis vrbe foueret, ab Osone de rupe præcipitatus interijt.

585. Hilperico Rege Francorum post multa scelera & mala sua insidijs perempto, & Parisijs in Basilica sancti Vincentij sepulto, Lotharius puer filius eius à Guntramo Rege, suo patruo, baptizari iussus est, & de sacro fonte susceptus inq; regno patris sublimatus, regente matre Fridegunde & Lauderico

derico Maiore domus, regnauit ann. 45. Mummulus patricius reus maiestatis conuictus iussu Guntrammi Regis interficitur & thesauri eius in fiscum rediguntur.

586. In Italia Longobardi post 10. annos, quibus duces præerant, Autharium Flauum Elephonis filium Regem statuunt; qui bellica clarus virtute regnauit ann. 6. qui inter alia Brexillā vrbem diruit, & totam pæne Italiam secuto tempore bello peragrauit. Leuigildus Rex Gothorum in Hispania Arrianus Hermimgildum Regem filium suum die sancto paschæ 18. calend. Maij securi iussit interfici. Guntrammus Rex exercitum in Hispanias misit, qui infirmatus statim redit.

587. Leudisolus à Guntrammo patrici⁹ promouetur. Magna aquarū inundatio facta. Globus igne⁹ scintillans & quasi rugiens de cælo in terram cecidit. In Hispania Leuigildus Rex Gothorum moritur: & Richaredus filius eius Rex pro eo efficitur; qui instante Leandro Hispolitano Episcopo, à quo frater eius Hirminigildus conuersus fuerat, cùm tota gente Gothorum non multo post ad Catholicam fidem conuertitur.

588. Guntrammus & Hildebertus Reges inter se pacem & pactum confirmāt, regnumq; Guntrammi post obitum eius Hildeberto promittitur. Nonnulli principū & ducū Hildeberti, coniurationis contra eum conuicti, puniti sunt. In Hispania hæresis destructa, & Synodus Toletana collecta est industria Leandri præsulis & Richaredi Regis. Cæsara regina Aunulfi Regis Persarum Constantinopolim dissimulato nomine regio profuga veniens, se baptizari impetrauit; postea à marito inuenta ipsum quoq; cum multis & gente sua Antiochiam venientem baptizari & Christianitatem aggredi effecit.

589. Exercitus Guntrammi ad Hispanias missus negligen-

tia Bosonis Ducis grauiter à Gothis trucidatus est. Hoc tempore Hildebertus Rex sororem suam, quam Autha-rio Regi Longobardorum promiserat, Regi Gothorum, qui nuper Catholicus factus fuerat, in matrimonium tra-didit.

590. Tunica Domini Saluatoris à Simone quodam Iu-dæo tormentis coacto monstrata, à Gregorio Antioche-no, Ioanne Constantinopolitano & Thoma Hierosoly-mitano, & alijs Episcopis multis, ieiunio triduano cele-brato, in arca marmorea in oppido Saphadt inuenta, sum-mo cum honore Hierosolymam allata est. Inter Francos & Britannos pugna commissa est. Hoc quoque tempore Hildebertus petitione Maximi Imperatoris iterum Lon-gobardos in Italia cum exercitu petijt: Sed victo ab Au-thario Rege cæsoque grauiter exercitu suo cum paucis redijt.

591. His diebus Rex Longobardorum Theodelindam filiam Garibaldi Regis Bauariorum, pulchram, pruden-tem, & piam accepit vxorem: Quo tempore magnus Fran-corum exercitus cum 20. Ducibus à Hildeberto Rege con-tra Longobardos missus diuersis casibus, præcipuè mor-bo afflictus, parumq; hostibus, intra munitiones septis, no-cere præualens, paruo effectu, fame afflictus, ægrè tandem reuertitur.

592. Immensa pluuiarum inundatio & illuuies facta in-gensq; mortalitas subsecuta est. In qua primo Pelagius Pa-pa, dein innumeri cateruatim extincti sunt: & beatus Gre-gorius tunc Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus constituitur, litanijs, & plaga cessante, Papa LXVI ordinatus, doctrina & actibus cunctis merito præferendus Apostolicis. sedit an. 13. mensib. 6. diebus 10. Qui statim inter alia bona librum pastoralem egregio edidit stylo. Hic quoq; super corpus beati

beati Petri ciboriū fecit & Missas celebrare instituit; itemq; S. Pauli similiter. In Italia, cum Autharius Rex ad Francos pro pace petenda misisset, veneno, vt aiunt, mortuus est: & Theodlinda Regina eius vidua Agonem Ducem, qui & Agilolfus, maritum & Regem selegit: Qui Rex Longobardorum factus regnauit ann. 22. Longobardi pacē cum Francis peragunt.

593. Guntrammus Rex Burgundiæ in omni bonitate præcipuus anno regni 33. 5. Calend. Aprilis obijt, & in Monasterio S. Marcelli à se cōstructo sepultus est; regnumq; Hildebertus fratris eius Sigiberti filius accepit, & post eum 4. ann. tenuit. In Britannia Edelfridus Rex super Anglorum partem constitutus est. Siccitas magna & fames facta est, & insolita locustarum magnarum multitudo.

594. Quintrio Dux Gallicæ Campaniæ regnum Lotharij Regis filij Hilperici hostiliter ingressi ab ipso Lothario cruenta vtrinq; pugna victus aufugit. Item locustarum multitudo frugibus nocuit.

595. Gregorius Papa Synodum 24. Episcoporum pro vtilitate Ecclesiæ ad S. Petrum collegit Indictione 14. Franci & Britanni, graui vtrinque cæde, pugna confligunt. His diebus Tassilo Rex Baioariorum à Hildeberto constituitur, qui mox Sclauis superatis magnam exinde prædam deportauit.

596. Sanctus Columba presbyter & Abbas post multa miracula in insula Hij iuxta Hyberniam migrauit ad Dominū, anno ætatis 73. Hoc tempore beatus Gregorius Papa missis doctoribus Augustino, Mellito, Ioanne, & alijs seruis Dei, Anglorum genti in Britannia verbum vitæ prædicare iussit, eamq; cooperante Dei gratia, ad fidem Christi per eosdem conuertit. Cometa & multa signa apparuerunt in cœlo.

597. Hildebertus Rex Francorum fortis & strenuus, filius

Sigiberti 23. anno regni, ætatis vero 25. veneno, vt aiunt, à coniuge accepto, moritur: pro quo duo filij eius Theodebertus in Austrifrancia ann. 17. & Theodoricus in Burgundia cum auia Brunihilde 18. annos regnauerat: ipsoq; anno Fridegundis cum filio Lothario regnum eorum inuasit, & eos cum exercitu resistentes graui cæde protritos fugauit.

598. Fridegundis Regina mater Lotharij Regis moritur. His temporibus cùm Romanus patricius aliquot vrbes à Longobardis dudum captas, & cum deditione recepisset, idq; Agilolfus Rex vltum ire molitus, Italiæ ipsiq; Romæ infesto cum exercitu immineret, studio sancti Papæ Gregorij & suffragio Theodelindæ religiosæ Reginæ, pax vtrinq; effecta est.

599. Quintrio Dux, instigante Brunihilde, peremptus est. Per hæc tempora Agilolfus Rex nonnullos Duces Longobardorum sibi rebelles, alios occidit, alios aliis modis perdomuit: ipse etiam perpetuam cum Theodorico Rege Francorum pacem fecit. Circa hæc etiam tempora Monasterium S. Benedicti in castro Cassino situm, fugientibus ex eo monachis à Longobardis omnino destructum & desolatum est.

600. Gregorius Papa Lindune & Eboraci Episcopos in Brittannia, misso pallio, Metropolitanos esse decernit, Indictione quarta. Clades glandularia Massiliam aliasq; partium illarum ciuitates & Italiam grauiter attriuit. In lacu Dunensi aqua repente bulliens & feruens magnam piscium partem decoxit. VVarinharius Maior domus Theodorici omni substantia distributa obiit.

601. Brunihildis de regno Theodeberti ob scelera sua depulsa, à quodam paupere sola inuenta, & ad Theodoricum Regem, vt rogabat, producta, benigneq; suscepta, eidem pauperi Episcopatum Antisiodorensem impetrauit.

602. Mau-

602. Mauritius Imperator R.P. vtilem principem militię faciens, Focam scilicet, eumq; cum exercitu mittens, de Persis & alijs nonnullis gentib⁹ triumphauit. Globi ignei & alia signa in cælo visa. Theodebertus & Theodoricus fratres ingenti pugna Lothario Rege superato & exercitu eius trucidato atq; fugato, regnum eius diripiunt & inter se diuidunt: modica tantum parte illi, id est 12. comitatibus iuxta littus Oceani cum pacto pacis relictis.

603. Constantinopoli Focas victor de Persis reuersus, Mauritium Imperatorem, peccata sua in præsenti, vt ipse semper orasse fertur, exsoluentem, turpiter interfecit, & ipse imperium arripiens, 8. ann. tenuit. Egilan dux, Brunihilde instigante, sine causa propter diuitias tantum suas occisus est. Theodebertus & Theodericus misso exercitu VVascanes victos subijciunt. Corpus sancti Victoris Martyris, qui cum beato Vrso Solodori passus est, apud Genuēsem vrbem diuina reuelatione in loculo argenteo inuenitur, & multis miraculis declaratur. Filius Agilolfi Regis Adaloaldus baptizatur, & à seruo Dei Secundo Tridentino Episcopo de fonte suscipitur.

604. In Britannia Edilfeidus Rex Anglorum Edanum Regem Scotorum insulam petentem forti profligato exercitu pugna vicit. Etherius Lugdunensis Episcopus obiit, eique Secundinus successit. Ipseq; Arridius Agilolfus Rex Cremonam & Mantuam captas diruit aliasq; prouincias vastauit. Et Romani reddita illi, quæ prius capta erat, filia eius, pacem ab eo ad tempus acceperunt.

605. Beatus Papa Gregorius & doctor sanctissimus migrauit ad Dominum, Indictione 8. post quem cessante Episcopatu mensib. plus 5. Fabianus Papa LXVII. sedit anno vno mensib 5. & post hunc item cessauit Episcopatus anno ferme vno. Quare de Constantinopoli legatio imperialis expectabatur.

batur. & hoc anno synodus nefaria Cauillanis congregata. Et beatus Desiderius Viennensis Archiepiscopus, machinante Brunihilde, quia scelera eius arguebat, depositus & exilio deputatus, & in locum eius Domnusus subrogatus est. Sol obscuratus est. Hyems nimis sæua magnam vinearum partem perdidit.

606. Fames Romæ facta. & pax cum Longobardis in annum vnum pro 12. millibus solidorum condita est. Prothadius, qui cum Brunihilde inter alios plures concubuerat, dux effectus est. Lotharij exercitus contra pactum, regnum Theodorici inuasit, & Berchvvaldum Maiorem domus, virum strenuum & pium fugatum Aurelianis obsedit. Filius Agilolfi Adaloaldus coram patre Rex à Longobardis effectus & electus; & desponsata ei filia Theodeberti. pax perpetua cum Francis facta est. Mense Aprili & Maio cometa visus est.

607. Theodericus exercitum Lotharij pugna inita victum fugauit: In qua tamen Berchtoaldus Maior domus audacius inter hostes progressus occubuit. pro quo Prothadius momine Brunihildis promouetur. Theodebertus & Lotharius cùm exercitibus collectis hostiliter conuenirent, facta inuicem pace digressi sunt. Theodoricus instigante Brunihilde & Prothadio contra fratrem Theodebertum arma mouit, cumq; infestis exercitibus cõcurrere pararent, cęterisq; pacem persuadẽtibus solus obsisteret Prothadius, eo impetu militum in tentorio Regis trucidato, fratres ab inuicem pace facta discedunt.

608. Romæ Bonifacius III. Papa LXIIX. sedit mensibus fere 9. post quem item cessauit Episcopatꝰ mensibus 10. Hic quia Constantinopolitana Ecclesia primã se scribebat, apud Focam Augustum obtinuit, vt Romana Ecclesia omnium caput Ecclesiarum decerneretur. Hic quoq; synodum 72. Episco-

Episcoporum Romę collegit. In regno Theoderici Claudius vir prudens & pius pro Prothadio efficitur Maior domus.
609. Romæ Bonifacius quartus Papa LXIX. sedit ann. 6. mensibus 8. & post hunc Episcopatus cessauit mensibus 7. Hic apud Focam Augustum templum omnium idolorum, quod Pantheon vocabatur, obtinuit, & in honore omnium Sanctorum dedicauit 3. idus Maij, & S. Mariæ ad Martyres appellauit, festiuitatemq; omnium Sanctorũ Calendis Nouembris celebrari constituit. Cuius tempore fames & pestilentiæ & inundatio aquarum immensa acciderunt. Vncilenus Dux ob mortẽ Prothadij, instigante Brunihilde, à Theoderico pede truncatus est, & facultatibus spoliatus. Itemq; Volsus patricius occisus est. Ipse Theoderic⁹ Ermenbergam de Hispanijs, filiam Betterici Regis Gothorum, coniugem sibi adductam, eiusdem Brunihildis suasu, ne honor suus vilesceret timentis, non vxorem accepit, sed repudiatam & expoliatã post annũ remisit. Beatus Desiderius Viennensis Archiepiscopus de exilio reuocatus, factione Brunihildis, Theoderici & Aridij Lugdunensis lapidatus & martyrio coronatus, plurimis post mortem claruit miraculis.
610. Bettericus Rex Gothorum, alijs tribus Regibus auxilio sibi ascitis, contra Theodericum bellum parat. His temporibus Persæ bello furentes, multas prouincias Romanis abstulerunt, intra quas ipsam Hierosolymam auferentes, & loca sancta destruentes, inter alia ornamenta & thesauros Ecclesiarum, CRVCEM Dominicam abstulerunt,
611. Heraclianus, qui Africæ præerat, Focæ Augusto rebellans, & cum exercitu veniens, regno eum vitaque priuauit, & filium Heraclium Imperatorem promouit: Qui accepto Imperio regnauit annis 26. Beatus Abbas Columban⁹ qui cum discipulis suis sancto Gallo & alijs, temporibus Sigiberti Regis de Hybernia veniẽs Luxouiense monasteriũ,

multis

multis virtutibus coruſcans, conſtruebat, cùm ſæpe Theodericum pro ſceleribus ſuis & maxime adulteriis increpans, ad legitimum hortaretur coniugium, molimine Brunihildis, reginas ambitiosè execrantis, iuſſu Theoderici Regis exinde pulſus, ſanctum ibi Euſtaſium pro ſe reliquit Abbatem.

612. Circa hæc tempora beatus Auguſtinus Anglorum Apoſtolus & Archiepiſcopus & doctor mirificus, migrauit ad Dominum. Sanctus Columbanus de Luxouio propulſus, ad Lotharium Regem, inde ad Theodebertum venit, eoq; optione manendi in regno dante, tandem in Alamannia Brigantium venit, ibiq; triennio manſit. Contentione inter Theodebertum & Theodericum de regno exorta, Theodebertus Alſatiã violenter accepit. Alamanni Auenticum pagum & vltra Iuranũ petentes victores cum præda reuerſi ſunt. Theodebertus coniugem ſuam peremit & aliam duxit.

Bregetz.

613. In Hiſpania mortuo Betterico Siſebodus Rex Gothorũ factus eſt, vir fortis & pius, qui ſæpe Romanis militibus congreſſus, victor pepercit, & captis plerisq; vrbibus regnum Gothorum nobiliter ampliauit. Theodericus contra fratrem Theodebertum bellum parans Lotharium Regem patruelem ſuum promiſſa quadam prouincia ab auxilio eius auocare ſatagit. Circa hæc tempora Hunni, qui & Auares, Venetiam petunt & totam prouinciam ferro, igne prædaq; vaſtantes, ipſum forum Iulij à Romhilda Giſulfi vidua proditum euertunt, & depopulata prouincia redeunt.

614. Heraclius Imperator Conſtantinum imperij conſortem fecit. Theodericus & Theodebertus cum infeſtis exercitibus apud Thulenſe territorium forti pugna confligunt; & magna vtrinq; cæde patrata, Theodebertus victus Coloniam aufugit: Quem cum Theodericus odio & inſuper

per venerabilis viri Iconisij Mogontiacensis Episcopi instigatione, persequeretur, ille denuo collectis vndiq; viribus apud Thulbiacum occurrens conflixit, & immensa strage hominum facta iterum victus fugit. Theodericus vero Coloniam ingressus thesauros eius ac regnum rapuit, filiumq; eius paruulum necari iussit, & ipsum comprehensum ac detonsum Cauillonis misit, nec multo post suspectum habens, instigante Brunihilde, occidi pręcepit. Quibus diebus beatus Columbanus de Brigantio pulsus, febricitantem Gallum reliquit, ipseque in Italiam veniens & benignè ab Agilolfo Rege & Theodlinda susceptus cœnobium Bobiense construxit. Sanctus quoq; Gallus solitudinem cellæ suę incolere cœpit.

615. Theodericus contra Lotharium arma parans profluuio, &, vt quidam aiunt, fraude Brunihildis, veneno Mettis interijt; & Sigibertus ex concubina filius eius à Brunihilde & principibus eius Rex pro eo factus est: nec multo post Lotharius Rex regnum eius inuasit anno regni sui 30.

616. In Britannia Edilbertus primus Anglorum Regum Christianus anno regni 56. obijt: pro quo Eatpolt regnauit annis 24. Hoc tempore Isidorus Hispalensis Episcopus clarus in Hispanijs habetur, qui huc vsq; temporum abbreuiationem produxit, & multa egregia opuscula edidit. In Italia Agilolfus Rex Longobardorum moritur: pro quo filius Adoloaldus cum matre Theodelinda regnauit annis 10. Apud Francos Sigibertus Rex cum contra Lotharium exercitum collegisset, à suis desertus & ab hostibus captus, vna cum fratribus iussu Lotharij peremptus est: à quo etiam Brunihildis ipsa indomitis equis alligari iussa & ab eis discerpta, digna tandem morte perijt: & Lotharius Monarchiam regni accepit.

617. Romæ Deusdedit Papa LXX. sedit annis 4. mense

ferè vno, qui clerum & sacerdotes dilexit, eisq; sumptus auxit, cuius tempore Eleutherius patricius Rauennam veniens Ioannis patricij peremptores occidit. Item Neapoli & alijs in locis tyrannis occisis pacem Italiæ reddidit. In Britannia Edivvinus occiso Edilfrido & filijs eius in Hyberniam fugatis regnum illius per annos 17. egregiè rexit.

618. Terræ motus ingens factus est, & clades scabiosa subsecuta populum fœda morte attriuit, ita vt mortui non possent agnosci. Hierosolyma inter alias Palęstinæ ciuitates à Chosdroë Rege Persarum capta, & CRVX Dominica in Persidem abducta est.

619. Lotharius Rex VVarinharium, cui aliquantulum infensus erat, suffragantibus multis in gratiam recipiens in principatu Maioris domus confirmauit.

620. Romæ Bonifacius V. Papa LXXI. sedit ann. 5. Vir valde mitis & pius. Eleutherius patricius tyrannidem & regnum affectans, in Italia à militibus peremptus est, & caput Constantinopolim missum. In Britannia defuncto sancto Laurentio Archiepiscopo Mellitus successit. Magundat magus genere Persa ad fidem Christi conuersus est & Anastasius dictus; Hierosolymæ mirę sanctitatis monachus effectus est.

621. Lotharius Rex acceptis amplis muneribus, Longobardis petentibus, 12000. solidorum auri, quos annuatim pro inuasa quondam Burgundia Francis persoluebant sub nomine tributi, * quibus consiliantibus dimisit.

622. Gertrudis Regina vxor Lotharij Regis ipsi & omnibus pro pietatis & morum excellentia nimiũ amabilis obijt.

623. His temporib⁹ beatus Adtala & post hunc Perpholfus Bobienses Abbates; in Almannia quoq; beatissimus Gallus virtutibus claruerunt.

624. In Britannia defunctoMellito Iustus substitutus est, qui sequenti anno beatum Paulinum ordinans Episcopum. Anglis illis, qui adhucPagani erant, prędicatorem & doctorem misit. Lotharius Rex Francorum año regni sui 39. Dagobertum filium consortem fecit, & beato viro Arnolfo Pipinoque Duci commendatum, ad regendum Austrifranciæ dirigit regnum.

625. Romæ Honorius Papa LXXII. sedit annis 13. qui multis bonis studens, Ecclesias plures adornauit, renouauit, extruxit. fecit Basilicam sanctæ Agnetis via Numentana. Item sancti Apollinaris in porticu sancti Petri. Item sancti Quiriaci via Hostiensi. Item quatuor Coronatorum. Item sancti Seuerini Tiburtina vrbe. Item sancti Pangratij via Aurelia. Item sanctæ Luciæ. Item sancti Adriani, & alia multa laudabilia patrauit.

626. Sormo quidam Francus negotiator dum cum alijs ad Sclauos venisset, eisq; contra Hunnos, qui & Auares, bellum mouentes fortissimè pugnans, adiuuisset, ipsi victoriam nacti, super se Regem illum eligunt, vbi multis clarus victorijs 35. ann. fœliciter regnum tenuit. Hic ibi 12. vxores habuit, & ex eis filios 22. filiasq; 15. accepit. In Italia Adaloaldus Rex Longobardorum cum in amentiam Græci cuiusdam legati malefico vnguento versus nonnullos Principum peremisset, depositus de regno non multo post veneno extinctus est: Post quem Harialdus Rex factus annis 7. regnauit. Hic Gundabergam filiam Agilolfi habuit vxorem.

627. In Britannia Edvvinus Rex Anglorum à Paulino Episcopo conuersus cum gente sua baptizatur, anno aduentus Anglorum in Britanniam circiter 180. Discordia inter Lotharium Regem & filium eius Dagobertum incepta, beato Arnolfo alijsq; principibus mediantibus sedatur.

628. Beatus Anastasius monachus multa pro Christo tormenta passus tandem in Perside à Rege Chosdroë cum alijs 70. strangulatus martyrium compleuit. Ipso anno Heraclius Imperator Persidem petijt victoq; & occiso Chosdroë cum infinita præda crucem Dominicam triumphans Ierosolymam reuexit. Apud Francos VVarnharius Maior domus moritur. Et Godinus filius eius nouercam suam vxorem accipiens, Lothario persequente, per diuersa fugitans, postremo peremptus est.

629. Lotharius Rex magnum de toto regno suo Clippiaci habuit conuentum: vbi magna dissensio & tumultus exortus, vix tandem studio Regis sedatur.

630. Lotharius Rex Francorum fortis, pius & religiosus, anno regni 45. defunctus, & Parisijs in Basilica S. Vincentij sepultus est. Eius regnum Dagobertus accipiẽs, cum iam 6. annis regnaret, 10. annis postea rexit, modica tantum parte iuxta VVascones & Pireneum fratri Hariberto cõcessa.

631. Dagobertus Rex sancto Arnolfo Mettensi Episcopo, & Pipino Duce Maiore domus, Chumbertoq; Coloniensi Archiepiscopo vtens consiliarijs, nimio iustitiæ flagrauit amore, & Rex per omnia laudabilis extitit. Postea verò propria secutus consilia multum ad exteriora defluere cœpit; vxoreq; Gomadruda repudiata Nanthildem quandam de Monasterio puellam accepit vxorem.

632. Heribertus Regulus frater Dagoberti VVasconiam inuadens suo eam regno adiecit. Dagobertus ex quadam concubina Sigibertum filium genuit. Pax perpetua inter Heraclium Imperatorem & Dagobertum, legatis mediantibus, pacta est: & petitione Imperatoris, qui imperium suum à gente circumcisa vastandum præcognouerat, Iudæi multi in regno Francorum, sicut & alibi in Romano imperio, profligati sunt. Nec multo post secutis temporibus crude-

crudelissima Saracenorum gens & ipsa circumcisa multas prouincias inundans vastauit, & Romanum exercitum crebris prælijs trucidatum vehementer attriuit.

633. In Britannia Edvvinus Rex Anglorum pacificus & pius à Ceadvvalda & Penda paganis Regibus victus & peremptus est. Post cuius mortem, filij Edilfridi de Scotis reuersi, regnum quondam patris sui arripiunt. E quibus duo à Christi fide, quã apud Scotos didicerant, apostatantes, intra vnum annum pereunt. Apud Francos Heribertus Regulus frater Dagoberti moritur, & regnum eius Dagobertus frater cum thesauris accepit. Tres exercitus à Dagoberto contra Samonẽ & Sclauos diuersis partibus missi. Vnus Francorum victus, duo Sueuorum & Longobardorum victores redierunt.

634. Calamitosus fuit iste annus Anglis, tam Regum apostasia & perditione, quàm barbarica & crudeli, quam à Ceadvvalda pertulerant vastatione. Sed statim Osuuald tertius filius Edilfridi Christianissimus paucis collectis in Domino confisus, & adorata quam erexerat lignea cruce, audacter cum Ceadvvalda pugnam iniuit; eoq; victo, prouincia & fratribus vindicatis, paternum regnum 8. annis plenus pietate nobiliter rexit. Samo cum Sclauis Turingiam vastat. Saxones Sclauis se resistere pollicentes, tributo 500. vaccarum, quas Francis annuatim soluebant, à Dagoberto absoluuntur. In Italia mortuo Harialdo Rege Longobardorum, Rotharius à Gundeberga maritus assumptus & Rex electus regnauit annis 13.

635. Per hęc tempora cum Sergius Constantinopolitanus annitẽte Cyro Alexandrino, hæresim Acephalorum instaurans, vnam in Christo Diuinitatis & Humanitatis voluntatẽ & operationem dogmatizasset, ipsumq; Imperatorem seduxisset, ab Apostolica sede damnatus est. Sclauis cum Samo-

ne Turingiam & confines pagos incursantibus, Dagobertus filium suum paruulum Sigibertum, Pipino & Adalgiso ducibus & Chuniberto. Archiepiscopo Coloniensi commendatum Austrifranciæ Regem fecit; eiq; sedem Mettis dedit, principibusq;, vt terminos regni Orientalis deinceps tuerentur, persuasit.

636. Dagoberto Regi Clodoueus seu Ludovvicus ex Nanthilde Regina fili⁹ nascitur; Cui non multo post regnum suum Occidētale destinauit & confirmauit. Ratholfus Dux Thuringię Sclauis sępe congrediēs victor eos fugabat. Vnde elat⁹, vt Regi suo rebellare tētaret, sensim animos attollebat.

637. Constantinopoli Heraclius Imperator à Sergio Constantinopolitano Episcopo in hęresin, vt aiunt, prius inductus moritur: pro quo filius eius Heraclonas cum matre Martina annis duobus imperat. Per hęc tempora Rotharius Rex Longobardorū, quamuis Arrian⁹, iustitię tamē amator, leges Longobardorū scripsit. Ipse etiam nōnullas Romanorum vrbes cepit, & Rauennatibus pugna confligens ex eis octies millia occidit reliquosq; fugauit.

638. Romæ defuncto Papa Honorio cessauit sedes Apostolica ann. 1. menses 7. dies 14. Quia Constantinopoli autoritas imperialis morte principum nutabat, quo tempore Lateranensis thesaurus à Mauricio Chartulario & Hisario patritio Exarcho Italię direptus & distractus est. VVascones rebellare tentantes, misso à Dagoberto exercitu perdomiti sunt. Britonum Rex ad Dagobertum veniens humiliter ei satisfecit & pace impetrata rediit.

639. Constantinopoli mortuo Heraclona Imperatore frater eius Constantinus regnauit menses 6. In Britannia Eadvvald Rex Cantuariorum Anglorum decessit, eiq; filius Ercharnbertus successit, ann. 25. VVascones à Dagoberto pro rebellione sua veniam precantur & impetrant.

640. Con-

640. Constantinopoli post mortem Constantini Imperatoris filius ipsius Constantinus, qui & Constans, regnauit annis 28. Romæ Seuerinus Papa 73. sedit mensib. duobus, diebus quatuor, vir sanctus, mitis & pius: post quem cessauit Episcopatus mensibus quinq;. Dagobertus Rex anno regni 16. moritur, & in suburbano Parisiaco in monasterio sancti Dionysij summo studio à se constructo, ornato, & dicato & ad institutionem Agaunensis monasterij ordinato sepelitur; cum quo pariter regni Francorum virtus & dignitas collapsa paulatim deficiebat. & pro eo filij eius Sigibertus & Ludovvicus regnum patris obtinuerunt.

641. Romę Ioannes IV. Papa LXXIV. sedit anno 1. mensibus fere 10. qui missa multa pecunia multos captiuos in Histria & Dalmatia à barbaris redemit: & Basilicam sanctorum martyrum Venancij, Anastasij & Mauri construxit & ornauit. Ludovvicus seu Clodoueus infans regnante matre Nanthilde regno Occidentali præponitur. In Hispania Sentila Rex Gothorum moritur: pro quo Tholga puer regnum accepit: quo non multo post deposito & detonso Chinthasindus regnum assumens, superbiam Gothorum, trucidatis primoribus, nimis humiliauit.

642. Romæ Theodorus Papa 75. sedit annis 6. mensibus ferè 6. Hic corpora sanctornm Primi & Fœliciani leuauit, & in Basilica sancti Stephani protomartyris sepeliuit, Ecclesiam sancti Valentini via Flaminia, Oratorium sancti Sebastiani Lateranis, Oratorium sancti * Cupli ante portam sancti Pauli fecit & inter alia bona constans in fide hæreticos damnauit. In Brittania Osvvald Rex Anglorum pijssimus pro patria contra Pendanum Regem Mertiorum paganum pugnans occubuit & plurimis post mortem miraculis claruit, pro quo frater eius Osuiu regnauit ann. 28.

643. Hoc

643. Hoc tempore Mauritius Chartularius tyrannidem affectans missis ab Hisacio patricio militibus Romæ comprehensus & abductus iuxta Rauennam decollatus est. Nec multo post ipse Hisacius morte apud Rauennā perijt & pro eo Theodorus Italiæ Exarchus ab Imperatore missus est. Ega maior domus Ludovvici, vir strenuus & religiosus obijt: Post quem Erchoualdus item vir laudabilis Maior domus efficitur.

644. Sanctus Paulinus Eboracensis Episcopus & doctor Anglorum anno Episcopatus 20. migrauit ad Dominum 6. Idib. octobris. Pipinus Maior domus & Dux Sigeberti, iustitię & pietatis amator eximius obijt; post quem filius eius Grimoaldus Maior domus effectus est.

645. Hoc tempore Pyrrhus Constantinopolitanus Sergij & in sede & in hæresi successor cùm à Theodoro Papa dudum damnatus, ex Africa Romam venisset, & fictam pœnitentiam satisfactionemq; simulasset, benignè susceptus & reconciliatus est. Postea verò domum reuersus & errorem repetens denuo ab ipso Papa depositus, damnatus & anathematizatus est.

646. His temporibus beata virgo Gertrudis, filia Pipini, soror Grimoaldi Maioris domus, Niualensis cœnobij mater virtutibus claruit. Huius soror Begga & ipsa fœmina religiosa Ansgiso sancti Arnolfi filio nupsit, cui etiam Pipinum iuniorem peperit.

647. His temporibus cùm Paulus Constantinopolitanus Pyrrhi successor hæresin non solum non dimitteret ipsumq; Imperatorem cum alijs seduceret, sed eam magis augmentaret, nec à domno Papa admonitus & increpatus resipisceret, & ipse identidem damnatus est. In Italia mortuo Rothario Rege Longobardorum Rodoaldus filius eius regnauit annis quinq;.

648. His

648. His Constantis Imperatoris tẽporibus gens Saracenorũ crudelissima Palęstinã, ipsamq; Ierosolymam, vtramq; Ægyptũ, Alexandriam vrbem & magnam Africæ partem aliasq; plures ꝓuincias Romani imperij vastauit atq; diripuit.

649. Romæ Martinus Papa 76. sedit ann. 6. mensibus fere duobus. Quo tempore Paulus Constantinopolitanus ipso Imperatore Constante seducto legatos Apostolicæ sedis se pro hęresi arguentes carcerib⁹, exilijs, & diuersis modis afflixit, Catholicis vbicunq; potuit non modicam persecutionem concitauit.

650. Martinus Papa indictam nonam Synodum Romæ 105. Episcoporũ colligit, in quã Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, cum sequacibus erroris condemnat.

651. In Britannia Osvvi Rex pius ab Osvvi Rege fugatus pugna ad quendam suorum cui fidem habebat, venit, à quo statim proditus ab Osvvo Rege cognato interfici iussus est. Ipso anno beatus Aidanus Scotigena Episcopus, & doctor Anglorum 2. Calend. septemb. decessit. In Italia mortuo Rodoaldo Rege Longobardorum Haribertus filius Gundoaldi fratris Theodelindæ Reginæ regnat annis 9.

652. Hoc tempore Olympius Exarchus à Constante Imperatore in Italiam missus cum Domnum Papam ac cæteros in fide Catholica vnanimes deprauare, eisq; nocere non posset, frustraq; ipsi Papæ diuinitus protecto insidias parauisset, cum eo tandem pacificatus, collecto exercitu Siciliam contra Saracenos ingreditur: vbi victo cæsoq; ab ipsis exercitu Romano, tædio morboq; confectus moritur.

653. In Britannia Honorius Anglorum Archiepiscopus obijt, pro Deusdedit annis 10. præfuit.

654. In Britannia mediterranei Angli ad fidem Christi conuersi sunt. Beatus Papa Martinus iussu Constantis hæretici Imperatoris à Theodoro Exarcho ad hoc misso Romę

in Basilica Saluatoris, quæ Constantiniana dicitur, cōmprehensus & Constantinopolim adductus, cùm flecti nullatenus posset, exilio in Cersonam damnatus est.

655. Martinus Papa in exilio migrauit ad Dominum, ibique sepultus, postea miraculis claruit: pro quo Romæ Eugenius LXXVII. ordinatus sedit ann. 2. mensibus ferè decem, vir benignus & mitis & pius. In Britannia Pendan Rex Merciorum paganus ab Osvvi Rege sancti Osvvaldi fratre pugna victus interijt. Et gens Merciorum Christi fidem accepit.

656. Petrus Constantinopolitanus, quasi satisfaciens pro fide sua misit Romam Synodicam epistolam, valde obscuram & dubiam: sed à Domino Papa & Ecclesia Romana non est accepta.

657. Romæ Eugenio Papa defuncto cessauit Episcopatus mensibus ferè duobus.

658. Romæ Vitalianus Papa LXXVIII. sedit annis 14. mensibus 6. qui literis ex more Constantinopolim missis in sede confirmatus Ecclesiam Romanam insigniter rexit.

659. In Britannia Vulfhere filius Pendani Rex Merciorum effectus regnauit an. 17. Constantinus, qui & Constans, Imperator sancto Petro donaria pretiosa Romam misit.

660. In Italia defuncto Hariberto Rege Longobardorum duo filij eius Godabertus Ticini, & Berthaticho Mediolani regnum statuentes, sed non multo post, factione prauorum, odio infando alterutrum regno pellere cupientes dissentiunt. Et Godabertus misso Gumbaldo Duce perfidissimo Grimoaldum virum strenuum, qui iam 25 ann. Dux Beneuenti erat, auxilio sibi contra fratrem asciuit: qui ab ipso Gumbaldo instigatus Godabertum occidit, & Perthatich ipso terrore fugatus ad Hunnos secessit post vnū annum & 3. menses sui regni, Grimoaldusq; arrepto regno Longobardorum annis 9. strenuè regnauit.

661. Hoc

661. Hoc tempore Pertharichus dudum Rex Longobardorum, cum de exilio reuersus Grimoaldi Regis gratiam petijsset, benigneq; susceptus esset, factione prauorum proxima nocte ab ipso Rege obseruari iussus est, sequenti die perimendus; sed astu, imo fide Himoldi amici sui & cuiusdam fidelis vestiarij sui, eductus ex vrbe Ticinensi ad Francos confugit, ibiq; latuit. Hac etiam tempestate Francorum exercitus Italiam ingressus, cùm in castris Grimoaldi Regis simulata ab ipso fugà relictis epularetur, ipso irruente ad internecionem deletus est.

662. Constantinus, qui & Constans Imperator Italiam contra Longobardos petijt, & aliquot oppidis eorum captis Rumoaldum Ducem filium Grimoaldi Regis apud Beneuentum obsedit. Sed aduentante Grimoaldo cum exercitu territus Neapolim repetit, magnaque exercitus sui parte, Duce Saburro, cum Rumoaldo pugna confligente & victa trucidataq;, nihil contra Longobardos profecit.

663. Constantinus Imperator Romam venit, & à Vitaliano Papa honorificè susceptus, toto exercitu cum cereis in Ecclesiam intrante, beato Petro pallium auro textile obtulit, & actis ibi 12. diebus cuncta pæne vrbis ornamenta abstulit. Inter quæ etiam tegulas æreas, quibus Basilica sanctæ Mariæ ad martyres, quæ Pantheon antiquitus vocabatur, tecta fuerat, diripiens in Siciliam præmisit, ipseq; suis in Italia deprędatis, ipsam insulã septima Indictione intrauit, ibiq; quinquennio multa infamis auaritia & nequitia mansit.

664. Eclipsis solis 5. Non. Maij facta est hora quasi decima. In Britannia conuentu ab Anglis & Scotis acto, quæstio de Pascha ventilatã, & Scotis à VVilfrido presbytero rationabiliter victis, sequã lues & pestilentia Britanniam & Hyberniam nimium vastat. Deusdedit Archiepiscop. Anglorum obijt. Ceydla & VVilfridus Nordanumbrorum Episcopi ordinantur.

665. In Britannia Erchanberto Rege Cantuariorum mortuo, Egibertus filius eius regnat ann. 9. Angli ad Vitalianum Papam pro Episcopo & doctore postulatum Romam mittunt. His diebus apud Francos Clodoueus seu Ludovvicus Rex iners & infamis, filius Dagoberti, frater Sigiberti, cùm Parisijs manens brachium S. Dionysij auferre ausus esset, in amentiam versus est.

666. Hoc tempore cum Lupus Dux Foroiulianus Regi Grimoaldo rebellaret, Hunni, qui & Auares, ab ipso Rege inuitati, Venetiam petunt, & ter pugna victi, quartoq; certamine victores, ipso Lupo cum suis occiso, prouinciã vastant; donec arte Grimoaldi territi tandẽ redire coacti sunt.

667. Circa hoc tempus Sclaui de Carunto, quod Carentanum dicim', cum exercitu Venetiã vastantes, Duce VVectario cum 25. suorum super eos irruente, pauci ex quinque millibus effugere vix potuere.

668. In Sicilia Constantinus Imperator, qui & Constans, post multas exactiones & deprædationes per prouincias actas, tandem à suis in balneo occisus interijt, Indictione 12. post quem Mezecius imperium ibi arripiens ab Italico exercitu cum complicibus suis peremptus est. Et Constantinus Constantis filius Constantinopoli Imperator factus regnauit annis 17. Imperator sane Catholicus & pius. Hoc anno Theodorus Archiepiscopus à Vitaliano Papa ordinatus, & cum Adriano Abbate ad Anglos missus, multis in verbo profuit & exemplo. Apud Francos, mortuo Clodoueo seu Ludovvico Rege infami, filius eius Lotharius puer regnauit annis 4.

669. Saraceni, qui iam multis depopulatis ꝓuincijs, Ægyptũ tenebant, Siciliã hoc tempore inuadentes, magnas hominum strages faciunt: & deprædata insula; hisq;, quæ Constans Imperator ibi collegerat, ablatis, Alexandriã redeunt.

670. In

670. In Britannia Osvvi Rex Anglorum frater sancti Osvvaldi obijt: pro quo Egfridus regnauit 15. annis. In Italia mortuo Grimoaldo Rege Longobardorum Pertherich de exilio reuersus, regnum paternum magno Longobardorum fauore recepit; & per annos 17. magna pietate insignis obtinuit.

671. Per hæc tempora in Italia regnum Longobardorum Perterich adeptus, summa pace & probitate regebat. His temporibus Childericus frater Lotharij Regis, filius Ludovvici, cùm ad Austrifranciæ regnum vocatus leuiter in eo & crudeliter ageret, à Francis vna cum vxore & filijs trucidatur.

672. Romæ Vitaliano Papa Indictione 15. defuncto, post duos menses Adeodatus Papa 79. sedit ann. 4. mensibus 2. vir valde mitis & pius. Qui & Ecclesias renouauit & ædificia noua construxit. Apud Francos post Lotharium puerum frater eius Theodericus regnat annis 19.

673. In Britannia Egberto Cantuariorum Rege mortuo frater eius Luthere regnauit ann. 11. mensib. 4. Quo tempore Theodorus Archiepiscopus Anglorum synodum vtilem collegit.

674. Circa hæc tempora Alachis Dux Tridentinus, de quodam Comite Norico victoria nacta, elatus, aduersus Pertharich Regem suum rebellabat: sed per Chunibertum Regis filium sæpius reconciliatus & honoribus auctus est.

675. In Britannia Vulfhere Rex Mertiorum obijt. pro quo frater eius Edilred 35. annis regnat, qui sequenti anno Cantiam vastauit.

676. Romæ defuncto Adeodato post menses 4. Donus Papa 80. sedit annis 2. mensibus 5. Qui inter alia bona studia porticum S. Petri marmore strauit: qua æstate immensa

vis tonitruorum & pluuiarum homines afflixit; & legumina, quæ propter pluuias colligi non poterant, quibusdam in locis renata & ad maturitatem reducta sunt. Cometa per tres menses visus, & magna hominum pestilentia in Oriente subsecuta est.

677. In Italia Pertharich Rex Longobardorum Chunibertum filium suum regni consortem fecit: Cum quo 10. annis postea regnauit. Ecclesia Rauennas, quæ Autocephaliam sibi vsurpans, à Romana desciuerat, Donò Papę denuo se subiecit.

678. Romæ defuncto Dono post duos menses Agatho Papa 81. ordinatus sedit annis 2. mensibus 6. vir mansuetus & benignus. VVilfridus Anglorum Episcopus ab Egeberto Rege sede sua pulsus, multos in peregrinatione sua ad Dominum prædicando conuertit.

679. Constantinus Augustus Legationem Romam misit, & vt pro confutandis hæreticis Synodus Apostolica authoritate Constantinopoli fieret, postulauit. Agatho Papa Synodum 120. Episcoporum Romæ collegit, & hæreticos vnam in Christo operationem dogmatizantes damnauit.

680. Eclipsis Lunæ & magna mortalitas Romæ per æstiuos menses facta. Agatho Papa legatos Constantinopolim misit Indict. 9. qui honorificè ab Augusto suscepti atque tractati, sextæ Synodo vinuersali 150. Episcoporum præfuerunt, & conuictos rationabiliter hæreticos, vnam in Christo voluntatem afferentes & operationem, damnauerunt. Theodorus Archiepiscopus Anglorum item Synodum collegit.

681. Constantinopoli sexta Synodus 150. Episcoporum indict 9. mense Februario acta, & Macharius Antiochenus sequacesq; erroris damnati sunt. Quibus damnatis, subito plurimę aranearum telę in Basilica coram omnibus ceciderunt,

rent, hæreticas videlicet nugas deiectas esse portendentes.

682. Romæ defuncto Agathone Papa cessauit Episcopatus anno 1. mensib. ferè 7.

683. Romæ Leo II. Papa 82. sedit mensibus ferè 11. vir per omnia eruditissimus & eloquentissimus ac pijssimus. qui aliquot Ecclesias renouans dedicauit atq; ornauit. sua decreta fecit; & plurima egregie scripsit, docuit, atq; instituit. Hoc anno 16. die Aprilis in Parasceue tota pene nocte luna eclipsin passa. Egfridus Rex Anglorũ misso exercitu Hyberniam insulam sine causa crudeliter vastat. Sanctus Cudbertus Lindufarnensis Ecclesiæ Episcopus ordinatur: qui pluribus Britanniam virtutibus decorabat.

684. Romæ defuncto Leone, cessauit Episcopatus anno ferè vno: post quem Benedictus II. Papa 83. sedit mensibus 10. vir & doctus, pius & beneficus omnibus, Ecclesias restaurans & exornans, & bona iugiter studia sectans. Cometæ apparent, & mons Campaniæ Bobius vltra modum flammas eructans circumposita exussit. In Britannia Egfridus Rex, cùm dissuadente sancto Cudberto Pictos incautè bello peteret, ab ipsius victus & peremptus interijt: pro quo Aldfridus Rex pius & prudens regnauit annis 19.

685. Romæ post Pascha defuncto Benedicto exactis plus duobus mensibus Ioannes V. Papa 84. sedit anno 1. vir item eruditus & discretus: qui prius Archidiaconus legatus in 6. Synodo Apostolicæ sedis fuerat. Constantinopoli Constantino Imperatore defuncto, filius eius Iustinianus regnat ann. 10. Qui hæresi pollutus, Orthodoxis fuit infensus & prauus. hic etiam cum Saracenis, prouincias plures deuastantibus, data eis multa pecunia, pacem in decennium condixit. In Britannia Luthere Rex Cantuariorum interijt.

686. Romæ defuncto Ioanne post 3. menses Conon Papa 85. ordinatus sedit mensibus 11. vir prouectæ ætatis, summæ inno-

innocentiæ, sanctæq; simplicitatis: qui dissentiente in duorum presbyterorum electione clero & populo, tertius postremo ab vtrisq; electus est. In Britannia sanctus Ioannes Hagustaldensis Ecclesiæ Episcopus ordinatus, multis claruit miraculis.

687. Romæ defuncto Conone, exactis ferè tribus mensibus, Sergius Papa 86. sedit annis 13. mensibus ferè 9. Hic quoq; dissentientibus in duorum electione partibus, tertius, Deo volente, electus est. Qui in fide Catholica fortis, persecutionem ab Augusto Iustiniano passus est, & Ecclesias multas construxit, renouauit, & exornauit, atq; ditauit; vir videlicet sanctus & omnibus bonis intentus. In Italia defuncto Perthericho Rege Longobardorum Cumbertus filius eius Rex strenuus, mitis & bonus regnauit annis duodecim.

688. Ceadvvald Rex Occidentalium Saxonum, ad fidem Christi conuersus, Romam venit, & in Sabbatho sancto Paschæ à Sergio Papa baptizatus, & Petrus vocatus, inibi in albis defunctus, ab ipso Papa summo honore sepultus, & Epitaphio decoratus est. In regno Francorum Pipinus filius Ansgisi filij sancti Arnolfi Theodericum Regem filium Ludovvici in Testritio pugna vicit, & potestatem regni Francorum adeptus, Dux & Maior domus, regnauit annis 27. Interim tamen Hilderico & Dagoberto regale nomen non dignitatem habentibus.

689. Circa hæc tempora in Italia Alachis Dux tyrannidem inuasit, & Papia occupata, Regeq; Chuniberto in insula Comacina, quia copiâ militum impar erat, se communiente, cunctos & maximè clericos crudelis insequitur.

690. Theodorus Venerabilis Anglorum Archiepiscopus anno aduentus sui in Britanniam 23. ętatis verò 88. decessit: qui inter alia bona librum pœnitentialem magna discretione conscripsit.

691. Apud Francos Theodericus Rex anno regni 19. moritur: pro quo filius eius Ludovvicus puer à Pipino & Francis Rex solo nomine factus, annis regnauit duobus.

692. Hoc tempore Chunibertus Rex Longobardorum, recepto Dei gratia regno, votis omnium, pugna victo & perempto Alachiso tyranno, optata suis deinceps pace regnauit.

693. Apud Francos post Ludovvicum frater eius Hildibertus, Regis nomen adeptus, regnauit annis 17.

694. His diebus duo Angli presbyteri Niger & Albus Zebald, studio diuini verbi accensi, dum Saxonibus prædicarent, à quibusdam rusticis martyrio coronati sunt, & diuinis miraculis declarati à Pipino Coloniæ tumulati sunt.

695. Constantinopoli Iustinianus Imperator hæreticus à Leone & Tiberio alijsq; coniuratoribus iniurijs affectus abscissis naribus regno pulsus, exul in Pontum secessit: & Leo arreptum imperium annis 3. obtinuit.

Vir sanctus VVillibrordus à Sergio Papa Archiepiscopus ordinatus, & Clemens vocatus, genti Frisonum verbum vitæ prædicans, plurimis saluti fuit.

696. In Britannia prouincia Nardanumbrorum quidam Druthelinus corpore raptus, & horrendis iocumdisq; visis, vitæ redditus districtissimam & sanctam deinceps duxit vitam. Hoc tempore Sergius Papa, Domino reuelante capsam cum portione Dominicæ Crucis inuenit.

697. In Britannia sanctus Cudbertus ex Anachoreta Episcopus post multas virtutes migrauit ad Dominum: Cuius vitam Beda presbyter & ipsam hexametris versibus edidir. Ipso anno Ostric Regina à suis perempta est.

698. Constantinopoli Tiberius imperium inuadens, Leonem Imperatorem 7. annis, quibus ipse post hunc regnauit, in carcere tenuit.

699. Hoc tempore Synodus Aquilegiensis facta, & quidam, qui Concilium V. Vniuersale noluerunt recipere, à Sergio Papa correcti sunt

700. In Italia Chunibertus Rex Longobardorum, fortis & pius, moriens, filio paruulo Luitperto regnũ relinquens, eiq; tutorem Asprandum, virum prudentem & strenuum dedit. Sed post octo menses Taginbertus Dux, Gotaberti dudum Regis filius, Luitperto cum suis pugna victo, regnum sibi vsurpauit; sed eodem anno mortuus est: cuius filius Haribertus susceptum à patre regnum 12. ferè annis obtinuit: Qui denuo Luitpertum cum suis vicit, fugauit, cepit, atq; peremit.

701. Romæ defuncto Sergio Ioannes VI. Papa 87. sedit annis tribus, mensibus 2.

702. In Italia his diebus cum Heribertus reliquis inimicis victis & subactis, Asprandum infestus sequeretur, ille viribus impar, primo Clauennam, inde ad Theodebertum Baioariæ Ducem confugit, ibiq; nouem annis mansit.

703. Beda presbyter Anglus, vir doctus vsq; huc Chronicam minoris libri de temporibus perduxit.

Hoc tempore cum Gisulfus Beneuenti Dux Campaniam vastaret, & captiuos educeret, eiq; nullus resisteret, à Ioanne Papa, postulante pacem, donaria accipiens, captiuos reddidit pacemq; fecit.

704. In Britannia Edilred Rex Merciorum regnum suum Coenredo tradidit, & ipse factus est monachus.

705. Constantinopoli Iustinianus Imperator auxilio Terbelli Regis Vulgarorum, imperium recipiens, Leonem & Tiberiũ, imperij peruasores, cum alijs multis occidit. Gallicinum Patriarcham excæcatum Romam misit, & in locum eius Cyrum Abbatem, qui se in Ponto exulem aluerat, promouit. De hoc Imperatore fertur, quod quoties de truncis

nari-

naribus profluuium deterſerit, pæne toties aliquem de inimicis ſuis perimi iuſſerit. Romæ Ioannes 7. Papa 88. ſedit annis duobus, menſibus ferè 8. vir facundus,& eruditus. In Britannia Alfridus Rex Nordanumbrorum, vir pius & prudens obijt; & pro eo filius eius Ofredus annis 11. regnauit. Sanctus Beddi Epiſcopus Occidentalium Saxonum obijt: pro quo Daniel & Aldhelmus Epiſcopi facti ſunt.

706. Ioannes Papa Oratorium ſanctæ Mariæ ad ſanctum Petrum conſtruxit & ornauit, & plures ad Eccleſias ornatus impendit.

707. Hoc tempore Haribertus Rex Longobardorum poſſeſſionem Alpium Cottiarum, dudum à Longobardis captam atq; detentam, per priuilegiũ aureis literis ſcriptum S. Petro Ioanniq; Papæ reddidit.

708. Romæ Siſinnius Papa LXXXIX. ordinatus ingraueſcente podagra 20. tantum diebus ſuperuixit: poſt quem Conſtantinus Papa XC. effectus, ſedit annis 7. diebus 15. vir valde mitis & pius,& omnibus ſtudijs intentus & ſtabilis. Aldhelmus Epiſcopus vir doctus & eloquens proſa metroq; facetus, obijt.

709. Cœnredus Rex Merciorum & cum eo Offa iuuenis Regius filius Sigiheri Regis, relictis regnis Romam veniunt, ibiq; monachi effecti mortalem non multo poſt vitam finiere. VVilfridus Epiſcopus venerabilis anno Epiſcopatus 45. poſt exilia multoſq; labores obijt; eiq; Acca in Haguſtaldenſi Epiſcopatu ſucceſſit.

710. Adrianus Abbas venerabilis anno, ex quo à Vitaliano Britanniã cum Theodoro Archiepiſcopo miſſus eſt 41. obijt. Hildebertus Rex Francorum filius Theoderici moritur anno regni 17. pro quo Dagobertus annis 5. regnauit.

711. Conſtantinopoli Philippicus Imperator factus, Iuſtinianum Imperatorem occidit, & ipſe annum vnum

& 6. menses regnat, catholicos persequens & hæreticis fauens.

712. Heribertus Rex Longobardorũ moritur: post quem Luidprandus.

713. Constantinopoli Anastasius Philippicum oculis & regno priuauit; & ipse annos 3. regnauit.

714. Anastasius Imperator missis Constantino Papæ literis, se Catholicæ fidei fautorem declarauit. Pipinus filius Ansgisi, nepos sancti Arnulfi, Maior domus, & Dux Francorum 27. obijt: pro quo filius eius Carolus, ex supradicta vxore Alpheide natus, regnat annis 27. Romæ defuncto Constantino Papa Gregorius II. Papa XCI. sedit annos 15. menses 9.

715. Carolus è Custodia, in quam eum Pliddrud vidua patris sui coniecerat, diuino auxilio liberatus, contra Radpodum Fresonum Regem cum sui damno exercitus pugnat. Dagobertus iunior filius Hildeberti, Rex Francorum moritur: pro quo Hilpericus qui & Daniel.

716. Egbertus vir sanctus, natione Anglus, inter alia bona sua Scotos legitimè Pascha celebrare docuit. Constantinopoli Theodosius Imperator factus, annũ vnum regnauit, qui Anastasium Imperatorem victum pugna, presbyterum ordinari fecit. Helpericus Rex & Reginfridus Maior domus, regiones regno contiguas vastantes, à Bliddruda, vidua Pipini, muneribus auocantur. Apud Anglos Osred Nordanumbrorum Rex anno regni 11. obijt.

717. Romæ Tiberis supra modum inundans multa subuertit ædificia. Carolus Hilpericum & Reginfredum apud VViciacum, Dominica Palmarum, pugna victos fugauit. Hoc tempore VVinfridus, qui & postea Bonifacius, genere Anglus Germaniæ gentibus verbum salutis prædicat, auctoritate Gregorij Papæ II.

718. Con-

718. Constantinopoli Leo Imperator annis 9. regnauit, cuius tempore Saraceni, qui iam multas peruaserant prouincias, triennio ipsam vrbem obsidentes diuino tandem auxilio fame, peste, ferro naufragioq; repelluntur. Carolus receptis à Bliddruda patris sui thesauris Lotharium sibi quendam Regem constituit. & inita rursum pugna Helpericum & Reginfredum vnà cum Eudone duce Aquitaniæ, auxilium eis ferente, victo, fugauit.

719. Helpericus ab Eudone, ad quem confugerat, Carolo reposcenti redditus est. & Lotharius Rex mortuus est. Sanctus Bonifacius à Gregorio Papa Mogontiæ Archiepiscopus ordinatus, multis populis & gentibus verbo & exemplo profuit.

720. Mortuo Helperico, Theodericus filius Dagoberti, Rex à Carolo constituitur. S. Othmarus cellæ S. Galli primus Abbas constitutus, cœnobialem inibi vitam instituit, & 40. per annos nobiliter rexit.

721. Carolus item Reginfredum vicit, Andegauis vrbem vi cepit, Saxones bello superauit. S. Ioannes Hagustaldensis Episcopus obijt.

722. Carolus Alemanniam & Baioariam armis subegit.

723. Alamanni & Baioarij item Carolo rebellant.

724. Carolus transito Ligere, Aquitaniam vastat; Eudonem ducem pugna victum fugat.

Sanctus PIRMINIVS Abbas & Chorepiscopus, à Bercholdo & Vehi principibus ad Carolum duct⁹, Augięq; insulę ab eo pręfectus, serpentes inde fugabat & cœnobialem inibi vitam instituit tribus annis.

Ad oram hæc erant: Augia maior, aliàs Sinthlas Augia, mundatur & inhabitatur.

725. Saraceni ab Eudone in auxilium euocati Gallias pręda & incendio vastant.

726. Carolus inita pugna magnam Saracenorum multi-

 tudi-

tudinem vna cum Rege eorum victor prostrauit.

727. Carolus Burgundiam petens sibi eam subiecit. Sanctus Pirminius ob odium Caroli à Theodebaldo Gotifridi Ducis filio ex Augia pulsus Eutonem pro se constituit Abbatem, & ipse Alsatiam, alia instructurus cœnobia, petijt.

728. Eudo Dux moritur. & Carolus Aquitaniam sine bello recipit.

729. Carolus Fresiam inuadit, Poponem Ducem pugna victum occidit, fana incendit, & victor redijt. Sanctus Egbertus Anglus presbyter obijt, ætatis anno 90. die Paschæ.

730. Saraceni collecto exercitu Auinnionem vrbem capiunt, regionesq; circumquaq; deuastant. Landfridus Dux Alamanniæ moritur.

731. Carolus Auinnionem, victis & cæsis Saracenis, inexpugnatam recipit. Beda presbyter & monachus, natione Anglus, Doctor mirificus, obijt. Romæ Gregorius III. Papa 92. sedit annos 10. menses 9. Tria Cœnobia, id est, Altaha, Morbach, & Fauarias ex Augensibus fratribus instructa sunt, duodenis ad singula fratribus deputatis, & totidem Augiæ remanentibus.

Ad oram hæc erant: Altha inferior, Morbach, Phauonia. Pfeffers.

732. Carolus Gothiam inuadens, Regem Saracenorum Narbone inclusum obsidet. Euto Augiæ Abbas à Theodebaldo ob odium Caroli Muraniam relegatus: sed eodem anno pulso Theodebaldo à Carolo restitutus est.

733. Exercitus Saracenorum de Hispanijs Narbonam superueniens à Carolo commissa pugna ad internecionem deletur.

734. Saraceni item à Carolo pugna victi fugientesq; naufragio periere. Augiæ Euto Abbas post 7. annos Kebam successorem relinquens, ipse Argentinæ Ecclesiæ Episcopus à Carolo promotus, non longè pòst sui nominis idem Ethenheim Cœnobium construxit.

735. Caro-

735. Carolus item victis & protritis Saracenis cum præda magna & captiuorum multitudine victor reuertitur.

736. Carolus Gothos petijt, & nonnullas vrbes eorum & castella diruens, victor redijt. Audonius Episcopus obijt. Augiæ defuncto post duos annos Keba, Ernfredus monachus Augiæ Abbas & Constantiæ Episcopus factus præfuit annis 10.

737. Carolus Saxones victos tributarios fecit.

738. Carolus prouinciam petens Maurontem Ducem, qui Saxones inuitauerat, fugauit.

739. Carolus totam prouinciam suæ subiecit ditioni.

740. Victis circumquaque hostibus pax & quies regno Francorum per Carolum facta.

741. Romæ Zacharias Papa 93. sedit annos 10. menses 4. Carolus post multa fortiter facta moritur Carisiaci & apud sanctum Dionysium sepelitur: pro quo filius eius, diuiso inter se regno Francorum, Maiores domus pręfuerunt; Carolomannus annis 6. Pipinus annis 10.

742. Carolomannus & Pipinus rebellare molientem Hunaldum Aquitaniæ & Theodebaldum Sueuiæ duces celeriter comprimunt.

743. Ipsi Duces Odillonem Baioarię Ducem sibi rebellantem prælio vincunt.

744. Carolomannus cum Odillone Duce pacem facit. Fuldense Cœnobium in saltum Bochonia à sancto Bonifacio Archiepiscopo fundatum est. *Fuld.*

745. Carolomannus cum fratre Saxoniam rebellantem vastauit. Heseburg castrum cepit.

746. Karolomannus Alamannos iterum rebellare conantes comprimit. Sanctus Bonifacius annuente Carolomaño, autoritate Zachariæ Papæ duos in parochia sua episcopatus facit VVirtznburgensem scilicet, cui sanctum Burgchardum; & Eichstetensem, cui sanctum VVillibaldum compro- *VVirtznburg* *Aichstet.*

uincia-

Ad oram erat: Sidonius nequam.

uinciales suos primos Episcopos ordinauit. Sidonius Augiæ monachus, quintus ei loco Abbas, Constantiæq; Episcopus factus, præfuit annis 13. qui cellam quoq; S. Galli ambiens, iniquis principibus in damnatione sancti Othmari Abbatis consensit.

747. Carolomannus diuino amore tactus mundo abrenunciauit, & Romam pergens mutato habitu monachum se in castro Cassino ad sanctum Benedictum fecit.

748. Gripho ex cõcubina frater Pipini, tyrannidem affectans, ad Saxones se contulit, Pipinoq; adueniente, pacificari cum eo nolens, in Baioariam fugit.

749. Pipinus Baioariam adiens, Thassilonem, sororis suæ Hildrudis filium, Ducem sibi constituit, Griphone & Landfrido inde abductis.

750. Pipinus Griphoni 12. comitatus in partibus Neustrię dedit; sed ille rursum diffidens ad Vuayuarium Ducem Aquitaniæ transfugit.

751. Pipinus missis Romam legatis, Zachariam Papam de regno Francorum, & ignauis Regibus eius Merouingis, nomine solo regnantibus, consuluit. Lantfridus Dux Alamannorum moritur.

752. Auctoritate Zachariæ Papæ, & non multo post Stephani (qui Papa XCIV. eidem in pontificatu 6. annos succedebat) deposito, ac dein tonso Rege Hilderico Merouingorum vltimo, Pipinus Rex Francorum electus, & Suessionis à S. Bonifacio Archiepiscopo vnctus & consecratus; regnauit annis 17. Audogarius primus Campidonensis cœnobij fundator & Abbas locum illum incolere cœpit.

753. Pipinus Rex perfidam rursus Saxoniam vastat: ibiq; Hildigarius Coloniensis Archiepiscopus occisus est. Gripho, cùm Italiam petere moliretur, à Comitibus Pipini in valle Maurienna interimitur, Stephanus Papa, pro auxilio contra

Haystul-

Hayſtulfum Longobardorum Regem poſcendo, ad Pipinum Regem in Franciam venit,& filios eius Carolum & Carolomannum Pariſijs Reges vnxit.

754. Sanctus Bonifacius Moguntinenſis Archiepiſcopus, cùm Freſonibus euangelizaret, martyrio ab eis coronatus eſt, anno Epiſcopatus 36 & apud Fuldenſe cœnobium ſepultus: pro quo Lullus Archiepiſcopus pręfuit annis 32. Carolomannus frater Pipini, cùm ad eum ꝓ diſſuadenda expeditione Italica venire vellet, Lugduno obijt. Pipinus Italiam cum exercitu petit, & Hayſtulfum Regem, victum & Papiæ obſeſſum, obſides dare & res S. Petri ſacramento reddere compulit. Stephanus Papa, Duce Hieronymo Pipini fratre, Romam redijt.

755. Hayſtulfus ſacramentum contemnens Romam obſidet, omnia circum ferro & igne deuaſtans: pro qua re Papa legatos marino itinere ad Pipinum queſtum & denuo auxilium obſecratum mittit.

756. Pipinus Rex iterum Italiam petens Hayſtulfum Papiæ incluſum, & Rauennam cum Pentapoli alijsq́;, quæ peruaſerat, S. Petro & Domno Papæ per legatum ſuum Folradum reddere coartat.

757. Hayſtulfus Rex in venatu ex equo lapſus interijt: pro quo Deſideri⁹ regnauit. Conſtantinus Imperator inter alia munera Pipino Regi etiam organum miſit.

758. Pipinus Saxonibus item ſuperatis annuatim 300. equorum cenſum imponit. Romæ Stephano Papæ Paulus ſucceſſit, ſedit annos 10.

759. Vuaifarius tyrannidem in Aquitania exercens, preſſuras Eccleſiarum, prędas, & incendia villarū facit. Sanctus Othmarus Abbas à Vuarino & Ruthardo, conſenſu Sidonij Epiſcopi, iniquè damnatus, & in inſulam ReniStein relegatus, migrauit ad Dominum. Cuius abbatiam cùm Sidonius

Episcopus & Abbas temerario ausu inuasisset, ante altare sancti Galli, profluuio ventris percussus interijt: pro quo Ioannes Augiensis item Monachus, Episcopatum & vtramq; Abbatiam accipiens, præfuit annis 21. qui primum Romanæ sedis priuilegium Augiæ ab Adriano Papa impetrauit.

760. Pipinus Aquitaniam seu VVasconiam inuadens, VVaifarium, quæ iniustè inuaserat, sacramento reddere compulit.

761. VVaifarius sacramenta postponens cuncta, quæ potuit vsq; Cauillionem, ferro, præda & igne vastauit.

762. Pipinus cum filio Carolo Aquitaniam item petens plurimas vrbes cepit, & plurimas sibi rebelles domuit.

763. Thassilo Dux de exercitu se subducens Baioariam repetijt.

764. Hyems frigore sæua & vltra solitum prolixa hoc anno accidit. Pipinus magnum conuentum Carisiaci habuit.

Rudgangus.

765. Rddgangus Metensis Archiepiscopus corpora Sanctorum Gorgonij, Naboris, & Nazarij à Paulo Papa impetrauit.

766. Corpus sancti Gorgonij in Gorza Cœnobio; sancti Naboris in Nouacella; sancti Nazarij in Lauresbam conditum est.

767. Pipinus in Aquitania Lemouicam vrbem expugnatam capit. Romæ Paulus Papa obijt: pro quo Stephanus sedit annos 4.

768. Pipinus occiso VVaifario & subacta Aquitania, victor rediens 8. Calend. Octobris obijt Parisijs, ibiq; sepelitur anno ætatis 54. & Carolomannus 4. annos regnat.

769. Carolus & Carolomannus Hunoldum Aquitaniæ Ducem bello victum capiunt. Corpus sancti Othmari Abbatis post 10. annos, in insula, qua obijt, incorruptum repertum, ad Monasterium S. Galli translatum est.

770. Ca-

770. Carolus filiam Desiderij Regis Longobardorum, adducente Bertha matre sua, vxorem duxit, sed statim eam repudiauit.

771. Carolomannus Rex obijt, & Remis sepelitur. Carolus Synodum magnam colligit.

772. Carolus Saxones petit, Eresburg castrum capit, idolum eorum Irminsul dictum diruit, & laborantem siti exercitum, datis diuinitus in sicco quodam torrente aquis, reficere meruit: acceptisq; pro pace 12. obsidibus redijt. Romę post Stephanum Adrianus Papa sedit annis 24.

773. Carolus ab Adriano Papa pro defensione rerum sancti Petri rogatus Italiam petit, & claustris vi potitus, Desiderium fugientem Papiæ obsedit, & ipse Romã orandi gratia adiens Pascha ibi celebrauit.

774. Longobardi cum Desiderio Rege suo, Carolo se tradunt, año, ex quo Italiã cum Alboino Rege intrauerunt 205. ipseq; regno eorum & thesauris potitus, abducto secum Rege cum cõiuge sua victor redijt. Saxones pactum frangentes Hessios petunt: sed Ecclesiam apud Friteslar à sancto Bonifacio dedicatam, Deo prohibente, incendere nequeunt. Corpora Sanctorum Gordiani & Epimachi de Roma in Alamanniam translata sunt. Ecclesia sancti Nazarij Lauresham dedicata est.

Ad oram hæc erãt: Gordianus & Epimachus Cãpidonã sunt translati.

775. Carolus latè Saxonum terras vastat, & duobus eos prę s vasta strage superat. Reudgaudus Longobardus Italiæ regnum affectat.

776. Carolus item Italiam petit & Reudgaudum victum occidit. Saxones itẽ rebellãtes, Caroli pręsidia bello petunt.

777. Saxones multa tandem cæde perdomiti, Carolo subduntur & Christiani efficiuntur, se suaq; omnia tradentes, si vltro fidem violarent.

778. Carolus Hispanias bello petijt, & obsidib⁹ acceptis,

VVasconibusq; & Narbaris subactis, redijt. interim Saxones item rebelles, Duce VVidicundo, Francorum terminos vsque ad Rhenum vastant, & insequente Regis exercitu magna ex parte cæsi fugiunt.

779. Carolus item Saxonibus pugna victis & subactis, obsides accepit. Fuldis Sturmi Abbas obijt, & Bagolf successit.

780. Carolus habito in Saxonia conuentu & dispositis tàm Saxonum quàm Sclauorum rebus, ipse Romam orandi gratia adijt.

781. Pipinus filius Caroli Romæ ab Adriano Papa baptisatus est, & cum fratre Ludovvico Rex vnctus. Tassilo Dux Baioariæ fidem subiectionis Carolo sacramento & obsidibus firmat. Constantiæ Episcopus & Abbas Ioannes obijt: pro quo Egino Episcopus annos 32. & Petrus Augiæ Abbas annos 5. & apud sanctum Gallum Rudpertus Abbas annum vnum præfuerunt. Inter alia prodigia Cruces multis in vestibus apparent. sanguis è terra & aëre fluxisse dicitur.

782. Carolus item in Saxonia conuentum habens, legatos Danorum & Hunnorum audiuit: quo reuerso, Saxones, legatos eius in Sclauos cum exercitu missos, persuadente VVidichindo, commisso prælio non sine magna clade sua interimunt. Ob quorum vindictam Carolus Saxonũ 4500. decollare iussit. Apud sanctum Gallum VValdo Abbas præfuit anno vno & dimidio.

783. Hiltigardt Regina vxor Caroli 2. calend. Maij, & Bertha mater eius 4. idus Iulij obierunt. Carolus item Saxones bis acie confligens, magna strage vicit, Fastrandamq; eo anno duxit vxorem. *al. Fastradam.*

784. Iunior Carolus à patre in Saxoniam missus VVestfaldos prælio vicit & domuit. Apud sanctum Gallum VVerdo Abbas præfuit annos 25.

785. VVidikind Saxo ad deditionẽ Caroli veniens bapti-

ſatus eſt, & tota Saxonia ſubacta eſt. Coniuratio Orientalium Francorum contra Carolum orta & compreſſa eſt.

786. Carolus miſſo per Antulfum exercitu, Britones domuit, & ipſe Romam orandi gratia adijt: auctores cōiurationis contra Carolum diuerſis pœnis mulctauit. Lullo Moguntienſi Archiepiſcopo Riculfus ſucceſſit. Augiæ poſt Petrum VValdo Abbas IIX. præfuit annis 20.

787. Carolus Beneuentum petens obſides accepit. Ruddrud filia eius Conſtantino Imperatori deſponſatur. Eclipſis ſolis 15. calend. Octobris.

788. Taſſilo Dux Baioariæ infidelitatis & periurij conuictus à Carolo ducatu priuatur. Græcorum exercitus à Francis & Italis vincitur. Item Hunni, qui & Auares à Carolo vincuntur exercitu.

789. Carolus valido vndiq; collecto exercitu Albiam fluuium tranſit, & Sclauos prælijs protritos ſubiugauit.

790. Hunc annum Carolus ſine bello VVormaciæ quietus tranſegit.

791. Carolus trifariam diuiſo exercitu terras Hunnorum ingrediens ferro & igne deuaſtat.

792. Synodo Ratiſbonæ collecto hæreſis Fœliciana damnata eſt. Coniuratio Pipini contra Carolum detecta, & ſupplicio auctorum punita eſt.

793. Pugna inter Saracenos & Frācos in Gothia Saracenis ſuperioribus cōmiſſa eſt. Saxones item more ſuo rebellant.

794. Synodo magna in Franconofurt habita; hęreſis item Fœliciana damnata eſt. Faſtrada Regina mortua & Moguntiaci ſepulta eſt. Pſeudoſynodus Græcorum pro adorandis imaginibus habita, ab Epiſcopis damnata eſt. Carolus item Saxonibus ſubactis, tertiam virorum partem tranſtulit. His temporibus Alcvvinus, qui & Albinus, apud Regem cæteroſq; vita & doctrina clarus habetur.

795. Saxones cùm VVizam Ducem Abodritarum ad Regem Carolum venientem peremissent, vastata itẽ regione sua, puniti, obsides tradunt. Hunni quinq; missis legatis se cum terra sua ipsi tradunt, Christianitatem promittunt.

796. Romæ defuncto Adriano Papa Leo tertius sedit annis 20. Principibus Hunnorum Cagano & Iugurto ciuili bello peremptis, terra eorũ Carolus per Ehericum Foroiuliensem Ducem & Pipinum suũ filium potitus est, Tudunq; princeps eorum ad ipsum veniens cum populo suo baptisatus & honorificè ad sua remissus est. Saxonia etiam iterum rebellis ab ipso peruasa vastatur.

797. Bracinona vrbs Hispaniæ Carolo reddita est. Constantinopoli Constantinus Imperator à Græcis excæcatur. Saxonia item à Carolo vsq; ad Oceanum vastata, & in deditionem per obsides recepta.

798. Carolus in Saxonia cum exercitu hyemauit, & Transalbianos Saxones, qui & legatos eius comprehenderant, latè vastauit; & per legatos suos conserto prælio 4000. ex eis occidit; reliquos pacem postulare & obsides dare compulit. Hadefuns Rex Galleciæ Carolo post munera pretiosa itemq; manubias suas ꝓ munere misit. Herena Constantini mater Imperatoris cęci legatos Carolo pro pace misit. Mauri piraticam exercere incipiunt.

799. Leo Papa, vt fama est, in Litania maiore à Romanis lingua præcisa excęcatur: sed per VVirundum Abbatem & VVinigisum Spolitanum Ducem ereptus atq; in Saxoniam ad Carolum perductus est. Ehericus Dux Foroiuliensis à Liburnis per insidias occisus est. Geroldus quoque præfectus Baioariæ, signifer & consiliarius Caroli pius & religiosus contra Hunnos pugnans, occubuit; Augiæque, quam multis auxerat donis & prædijs, sepultus est. VValeares insulæ victis auxilio Caroli Mauris & Saracenis, liberatæ

ratæ sunt. Britannia Cismarina per VVittonẽ Ducem Carolo subijcitur. Patriarcha Hierosolymitan⁹ reliquias de Sepulchro Domini; & Azan præfectus ciuitatis, quæ dicitur Osca, claues vrbis & alia præclara munera Carolo mittunt. Augię sancti Petri Basilica ab Eginone Veronensi Episcopo constructa & dedicata est.

800. Carolus Hierosolymam ad sancta loca insignia dona transmisit, ipse dispositis per Gallici maris littora contra piratas præsidijs, ad sanctum Martinum orandi gratia venit, ibique defunctam Luitgardam coniugem sepeliuit. Inde Romam petens Leonem Papam se de illatis & non probatis criminibus purgantem sacramento, sedi suæ restituit, ibique hyemauit, Pipino filio in Campaniam prædatum misso.

801. Carolus in die Natalis Domini à Leone Papa corona imposita primus Regũ Francorum Cęsar Augustus Imperator, succlamantibus Romanis laudes, appellatus est. Qui postea iuxta leges Romanas, temeratores Leonis Papæ capitali sententiæ addixit; sed precibus eiusdem Papæ vita concessa, in exilium eos relegauit. Terræ motus magnus 2. Calend Maij factus est.

802. Herena Imperatrix de Constantinopoli legatos item ad Carolum Imperatorem pro pace misit, & ille vicissim missis ad eam Iesse Episcopo Ambianensi, & Helmgaudo Comite pacem firmauit. Aaron Rex Persarum inter alia munera elephantum Imperatori Carolo misit. Franci Transalbianos Saxones vastant. Fuldis Baugolfo Abbati Radtgarius successit. Paulinus Patriarcha Foroiuliensis seu Aquilegiensis obijt. Egino Veronensis Episcopus hac vita decessit, Augiæ in Basilica cellæ suæ sepultus est.

803. Constantinopoli deposita Herena Niciferus Imperator

rator factus, legatos Caroli Imperatoris, suis adiunctis, firmata pace remisit; quos ille suscipiens, compacto pacis litteris mandato dimisit. Sanguis Domini Mantuæ inuentus Carolo Imperatori nunciatur: cuius rei veritatem perquirendam Leoni Papæ Imperator commendauit. Qua occasione arrepto itinere Papa ad Imperatorem venit & cum eo Natalem Domini Carisiaci celebrauit.

804. Domnus Papa ab Imperatore magnis muneribus donatus, Baioariam redijt. Carolus Imperator Transalbianos Saxones cum mulieribus & natis in Franciam transtulit, & pagos eorum Abodritis dedit. Richpoto Treuerensis Archiepiscopus obijt.

805. Carolus iunior à patre missus, Boëmiam, occiso Rege Lechone, subiugauit. Imperator Cagano apud Hunnos priscum honorem reddidit.

806. Carolus Imperator inter tres filios regnum diuisit. Carolus iunior Sarabos vastauit, & Miliduch Ducem eorum occidit. Item misso exercitu Boëmia vastatur. Pipinus Rex filius Caroli Mauros de Corsica insula pepulit. Augiæ VValdone Abbate, ad regendum sancti Dionysij Cœnobiũ transposito, Heyto nonus Abbas præfuit annos 17.

807. Aaron Rex Persarũ inter alia multa & pretiosa munera artificiosum satis Carolo Imperatori misit horologiũ. Classis à Carolo Imperatore missa, Mauros item in Corsica commisso prælio multis cæsis fugauit.

808. Godafridus Rex Danorum & Nortmannorum, multo militum suorum damno, cum Abodritis bello conflixit & vicit. Carolus iunior Linones & Simeldingos, qui ad Godafridum defecerunt, vastauit. Rex Nordanumbrorũ Cardolf regno pulsus, primo ad Carolum Imperatorem ac deinde Romam questum venit.

809. Ludovvicus filius Imperatoris Hispaniam petijt.

Cardolf

Cardolf in regnum suum per legatos Papæ & Imperatoris remittitur. Quæstio de processione Spiritus Sancti, Synodo habita, ventilatur. Imperator contra Godafridum castrum Esesfeld trans Albiam ædificat. Trasco Dux Abodritarum cùm fortiter multa contra perfugas Godafridi suosq; desertores fecisset, à militibus eius dolo occisus est. Apud S. Gallum VVolflec Abbas præfuit annos 4.

810. Riddrud filia Imperatoris 8. Idus Iunij obijt. Godafridus missa magna classe, Fresonibus ter prælio victis tributum imposuit: Cui cùm Imperator Carolus iam cum exercitu occursaret, elephas, quem Aaron miserat, subito moritur; classisq; reuersa: & Godafridus, qui se cum ipso Imperatore acie conflicturum minitabatur, domi à suis peremptus nunciatur. Castellum quoq; * Hochbd'ch super Albiam situm cum præsidio suo à VVilzis captum, Pipinumq; filium suum Italiæ Regem 8. Idus Iulij defunctum didicit. Hispani itemq; Græci per legatos cum illo pacem firmant. Maxima boum pestilentia hoc anno facta. Hemmingus Rex Danorum filius Godafridi cum Imperatore pacem fecit.

811. Heyto Abbas Augiæ & Episcopus Basileæ cum Hugone & Haione Comitibus Constantinopolim missus hodœporicum suum scripsit. Interim Nicephorus Imperator cum Vulgaribus pugnans occisus est. Tandem Michaël Imperator factus legatos Caroli Imperatoris remittit. Tres exercitus fausto omine, in Linones, in Pannonias, in Britones ab Imperatore mittuntur. Carolus Rex filius Imperatoris 2. Nonas Decemb. obijt.

812. Hemungo Rege mortuo, orto inter Danos & regni primatũ pręlio 10940. cecidisse feruntur. Michaël Imperator Legatis Caroli remissis, suos etiã pacẽ confirmatũ misit. Beneuentani 25000. solidorũ auri tributum Carolo persoluunt. Classis Danorũ Hyberniã inuadens à Scotis victa est.

813. Carolus Imperator Amalharium Treuirensem Archiepiscopum & Petrum * Antulanum Abbatē item Constantinopolim misit, quorum hodœporicum item scriptum habetur. Ipse Ludouicum consortem imperij, Bernhardum quoq; Pipini filium nepotem suum Italiæ Regem fecit. Quina permagna concilia Mogonciaci, Remis, Turonis, Cauillonis, Arelati pro statu Ecclesiarum fieri iussit. Pons Mogonciaci super Rhenum à Carolo structus incendio perijt. Constantiæ Egino Episcopus obijt. Post quem VVolfleoh Episcopus factus, qui Cœnobiū S. Galli 4. iam annis tenuit. Apud S. Gallum Gozbertus Abbas præfuit annis 27.

* f. Nonantulanum.

814. Carolus Imperator magnus, cùm prius thesauros suos inter 21. Archiepiscopatus regni sui cæterosq; Episcopatus & Ecclesias diuisisset, febre & pleuresi pulsatus 5. Calend. Februarij Aquisgrani obijt, ibiq; honorificè sepultus est, anno ætatis 71. regni 47. subiectæ Italiæ 44. Imperij 14. Indictione 7. pro quo filius eius Ludouicus, cognomento Pius, regnauit ann. 27. qui statim auditis & absolutis diuersarum gentium legatis, generale colloquium Aquisgrani habuit, & multa per totum regnum perperam gesta correxit.

815. Exercitus Herioldo Danorum Regi ad auxilium à Ludouico Rege missus, 40. obsides ab hostib⁹ accipit. Quidam ex Romanis primoribus, in necem Leonis Papæ coniurantes, puniuntur.

816. Sorabi itemq; VVascones rebellare molientes comprimuntur. Leone Papa 8. Calend. Iunij defuncto, Stephanus sedit mensib. 7. Qui ad Ludouicū Regem in Franciam veniens, Remis eum Imperatorem coronauit, muneribusq; & amicitia mutuo illi iunctus Romam redijt. Imperator, Synodo collecta, multa de statu & religione Cœnobiorū bene disposuit. Augiæ Basilica S. Mariæ ab Heytone Abbate & Episcopo constructa dedicata est.

817. Stephano Papa 9. Calend. Februarij defuncto, Paschalis sedit annis 7. Eclipsis solis Nonis Februarij facta, & cometa visus est. Legati Leonis Imperatoris de Constantinopoli pro pace ad Ludouicum veniunt Imperatorem. Ludouicus Imperator Lotharium primogenitum suum imperij consortem; Ludouicum, & Pipinum filios suos Baioariæ & Aquitaniæ Reges præfecit. Sclaomir Dux Abodritarum rebellat. Bernhardus Rex Italiæ rebellare molitus, cùm rebus suis desperaret, patruo Imperatori ad deditionem venit. Ratgarius Fuldensis Abbas à fratribus accusatus & conuictus deponitur.

818. Bernhardus Rex item rebellionis conuictus, iudicio Francorum excæcatus moritur, complicesq; eius diuersis modis puniti, Episcopiq; depositi sunt. Ludouicus Imperator Cismarinos Britannos rebellantes, exciso Marmanno Duce eorũ, domuit. Eclipsis solis 8. Idus Iulij facta. * Irhimgarth Imperatrix obijt 5. Non. Octob. Fuldis Eigil Abbas constituitur.

* Irmingarth.

819. Sclaomir Dux Abodritarum, exilio damnatus, & regnum eius Ceaddrogo Trasconis filio datum. Synodo Aquisgrani habita, multa de statu Ecclesiarum & Cœnobiorum tractata sunt. Imperator Iudith filiam VVelphi Comitis duxit vxorem: ex qua Carolum genuit. Pipinus filius Imperatoris VVascones rebellantes subijcit. Exercitus in Pannonias contra Luidvvidum Sclauum rebellantem, paruo effectu, mittitur. Fuldis Ecclesia S. Bonifacij ab Herstolfo Archiepiscopo dedicata est.

820. Tres exercitus contra Luidvvidum ex diuersis partibus immissi, Pannoniam magna ex parte deuastant. Bera Comes Barcinonæ, reus maiestatis, duello conuictus, exilio damnatur. Ex inundatione pluuiarum nimia, pestilentia magna & fames facta.

821. Ludovvicus Imperator regnum inter filios diuidit, exilia relaxauit, debita cunctis dimisit, possessiones in fiscum redactas restituit. Lotharius filius eius vxorem duxit. Ceadrogo Dux Abodritarum perfidiæ notato, Sclaomir exilio reuocatus, tactusq; morbo, percepto baptismate obijt.

822. In Thuringia cespes longitudine 50. pedū, latitudine 14. altitudine 18. de loco suo, 25. pedes translatus, integer inuenitur. In Orientali Saxonia nocte quadam iuxta lacum Artisco, tellus per spatium leugę vnius in modum aggeris intumuit. Ludovvicus Imperator de publicis peccatis suis publicam pœnitentiam egit, & quæque in regno suo corrigenda correxit. Lotharius in Italiam, Pipinus, ducta vxore, in Aquitaniam Reges missi sunt. Fuldis Eigil Abbas obijt: Cui Rabanus vir doctus & diuinourm librorum tractator egregius successit. Augiæ Heytone Abbate & Episcopo, priuatam & quietam vitam adoptante, Erlebaldus Abbas XIII. præfuit annis 13. Ebo Remorū Archiepiscopus genti Nordmannorum verbum Dei prædicat.

823. Lotharius Rex Italiæ, rogante Papa Paschali, Imperator ab eo Romę coronatur. Luidvvidus Pannoniæ tyrannus in Dalmatiam transfugiens, dolo Ducis prouinciæ peremptus est. Inter alia prodigia, terræ motus Aquense Palatium concussit. In territorio Tullensi puella quædam duodennis triennio ferè sine cibo & potu sana & manibus suis laborans permansit. In pago Saxoniæ Firichsazn 23. villæ & in alijs prouincijs vltra solitum plures fulmine crematæ: fulgura crebro sereno cęlo cecidere, agri pręter solitum multi grandine vastati, veris inter ipsam & magnis lapidibus, quibusdam in locis, decidentibus. pestilentia quoq; ingens facta.

824. Rex Vulgarorum Omartag pro pace ad Imperatorem Ludovvicum misit. Romæ Eugenius Papa post Paschalem sedit annis 3. Hyems præter solitum frigida & prolixa.

In ter-

In territorio Auguſtudunenſi glacies de aëre cecidiſſe dicitur 15. pedum longa, 7. lata, 2. groſſa. Ludouicus Imperator filium ſuum Lotharium pro quibuſdam corrigendis Romam miſit. Ipſe rebellantem Britanniam ferro & igne vaſtans domuit. Augiæ VVetinus monachus è corpore ductus & reductus, poſt triduum obijt: cuius viſiones Heyto Epiſcopus proſa, & VValachfridus heroico metro ſcripſit.

825. Item Rex Vulgarorum legatos pro terminis regnorum dirimendis Imperatori mittit. VViomarcus Britto Francorum terminos infeſtans, à militibus Lantperti Comitis in domo propria peremptus eſt. Imperator cum filijs Godafridi pacem fecit.

826. Item Vulgarorum Rex legatos inſolētius pro terminis ſine mora ſtatuendis Imperatori mittit: quos Imperator negligentius remiſit. Herioldus Rex Danorū cum vxore & filijs & magna ſuorum multitudine Mogontiaci baptiſatus eſt. Georgius quidam * pr Veneticus organum Ydraulicum Aquiſgrani fecit. Aizo Gothus de palatio ad Saracenos ſe conferens rebellare tentauit. Hildovvinus de ſancto Dionyſio Abbas, ab Eugenio Papa oſſa beati Martyris Sebaſtiani impetrauit, quę Sueſſionis in Baſilica ſancti Medardi locata varijs & innumeris refulſere miraculis.

827. Exercitus Saracenorum Aizoni ad auxilium miſſus, Pipino Rege tardius reſiſtente, territoriū Barcinonenſium & Gerundenſium vaſtauit. Vulgari turbata pace Pannoniam per Drauum fluuium nauibus inuadunt, vaſtant, ſibiq; ſubijciunt. Corpora Sanctorum Martyrum Marcellini & Petri in Franciam tranſlata ſunt, menſe Nouembri. Romę poſt Eugenium Valentinus Papa ſedit diebus 40. & poſt hunc Gregorius IV. Papa ſedit annis 16.

828. Reliquiæ ſancti Marcellini Aquiſgrani allatæ, plurimis glorificantur miraculis. Imperator Lotharium filium ad

terminos Hispaniæ contra Saracenos, Ludouicum verò contra Vulgaros in Pannonias cum exercitu misit. Rupto incautè pacto cum Nordmannis fœdere, castra nostrorum ab ipsis direpta sunt.

829. Aquisgrani terræmotus Sabbato sancto Paschæ factus. Generalis conuentus mense Augusto VVormaciæ ab Imperatore habitus. Vulgari item nauibus per Drauum inuecti, Pannoniam vastant. Lotharius filius Imperatoris in Italiam proficiscitur. Bernhardus Comes Barcinonensis Camerarius Imperatoris contra voluntatem Francorum factus.

830. Dissensio Principum contra Imperatorem propter Bernhardum mota; ipsa eo pulso ad tempus modicum, sedatur. Corpus sancti Marci Euangelistæ, sub nomine Valentis Martyris Ratholdus Veronensis Episcopus à Duce Venetiæ impetrauit, & cum corpore Genesij martyris in Augiam insulam attulit. Basilica sancti Galli à Gozberto Abbate incepta.

831. Imperator conuentu Nouiomagi habito, omnes, qui sibi contrarij fuerant, honoribus priuauit, quosdam etiam prędijs spoliauit, quosdam exilio relegauit; animosq; tàm filiorum quàm cæterorum contra se & Iudith vxorem suam grauiter irritauit.

832. Imperator contra filium Ludouicum cum exercitu Augustam Vindelicã venit: quo resistente, contra alterum filium Pipinum ad Aquitaniam se conuertit, eumq; regno priuauit: sed inde rediens, timore filiorum, vxore abdicata, difficulter Aquense palatium repetijt. Eclipsis solis 2. nonas Maij, & Lunæ 13. Calend. Iunij facta.

833. Imperator recepta vxore, contra filios ad se venire volentes, collecto exercitu, in Alsaciam arma mouit; ibi veniente cum filijs Gregorio Papa, Imperator à suis proditus

ditus ac derelictus in filiorum suorum potestatem deuenit.

834. Imperator iudicio Episcoporum, armis depositis, ad agendam pœnitentiam includitur, & vxor eius in Italiam relegatur: sed mox æstate, recepta vxore & armis, Lotharium filium in Italiam repulit. Eodem anno pugna contra Machstedum & Lantpertum facta, in qua inter alios plures cecidit Odo comes Aurelianensis & Theodo Abbas Turonensis.

835. Imperator cum filijs Pipino & Ludouico Lugduni magnum habuit conuentum. Nordmanni Dorestatum vastant. Basilica S. Galli dedicata est.

836. Imperator conuentum apud Theodenhoue palatium habuit: ad quem Lotharius filius eius graui morbo detritus venire non potuit. Nordmanni Andovverpam vrbem, & in ostijs Mosæ situm VVitlam emporium incendunt, & à Fresonibus tributum accipiunt. Augiæ Heyto Episcopus obijt & sepelitur.

837. Ticinum 3. Calend. Ianuarij octies noctu tremuisse dicitur. Multi Principum Italiæ morbo absumpti. Cometa in signo libræ visus. Nordmanni in VValcra insula, cōmissa pugna 15. Calend. Iunij multos interimunt: Itemq; Dorestatum vastantes tributum à Fresonibus accipiunt.

838. Terræ motus 15. Calend. Februarij vesperæ factus. Naues contra Nordmannos ædificatæ. Imperator optimam partem regni filio iuniori Carolo dedit. Lotharius & Ludovvicus fratres in Tridentina valle inter se colloquium habuere. Imperator habito Nouiomagi conuentu, consilio quorundam, Ludovvico filio regnum Orientalium Francorum, quod ab eo acceperat, interdixit. Quod ille inuidia prauorum factum sciens, cùm idem regnum inuasisset, Imperator collecto exercitu, eum expellere statuit. Pipinus Rex Aquitaniæ filius Imperatoris mense

Nouem-

Nouembris obijt. Apud sanctum Gallum Gozberto Abbati Pertivvicus successit. Augiæ Erlebaldo Abbate cedente Rddhelm Abbas XI. præfuit annis 4.

839. Ludovvicus Patri Imperatori cedendum ratus, in Baioariam redijt. Imperator celebrato iuxta Brigantinum lacum Pascha, postea habito VVormaciæ conuentu, Lothario de Italia venienti reconciliatur, ipsiq; & Carolo filio regnum partitur, Baioaria tantum Ludouico, qui eum offenderat, relicta. Lotharioq; Italiam repetente, ipse cum filio Carolo ad disponendam proficiscitur Aquitaniã. Cometa in signo Arietis, cælum instar sanguinis rubeum, igniculiq; per aëra discurrere visi.

840. Ludovvicus se priuatum dolens, multis sibi adunatis per Alamanniam, quasi debitum repetens regnum, Francofurt venit. contra quem pater Imperator Ludovvicus relicta Aquitania copias colligit, eumq; per Thuringiã ad barbaros pulsum per Sclauorum gentes laboriosè Baioariam repetere coëgit. Ager quasi sanguis coagulatus in Paschæ tempore rubeus apparuit. Eclipsis solis 7. Idus Maij post sextam diei horam facta. Imperator Ludouicus morbo correptus, & in quandam Rheni insulam prope Ingeleheim designato in imperium Lothario filio 12. Calend. Iulij obijt, & Mettis in Ecclesia sancti Arnolfi sepultus est. Lotharius de Italia rediens, regnum accepit: quod fratribus eius Ludouico & Carolo non ferentibus, primus ei Ludovvicus cum copijs Orientalium Francorum Moguntiaci occurrit; vixq; pugna dilata; cùm Lotharius contra Carolum Gallias peteret, Ludovvicus sibi Francos Orientales, Saxones, Thuringios, Alamannos, Baioariosq; confœderat.

841. Ludovvicus cùm Orientalem Rheni ripam præsidijs occupasset; Lothario, omissa Caroli insecutione, redeunte, & mense Aprili iuxta VVormaciam clam Renũ cum exer-

citu

citu transeunte, à quibusdam suis pene proditus & à fratre circumuentus, in Baioariam redire compulsus est: Lothariusq; relicta ad præsidium Rheni copiarum parte, ad persequendum redijt Carolum. Interim Ludovvicus ad auxilium Caroli per nuncios reuocatus, occurrentibus in Retiensi territorio relictis Lotharij copijs, 3. Idus Maij pugna conflixit, & Adalbertum Comitem cum multis alijs victor prostrauit. Inde transito Rheno adunatis cum fratre Carolo copijs, cùm, Lothario monarchiam appetente, de partitione regni concordare non possent, iuxta Fontinatam villam 7. Calend. Iulij acie confligunt, & inumera strage commissa Ludovvicus & Carolus castris potiti sunt: Lotharius verò fugiens Aquense palatium petit, & recollectis vndiq; copijs digressos à se inuicem fratres, primo Ludouicū autumno, & hyeme Carolū in Gallijs frustra persequi laborauit. Cometa in signo Aquarij 8. Calend. Ianuarij visus. Grimaldus Archicapellanus Ludouici cœnobium sancti Galli beneficij loco ab eo accipiens tenuit annis 31.

842. Visa fratris pertinacia Ludouicus & Carolus copijs collectis, apud Argenturacum conueniunt, eumq; persequi statuunt, & apud Sentiacam villam, Viuētum, cùm à suis desereretur, 17. Calend. Aprilis fugere compellunt, regnumq; eis cis Alpes inter se dispertiunt, qui rursum collecto exercitu apud Madasconam Galliȩ vrbem eos expectat; tandemq; cum cunctis pacem quàm bellum malentibus ter quadragenis proceribus regnum in tria partiendum die statuta mandant. Ludouicus in Saxonia coniurationem libertorum contra dominos auctoribus capite plexis compescuit. Cum legati statuta die concordare non possent, partitio in aliud tempus differtur. Augiæ VValachfridus Strabo vir doctus Abbas 12. præfuit annis 7. qui multa ingenij sui monumenta prosa & metro reliquit.

843. Descripto regno & in tria diuiso; fratribusq; Viridũ conuenientibus; Lotharius cum Imperatoris nomine Italiam & Galliam Belgicam, quæ nunc vsq;abeo regnum Lotharij dicitur; Ludouicus Germaniam,Pannonias, Noricum & Alamanniam; Carolus reliquas Galliarum prouincias accipiunt: firmataq; sacramento pace digressi sunt. Carolus Aquitaniam Pipino fratris sui Pipini filio auferre moliens, eumq; infestans, plurima proprij exercitus damna pertulit. Iudith Imperatrix obijt. Romæ Gregorio Papa defuncto, Sergius II. sedit annos tres. Mauri Beneuentum occupant.

844. Carolus Rex Galliarum Bernhardum Barcinonensem Ducem nihil mali suspicantem occidit. Exercitus eiusdem à Pipini Ducibus pugna victus est 7. Idus Iunij,cecidítque cum multis alijs nobilibus Raban signifer eius, & Hugo, Richpotoq; Abbates.Ludouicus Rex Germaniæ, Abodrites defectionem molientes, occiso Rege eorum, bello perdomuit,& per Duces disposuit.Rabanus Fuldẽsis Abbas librum, quem de laude sanctæ Crucis varijs figuris metroq; composuit, Sergio Papæ transmisit. Remis post Ebonem Hincmarus vir doctus Archiepiscopus ordinatur.

845. Nordmanni regnum Caroli vastantes Parisios vsq; per Sequanam nauigio veniunt, acceptaque ab eo magna pro pace pecunia discedunt. Item in Fresia semel victi, & bis victores, magnas hominum strages faciunt. Item in Saxonia Hemmẽburg populati, non multi redeunt. Carolus Rex inita cum Brittonibus pugna,pluribus amissis,vix cum paucis effugit. Ludouicus Rex quatuordecim ex Ducibus Boëmanis ad fidem conuersos baptisari fecit. Lotharius Imperator Burgondiones rebellare molientes ad deditionem coëgit.

846. Gisalbertus Caroli miles filiam Lotharij Imperatoris

toris vi rapuit; vnde iratus Lotharius cum Carolo, licet Ludouico satagente, pacificari noluit. Ludovvigcus Marahensibus Sclauis compressis, Rastizen Ducem constituit, & per Boëmiam cum graui damno exercitus rediјt. Mauri cùm Romam petentes, vrbem ipsam capere non possent, Ecclesiam S. Petri vastant. Romę Leo IV. sedit annis 8. mensib. 3. qui castrum, quod Leoniantum vocatur, ad Ecclesiam S. Petri communiendam construxit.

847. Lotharius & Ludouicus se vicissim inuitantes mutuo conuiuijs regijs muneribusq; fruuntur. Nordmanni iterum Dorestatum incendunt. Mogontiæ Otgarius Archiepiscopus obijt: pro quo Rabanus Fuldensis Abbas doctissimus Archipræsul sedit annis 9. Qui mox Ludouico iubente, Synodum magnam Mogontiaci collegit: vbi inter alia Thiota Pheudoprophetissa, ex Salamonis Constantiensis Episcopi parochia, correpta, & publicè flagellis cæsa, tandem à vaticinijs quæstum quærentibus obticuit.

848. Ludovvicus Rex misso filio Ludovvico Boëmanos compressit & obsides dare compulit. Gotescalcus quidam presbyter quosdam homines ad vitã, quosdam ad mortem ineuitabiliter adeo prędestinatos dogmatisans, in conuentu Episcoporũ Mogontiaci conuictus de regno Ludouici pellitur, & Remis ad Hincmarum Episcopum suum mittitur.

849. Exercitus à Ludouico Rege contra Boëmanos item rebellantes missus cùm pactum & obsides hostium petentium pacẽ contempsissent, turpiter ab ipsis cæsus & spoliatus, obsides dedit, & cum dedecore redijt. Terræ motus factus est Augiæ. VValachfridus Abbas Strabo obijt: pro quo Folcvvinus XIII. præfuit annis 9.

850. Nordmanni Godefrido Duce per Sequanam ascendentes regnum Caroli vastant: Contra quos Lotharius Imperator in auxiliũ euocatus, cùm se pugnaturũ cum hostibus

 crederet,

crederet, Carolus timore perculsus Gothefridum cum suis in societatem regni assumit, eisq; terram ad inhabitandum dedit. Fames magna Germaniam & maximè circa Rhenum oppressit. Et Rabanus Episcop⁹ multos pauperes aluit.

851. Ludouicus Rex Sorabos, terminos Francorum infestantes, vastata regione eorum, perdomuit. Pipinus Rex comprehensus à suis, à patruo Carolo traditus, & ab eo tonsus Suessionis in Monasterium sancti Medardi retrusus est. Similiter & Carolus frater eius iunior, cum ad ipsum proficisci vellet, à Comitibus Caroli eiusdem captus, eoq; iubente tonsus in Corbeiense Cœnobium custodiæ traditus est.

852. Magna Synodus & generalis conuentus Mogontiaci à Rabano Archiepiscopo & Ludouico Rege habita, multaq; correcta sunt. Herioldus Nordmannus diu bene à Ludouico tractatus, suspicione proditionis à quibusdam Francis punitur. Translatio sancti Remigij Remorum Archiepiscopi ab Hincmaro eiusdem vrbis Archiepiscopo Calendis Octob. facta.

853. Nordmanni per Ligerim ascendentes & Gallias vastantes, Basilicam quoq; sancti Martini Turonis incendunt. Aquitani Caroli iniurias questi, Ludouicum, vt super se regnet, vel filium Regem donet, solicitant.

854. Ludouicus æquiuocum filium Aquitaniam mittens, instabiles eorum animos deprehendens contempsit. Nordmanni ex diuersis, quas iam per viginti annos vastabant, regionibus collecti vulgus innumerum totumq; genus regium vsq; ad vnum puerum mutua cæde mactauerunt.

855. Apud Mogontiacum terra vicies tremuisse fertur. Insoliti aëris turbines & grandines, fulgura & tonitrua facta. Ecclesia sancti Kiliani fulmine cremata Nonis Iunij, postea muri turbine diruti sunt. Gozpaldus ipsius vrbis Episcopus obijt: Cui Arnus successit. Ludouicus Rex Rastizen Ducem Marahensium Sclauorum petens, vastata

ex parte regione, subiugare nequiuit: quo reuerso Marahẽses secuti contigua trans Danubium loca vastant. Lotharius Imperator relicto mundo, diuisoq; inter filios regno, monachum se Prumiæ fecit, & non multo post 3. Calend. Octob. ad regnum cæleste migrauit. Post quem filius eius Ludouicus Imperator Italiã, & Lotharius Cisalpinas partes regni tenuere. Igniculi crebri instar spiculorum ab Oriente in Occidentem per aëra ferri 16. Calend. Nouemb. per totam noctem visi.

856. Rabano Mogõtiensi Archiepiscopo II. Non. Februarij defuncto, Carolus Pipini Regis Aquitaniæ filius, qui è custodia Corbeiensis Cœnobij ad patruum Ludouicum transfugerat, Archiepiscopus ab ipso promotus, præfuit annis 8. Hildigart Regina obijt. Fuldis Hatto Abbas obijt, Thietoq; successit. Ludouicus Rex per Sorabos transiens, auxiliaq; inde assumens, Dalmatas bello victos tributarios facit, & Boëmanos nonnullos eorum in deditionem accipiens redijt. Romæ Leone defuncto, Benedictus Papa sedit annis duobus mensibus 6.

857. Exercitus item à Ludouico Rege in Boëmiam missus Sclauitam tyrannum in Marahenses pepulit. Synodus à Carolo Mogontiæ Archiepiscopo collecta. Tempestas valde terribilis Coloniæ 7. Calend. Octob. facta, & fulmen instar ignei draconis Ecclesiam S. Petri penetrans, tres homines diuersis in locis extinxit, plures prostrauit. Terræ motus magnus Calend. Ianuarij factus est.

858. Lotharius Rex filius Lotharij Imperatoris contra Ludouicum Regem patruum suum cum Carolo Rege alio patruo suo coniurauit. Ludouicus Rex legatione populi, de tyrannide Caroli flebilia conquesti, solicitatus, diu cunctabundus, Gallias tandem cum exercitu intrat; cunctisq; pene ad eum conuersis, Carolus fugit: ipse plus æquo securus, pro-

prio exercitu remisso, regnum illud, prout voluit, disposuit. Sed fraus quorundam fratrisq; Caroli versutia incautũ ibi circumuenisset, nisi fama rebellantium Soraborum proprio auxiliatum regno maturius eum reuocasset; quo redeunte Carolus regnũ suum recepit. Augię Folcvvino Abbati V Valtheri XIV. successit annis 6. Villã quandã iuxta Mogontiam & Renum, Cammunti vocatã, nequã spiritus primò inuisibiliter responsa dando, furta prodendo, deinde etiã lapidibus iactis & domorũ incendijs homines persequendo per triennium infestans, vastam reddit. Romæ post Benedictum Nicolaus Papa sedit annis 9.

859. Ludouicus Rex frequentibus missis legatis cum fratre Carolo & Lothario Rege fratruele pacificari satagens, tandem cum denominatis viris ad secretum cum eis colloquium veniens, diem pacificationis condixit. Legatos etiam Nicolao Papæ & Ludovvico Imperatori fratrueli suo se de inuaso fratris regno excusatum misit. Crebri terræ motus Moguntiacum concutiunt; ibiq; Probus presbyter religiosus & sanctus obijt 7. Calend. Iulij.

860. Hyems nimis sæua & prolixa terræq; frugibus noxia facta est; adeo vt & Ionium mare glaciatũ vsq; Venetiam equis & carpentis se meabile prębuerit. Ludouic⁹ & Carolus Lothariusq; Reges in Confluente castro conuenientes, pacificantur, mutuum sacramento pactum confirmantes.

861. Ludouicus Rex habito Ratisbonę conuentu, aliquot primates suos infidelitatis accusatos deposuit. Item contra maiorem filium suum Carolomannum Carantani Ducem, quasi nouas res contra se molientem, iratus est. Fames validissima hoc anno facta. Meginradus Augiæ monachus & primus incola eremi, quæ Turicino adiacet lacui, à quibusdam latronibus inibi 12. Calend. Februarij peremptus, post mortẽ virtutibus claruit, Augięq; sepultus est; à quo vsq; hodie

Sanctus Meginradus.

die eremus ipsa à sanctis & religiosis culta viris, in nobile & famosum iam dudum excreuit Cœnobium.

862. Lotharius Rex fauentibus Archiepiscopis, Gunthario Coloniensi, Theodgaudo Treuirensi, repudiata Tiothpirga vxore legitima, VValdradam concubinam sibi coniunxit, Synodo ad hoc quasi iure machinandum Mettis collecta. Carolomannus obiecta excusans cum patre pacificatur. Ludouicus Rex Abodritos rebellantes petens, obsides dare coëgit.

863. Carolomannus item apud patrem adeò innocens accusatus est, vt patrem contra se venientem, à suis proditus & ducatu priuatus, vix innocentiam probans placauerit. Synodus coram Arsenio legato Nicolai Papę Mettis habita, & Gunthari⁹ Theotgaudusq; Archiepiscopus, pro roboranda, quam machinati sunt, Lotharij Regis causa, Romam missi; Synodo Romæ à Nicolao Papa collecta, ab ordine depositi, & cum Synodo sua anathematizati; Lothariusq; Rex, nisi resipisceret, excommunicatus est. Moguntiæ Carolo Archiepiscopo defuncto Luitpertus successit. Nonnulli ex Hunnis Christiani effecti sunt.

864. Guntharius Coloniensis, qui contumeliose Domno Papę rescripserat, & contra interdictū eius officiū Episcopale vsurpauerat, pœnitentia ductus Romam ad eum venit; sed minimè reconciliari meruit. Ludouicus Rex Germanię Rastizen Marahensiū Ducem petens & apud Dovvinā castrum obsidēs, iussos obsides dare & in iusiurandū subiectionis iterare coartat. Ipse item Ludouicus & frater eius Carolus Rex Galliarū conuenientes, debita sibi inuicē relaxant, & fœdus pactumq; innouant & cōfirmant. Augię post VValdharium Abbatem Heyto XV. pręfuit annis 7. Translatio S. Othmari in Basilicam S. Galli.

865. Riddosus Fuldensis presbyter & monachus, doctor, poëta, & historicus satis doctus 8. Idus Maij obijt. Arsenius Episco-

Episcopus, Domni Papæ Nicolai legatus, pacem inter Ludouicum Regem & fratruelem eius Ludouicum Italiæ Imperatorem reintegrauit. Ipsiq; Lothario fidem connubij per sacramenta 12. Principum suorum pollicenti Thiotpirgam coniugem reconciliatam reddidit: VValdradam concubinam in Italiam relegauit; multisq; apud Carolum per Gallias dispositis, honoratus à Regibus & donatus Romam redijt.

866. Ludouicus iunior propter quędam beneficia sua, fratri Carolomaño data, patri Ludouico Regi rebellare multo studio molitus, & facile victus, tandem Luitperto Archiepiscopo mediante, patri reconciliatus est. Gundpaldus miles Carolomanni contra ipsum pugnare ausus, amissis copijs victus vix aufugit. Vulgari missis à Nicolao Papa & Ludouico Rege prædicatoribus, fidem Christi suscipiunt.

867. Lotharius Rex promissis suis Principumque sacramentis posthabitis, coniugem Thiotpirgam denuo iniurians, VValdradæ reuocatæ clam se miscuit. Vnde motus Papa Nicolaus, missis ad diuersos literis, cùm cunctis illum cõplicibus suis excõmunicauit. Rudpertus fortissimus de regno Caroli Comes, alter sui tẽporis Machabeus, qui Nordmannos & Brittones magnis sæpe protriuerat prælijs, apud Ligerim fluuium, cum Nordmannis fortiter dimicans, occubuit. Terræ motus magnus septimo Idus Octob. factus.

868. Synodus magna VVormaciæ coram Ludouico Rege collecta est, & multa inibi pro statu Ecclesiæ decreta. Mense Maio Romæ defuncto Papa Nicolao Adrianus secundus sedit annis 5. ad quem cum Lotharius Rex venisset, & frustra opitulante fratre Ludouico Imperatore, pro VValdradæ matrimonio fategisset, nihil profuit. Cometa visus, inundatio & illuuio magna facta, famesq; & pestilentia ingens secuta est.

869. Boë

869. Boëmani Baioariæ fines infestant. Sorabi & Suisli itemq; Boëmani Turingiam vastant. Carolomannus bis numero copijs Rastizi pugna congressus vicit & prædas ingentes abduxit, Gundacrumq; periurum refugam suum diuinitus in pugna debilitatum inibi occidit. Lotharius Rex cum complicibus suis se apud Adrianum Papam de illatis criminibus excusans, & corpus Domini temerariè ab eo accipiens, domumq; rediens, mense Iulio Placentiæ perijt, fautoresq; sceleris pene omnes interiere: regnumq; eius patruus Carolus inuadens Mettis se coronari Imperatoremq; iussit appellari. Interim Ludouicus Rex vsq; ad desperationem Ratisbonæ ægrotans thesaurosq; suos Ecclesijs pauperibusq; dispensans tres filios suos cum totidem exercitibus contra diuersos miserat hostes. E quibus Carolus cæteris iunior cunctis Rastizi munitionibus captis, totam Marahensem regionem ferro, igne, prædaq; vastauit. Carolomannus regnum Zvventibaldi nepotis Rastizi nihilominus depopulatur. Ludouicus verò Sorabos & eorum complices bis pugna victos ad deditionem compulit. Fames valida & pestilentia facta.

870. Ludouicus Rex ex infirmitate conualescens multos ex regno Lotharij ad se venientes suscepit, postea ad colloquium obuiam fratri Carolo venturus de solario quodam cum multis aliis, cadente ædificio, corruit, & grauiter colliso corpore costisq; confractis, dissimulato tamen dolore, crastino ad condictum venit, & cum fratre regnum Lotharij æqualiter diuisit. Zvventibaldus cum regno suo Carolomanno se tradidit: vnde Rastiz iratus prius eum dolo perimere, & hoc non procedente, manifestè eum persequi statuit. Ille verò superior factus Rastizen victum comprehendit, & Carolomanno vinctũ tradidit: à quo peruaso regno, & Gazissius in carcerem missus, & Ludouico Regi exhibitus iudi-

Zzz cioq;

cioq; Francorum morti addictus, luminibus tandem oculorum priuari iussus est. Ipso anno VVillipertus Agrippinæ Coloniæ Archiepiscopus à Luitperto Moguntiensi ordinatus; Synodusq; magna Coloniæ collecta, & multa pro statu Ecclesiæ decreta: & Ecclesia sancti Petri dedicata est. Inter alia prodigia terræ motus facti sunt, & duæ rutilæ nubes quasi ignea inter se tela emittentes, se instar pugnantium commiscere visæ.

871. Ludouicus & Carolus propter quędam beneficia sua Carolomanno fratri donata, contra patrem Ludouicum rebellare molientes, vix tandem ab eo placari pacariq; consentiunt. Zvventebald perfidiæ incusatus à Carolomanno in custodiam mittitur: Sed crimine non probato relaxatus ab eo & muneribus donatus, exercitusq; ei auxilio contra Slagamarum presbyterum, quem Marahenses inuitum pro ipso Ducem fecerant, missus est. Qui dolose rediens & se in ciuitatem recipiens, ipsum auxiliatorem exercitum dolo circumuentum, paucis fuga elapsis vel comprehensis, prorsus deleuit. Boëmienses eruptionem molientes oppositis prædijs reprimuntur. Constantię Salomon Episcopus obijt, cui Pateon successit; præfuit annis 3. Augiæ Heytoni Abbati Rudho XVI. præfuit annis 17. Apud S. Gallum Yso magister obijt.

872. Basilius Imperator Græcorum inter alia munera crystallum grandem cum portione Dominicæ Crucis non modica, auro & gemmis pretiosis ornatam Ludouico Regi misit. Ludouicus pacificatur secum & inter se filijs regni post se partitionem disposuit. Exercitus contra Marahenses missus cùm sine Duce sibi dissentiret, ab hostibus victus, cæsus, & ludibrio habitus turpiter aufugit. Luitpertus Archiepiscopus cum exercitu in Boëmanos missus 5. Duces eorum pugna vicit, & regionem ex parte vastauit. Carolomannus

Marahenses vastat, sed custodes nauium eius ab hostibus trucidati sunt, Embricone Ratisponę Episcopo vix fuga elapso. Aestas pene tota fulminibus, tonitruis, grandinibusque horrida homines multos frugesq; pessum dedit. VVormaciç Ecclesia sancti Petri fulmine incensa & diruta est. Terræ motus magnus 3. Non. Decemb. factus Moguntiacum diruit. Apud sanctum Gallum defuncto Grimaldo Hartmout Abbas præfuit annis duodecim.

873. In conuentu à Ludouico apud Franconofurt hàbito, Carolus filius eius arreptus à dæmone grauiter vexatur. Carolus Galliarum Rex Carolomannum Diaconum suum filium, tyrannidem exercentem, excæcari iussit. Pax cum Danis petentibus à Ludouico firmatur. Nordmanni Fresiam superbe classe petentes & tributum exigentes, pugna victi & Duce Ruddolfo cum 800. amisso & cuncta pecunia mulctati turpiter redierunt. Fames magna facta. Tanta multitudo inauditæ magnitudinis locustarum ab oriente gregatim more exercituum vehiculas has pertransijt regiones, vt per duos continuos menses sępe radios solis per vnius spatium milliarij volitantes obnubilarent, & in vna hora, quicquid in centum vel amplius iugeribus viride inuenerant, depascerentur, & postea in mare vento actæ, & fluctu reiectæ, fœtore, corrupto aëre, non modicam gignerent pestilentiam. In pago Italiæ Brixiensi sanguis tribus noctibus pluisse fertur. Item Græci missis per Agathonem Archiepiscopum muneribus, amicitiam cū Ludouico Rege confirmant. Romæ defuncto Adriano Ioannes Papa sedit annis 10.

874. Hyems valde prolixa, sequa & niuosa multos homines & iumēta frigore extinxit. Sorabi & Suisli defectionem molientes à Luitperto Archiepiscopo facile comprimuntur. Ludouicus Rex in Quadragesima visione monitus multas pro liberatione animæ patris sui Ludouici Imperatoris

eleemosynas & orationes patrauit. Idem in Italiam veniens cum Ioanne Papa & Ludouico Imperatore fratris sui filio colloquium habuit. Idem cum Zuentibaldo Duce Morahensium subiectionem per legatos promittente, & fidem censumq; annuum pollicente, pacem fecit, Boëmanosque idem facientes suscepit. Idem cum fratre Carolo colloquium habuit. Fames magna & pestilentia per Gallias & Germanias facta: tertia ferè pars hominum interiit. Ratholfus Veronensis Episcopus obiit, qui sui nominis cellam iuxta Augiensem Insulam construxit. Hemma Regina paralysi dissoluta est.

Ad oram erat: Ratolfszell.

875. Inter Francos & Saxones seditio pæne vsq; ad cædem mutuam mota, à Ludouico sedata est. Cometa plus solito scintillans 8. Idus Iunij visus. Villa quædam in pago Nitensi, Ascabrunno dicta, nocte 5. Non. Iulij, subita tempestate 88. hominibus extinctis ita absumpta & deleta est, vt nec vestigium eius remaneret. Ludouicus Italiæ Imperator defunctus, Mediolani in Basilica sancti Ambrosij sepultus est, anno regni 20. Cuius thesauros & regnum patruus eius Carolus Rex Galliarum quasi sibi soli debitum inuasit ac diripuit: vnde motus frater eius Ludouicus Rex Germaniæ filiũ suum Carolomannũ contra eum in Italiam misit, ipseq; cum Æquiuoco Gallias regnum eius inuasit: Carolus verò congredi bello timens dolis & pecunijs mendacijsq; Carolomannum de Italia abegit, seq; discessurum & fratrem Ludouicum de regni illius diuisione expectaturum iurans: quo credulo & reuerso ipse Romam tendens conciliatisq; sibi dolo & pecunijs, Romanis, Imperatorem se à Ioanne Papa coronari fecit, Italiamq;, vti voluit, quasi suam disposuit.

876. Ludouicus Rex precibus populi annuens, de Gallijs, ne eas vastaret, redijt. Hemma Regina Ratisbonæ obijt,

 & in

& in Basilica sancti Emerammi sepulta est. Fresones item Nordmannis pugna victis, plurima spolia diripuere. Carolus Imperator fraudulenter de Italia Gallias repetens, noua habitus, actuum, & virorum vanitate, iactantia, & leuitate vsus, Ludouico fratri procaciter & stultè minitabatur: sed Ludouico exercitum colligente perterritus, crebros & supplices pro pace petenda legatos ad eum mittebat. Interim ipse Ludouicus Rex fortis & religiosus, morbo tactus, apud Franconofurt 5. Calend. Septemb. vita decessit, anno regni 36. & apud Laureshaim Cœnobium sepultus est. regnumq; eius tres filij, Carolomannus Baioariam, Ludouicus Germaniam, Carolus Alamanniam, singuli cum adiacentibus prouincijs accepere, pacemq; inter se sacramento firmauere. Sed Carolus Galliarum tyrannus, comperta fratris morte, gauisus statim collecto exercitu regnum eius Rheno contiguum inuasit: Quem cum Ludouicus iunior per legatos redire pacemq; seruare frustra postulasset, eumque sibi dolo insidias struere cõperisset, transito Rheno 8. Idus Octobris in Ribuaria bello inito vicit, multisq; occisis & comprehensis, illum pæne nudum cum paucis turpiter fugere compulit & castra eius cum innumeris spolijs diripuit.

877. Linones & Suifli eorumque confines defectionem molientes à Ludouici missis facile compressi sunt. Carolus Galliarum Imperator tyrannicus, æstate item Italiam ingressus, cum Carolomãnnum quoq; fratris sui filium, se inuito, transcensis Alpibus, pugna secum cõgredi velle cognouisset, fugam more suo inijt, & inter fugiendum dysenteria correptus perijt, anno regni 37. & in Burgondia Agauni sepultus est, post quem filius eius Ludouicus Balbus regnum Galliarum accepit; & apud patrueles de omnibus patris iniurijs per legatos se excusans, pacem cum eis fecit. Carolomannus verò disposita, prout voluit, Italia, in Baioariam re-

didit. Febris Italica, tussis, & dolor oculorum, & pestilentiæ multos grauiter vexauit & extinxit.

878. Ludouicus Rex Germaniæ cum fratre Carolo regnum Lotharij diuisit. Lantpertus & Adalpertus Comites Romam cum manu valida petentes, Ioanne Papa sub custodia retento, principes Romanorum fidem Carolomanno sacramento firmare coëgerunt. Vnde idem Papa commotus Ecclesiam S. Petri, omnibus thesauris Lateranis translatis, clausit diuinaq; inibi officia celebrare prohibuit, ipseq; per mare Tyrrhenum Gallias adiens totum pęne inibi moratus est annum: deinde sumpto secum Bosone quodam, qui propria vxore veneno necata, filiam Ludouici Italię Imperatoris vi rapuerat, quemq; Carolus prouinciæ præfecerat, Romam redijt, ipsiq; regnum Italiæ subijcere & Carolomanno auferre studuit. Eclipsis solis 7. Calend. Nouemb. post nonam horam facta: magnaq; hominum & boum pestilentia.

879. Carolomannus Rex Baioariæ paralysi dissolutus vsum loquendi amisit: ad quem Ludouicus frater visendum veniens, regnum Baioarię disposuit. Ludouicus Balbus filius Caroli, Rex Galliarum 3. Idus Aprilis Compendij obijt, ibiq; sepelitur. Carolo filio posthumo relicto, duobusq; alijs non legitima coniuge natis, Ludouico scilicet & Carolomanno in regnū illi succedentibus, quo mortuo Ludouic⁹ Rex Germanię statim contiguā sibi Galliam Belgicā petit, indeq; rursum in Baioariā à quibusdā vocat⁹, quę videbantur disposuit, fratremq; Carolomannū ægrotum, scripto ei res suas (quia lingua nō potuit) commendantē inuisit, eiq; ministraturos principes nonnullos deputauit. Itemq; missis copijs Hugonem Lotharij Regis & VValdradæ filium in Gallia Belgica tyrannidem exercentem cum suis compressit. Boso Burgondia inuasa tyrannidem exercet.

880. Hy-

880. Hyems prolixa & nimis frigida facta. Ludouicus Rex Germaniæ in Gallias veniens, & filios Ludouici Balbi ad se venientes suscipiens, pacem cum eis fecit, totumq; Lotharij regnum sibi subijcit. Ipse inito cum Nordmannis, qui in Scilta fluuio residebant, prælio, plus quàm quinq; millia ex eis occidit, ibiq; Hugo ex concubina filius eius cecidit. Item Nordmanni inita cum Saxonibus pugna, victores, duos Episcopos, 12. Comites, 18. regios milites cum secuta magna multitudine peremerunt & captiuos multos duxerunt. Sorabi, Dalmatæ, & Boëmani, Sclaui, collecto exercitu Thuringiã iuxta fluuium Salam populati à Popone Marchione circumuenti, omnes perempti sunt. Carolomannus Rex Baioariæ fortis, prudens, & pius 11. Calend. Aprilis apud villã Ottingã obijt & sepelitur. Ludouicus Rex Germaniæ frater eius missis item contra Hugonem in Gallias copijs, cruentam adeptus est victoriam. Eius item auxilio freti filij Ludouici Balbi Bosonem tyrannum vltra Rhodanum persecuti sunt & in Viennam compellunt, & Madasconã vrbem captam subijciunt. Nordmanni Gallias itemq; Fresiam igne, prçda, cçdeq; vastantes, tandem Nouiomagum muniunt, & in palatio Regis hiemare disponunt: cõtra quos Ludouicus moto exercitu, impediente hyeme, parũ proficere potuit. Magna sterilitas frugum Germaniam affligit.

881. Hyems item sæua & prolixa magnaq; fames facta est. Ludouicus Rex Germaniæ Hugonem ad deditionem venientem benigne suscepit, rursumq; rebellantem persecutus in Burgondiam pepulit. Ludouicus Rex Galliæ cum Nordmannis pugnans 9000. equitum victor prostrauit: illi verò collectis rursum copijs, regnum Ludouici Germaniæ Regis petunt. Cameracum, Traiectũ, Hispanicũ pagũ, Ribuariam totam, Prumiã, Stabulau, Mamuldarium, Vidam & alia perplura loca vastant, Aquisgrani in capella Regis equos suos stabu-

ſtabulant, Coloniã Agrippinam & Bunnam vnà cum Eccleſijs incendunt; contra quos Ludouicus Rex cum morbo detentus venire nõ poſſet, exercitum miſit. Terræ motus interim magnus 3. Calend. Ianuarij Moguntiaci factus. Eodem anno Carolus Rex frater Ludouici Italiam petens Romamq; veniens vnà cum Regina Richgarda imperiali vnctione à Ioanne Papa coronatur.

882. Cometa vltra modum comas ſpargens 15. Calend. Februarij viſus. Ludouicus Rex Germaniæ creſcente morbo 13. Calend. Febr. defunctus & Laureshaim iuxta patrem Æquiuocum ſepultus eſt. Quo audito exercitus contra Nordmannos miſſus infecto negotio redijt: Nordmanni verò nullo reſiſtente, reſidua circumcirca vaſtantes, VValach Mettenſem Epiſcopum incautè occurrentem occidunt, & inter alia multa mala Treuirenſem quoq; vrbem, fugatis & occiſis ciuibus, Nonis Aprilis incendunt, vaſtataq; & incenſa regione in munitionem ſuam, quę Aſcaloha dicitur, iuxta Moſam fluuium, redierunt. Carolus Imperator de Italia reuerſus, habito VVormaciæ conuentu, regnoq; fratris accepto, magno collecto exercitu, Nordmannos cum Regibus ſuis per 12. dies obſedit: cumq; magno æſtu & fœtore præter mutua tela vtrinq; vexarentur, & immenſa tempeſtate horridaq; grandine 12. Calend. Auguſti exorta perturbarentur; viſa expugnãdi difficultate, petentibus hoſtibus, pacemque deinceps regno eius ſacramento pollicentibus, datis obſidibus, cum Rege eorum Sigefrido mutuum colloquium habuit; eumq; Chriſtianitatem profeſſum de baptiſmo ſuſcepit, datiſq; mutuo muneribus & firmata pace & amicitia digreſſi ſunt. Orto inter Saxones & Thuringios bello, Saxones ſuperiores extitere. Peſtilentia magna in Baioaria facta.

883. Carolus Imperator celebrato in Alamannia Natali Domi-

Domini, ad sancti Galli quoq; Cœnobium venit, ibiq; petente Hardmoto Abbate iam sene Bernhardum pro eo constituit Abbatem, qui eidem loco 7. annis præfuit: ipseq; Ratisbonæ Pascha egit. Romæ Ioannes Papa, dato sibi à quodam propinquo suo veneno, cùm adhuc victurus putaretur, malleo percussus in cerebro expirauit, percussorq; eius concurrēte turba, eadem hora à nullo læsus cecidit mortuus. Et Martinus Archidiaconus Papa CXIII. factus, præfuit anno vno, mensibus 6. Imperator Carolus iterum in Italiam obuiam Papæ pergit, & VVidonem Ducem reum maiestatis accusatum, fugientem persequi iussit. Pestilentia exercitum vexat. Item Saxones cum Thuringijs & Popone pugnantes vincunt. Nordmanni item Prumiam petentes à Hainrico Marchione Poponis fratre ad internecionem cæsi sunt. Ludouicus Rex Galliæ, postquam regnum fortiter rexit & defendit, defunctus & Parisijs est sepultus 6. regni anno. Zvventibald Dux Marahensium Pannonias, quibus Arnolfus Dux filius Carolomanni Regis præfuit, crudeliter vastat.

al. Marinus archid. Papa CX.

884. Baioarij in Italiam contra VVidonem missi. Item Zvventibald Pannonias immanissimè vastans, quosdam ex Baioarijs iuxta Rabam flumen incautè congressos, vicit, occisisq; alijs nonnullos comprehendit. Carolomannus Rex Galliæ filius Ludovvici Balbi, cùm multam pecuniam Nordmannis pro pace dedisset, in venatu ab apro percussus interijt, anno regni 7. & regnum Galliæ ad Carolum Imperatorem redijt. Carolus Imperator in citeriore Pannonia conuentū habens Zvventibaldum Ducem Marahensium, per manus se dominio eius tradētem, pacemq; & seruitium promittentem suscepit. Itemq; Brazlauonem Ducem, qui inter Drauum & Sauum fluuios Pannoniæ præfuit, nihilominus se tradentem, accepit: ipse per Carentanum in Italiam veniens Natalem Domini Papię celebrauit.

885. Imperator Carolus habito in Italia conuentu VVidonem Ducem Spoletanum se excusantem seq; subdentem suscepit: Inde Gallias adiens, susceptisq; primoribus, regnū illud, vt videbatur, disponens, ad condictum cum Papa placitum V Vormaciam venit. Sed Papa ad eum veniendi arrepto itinere obijt, Romæq; pro eo Adrianus III. Papa CXI. sedit anno vno, mensib. 4. Gotafridus Rex Nordmannorū perfidiæ contra regnum Francorum insimulatus, ab ipsis accusatoribus dolo perempt⁹ est. Hugo quoq; nothus Lotharij Regis, cum incautè contra Imperatorem agitaret, oculorum luce priuatus est. Pax inter Arnolfum Carentani & Pannoniæ Ducem, & Zvventibaldum Marahensem Ducem confirmatur.

886. Imperator celebrato Ratisbonæ Natali Domini Italiam à Papa inuitatus adijt, & Luitvvardum Vercellensem Episcopum pro quibusdam quærendis Romam misit. Tumultus Papiæ inter ciues regiosq; milites graui vtrorumq; damno mouetur. Imperator habito post Pascha Papiæ conuentu, per Burgondiam Gallias contra Nordmannos petijt: vbi cum malè contra eos pugnatum esset, & Heinricus Marchio Neustriæ occubuisset, rebus minus prospere gestis discessit. Peringarius Dux Foroiuliensis cum Luitvvardo Episcopo dissentiens, Vercellensem vrbē expoliat. Inundatio insolita autumni tempore facta, exundantibus aquis plurimas villas euertit, & multis in montibus vias diruit, multaque mortalibus intulit. Romæ V. Stephanus Papa CXII. post Adrianum ordinatus sedit annis. 6.

887. Imperator Carolus in Alsatia graui infirmitate detentus iacuit, & parum conualescens incisionem capitis pertulit; habitoq; in Alamannia conuentu in villa VVeiblinga, Peringarium Ducem ad deditionem venientem, & Luitvvardo Episcopo satisfacientem suscepit. Mortuo

Boso-

Bosone filius eius ex filia Ludouici Italiæ Imperatoris puer Ludovvicus ad Carolum Imperatorem veniens, benignè ab eo susceptus, & in filium adoptatus est. Richarda Imperatrix adulterij cum Luitvvardo Vercellensi Episcopo, qui apud eam & Imperatorem familiariter in palatio vigebat, ab Imperatore, & alijs incusata, diuino iudicio ab omni se virorum cōmixtione integram & eatenus virginem se comprobauit; quamuis iam duodecim annis in coniugio Imperatoris apparuerit: Moxq; ab eo separata in Andelahēse cœnobium virginum à se constructū secessit, ibiq; sedula in diuino seruitio virgo Regina permansit. Deinde Carolus Imperator grauiter infirmatus, mente etiā, vt videbatur, minus valuit, oēsq; regni Principes auerso iam ab eo animo, cùm apud Franconofurt conuentū habuisset, vnanimiter eum deseruere, & Arnolfum fratris eius Carlomanni filium non ex legitima coniuge, sed tñ nobili natū, Carenthani scilicet Ducem, super se Regem constituere. Carol⁹ verò cum se à cunctis omnino ministris etiam & seruis suis deseri & à solo Luitperto Moguntiensi Archiepiscopo adhuc vidisset sustentari, supplex iam Arnolfo munera misit, & pauca ab eo in Alamannia vsq; ad obitum suum prædia postulans impetrauit. 888. Carolus imperio iam priuatus, Deo deuote seruiens in villa Alamanniæ Indinga infirmatus, & vt quidam perhibent, à suis strangulatus, Idibus Ianuarij vita decessit: & quibusdam videntibus, cælo aperto & lumine super eum apparente, Augiam delatus, iuxta altare sanctæ Mariæ sepultus est. Arnolfo Rege Natali Domini Paschaque Ratisbonæ morante, multis Regulis emergentibus, Perengarius filius Eberhardi in Italia Regem se fecit; Rodolfus filius Conradi in Burgundia; Ludouicus filius Bosonis & VVido fil⁹ Lamperti in Gallia Belgica & Prouincia; Odo filius Rudperti in Gallia vsq; ad Lierim & in Aquitania vltraq; in Gallia

Ad oram hac erant: Carolus Grossus Augiæ sepultus. Richarda eius vxor, virgo.

Ramnolfus regium nomen * nichil inuasere: è quibus Odo Arnolfum Regem Franciam petentem humiliter adiens & benignè susceptus, permisso eius inuasum retinuit regnum. Itidem Rodolfus Ratisbonã ad eum veniens fauore ei⁹ peruasam impetrauit Burgundiã. Nihilominus cum Italiã vellet Rex Arnolfus petere, obuiam venienti Peringario, qui paulò ante cum VVidone confixerat tyranno, paucis exceptis totam concessit Italiam. In expeditione ingens equorũ pestilentia facta. Augiæ Rudolpho Abbati Hatto successit: præfuit annis 25. qui cellam & Basilicam sancti Georgij in insula construxit.

889. Luitpertus venerabilis omniq; laude dignus Mogõtiæ sedis Archiepiscopus hac vita decessit: cui Sunderold successit. Calamitosus iste annus morbis ac pestilẽtia, aquarum inundationibus, insolitis tempestatibus, turbinibus & grandinibus multis, fame, peste, & quaq; versum bellis socialibus comprouincialiũ fuit. In Thuringia torrens in niuibus defluens, tres in momento villas absumpsit, & 300. homines cum pecorib⁹ multis extinxit. Arnolfus Rex Zvventibaldo & Ratoldo filijs suis ex cõcubina natis subiectionem à Francis promitti vix effecit, si ei legitimus non nasceretur filius. Magna contra Abodritas expeditio ab eo, sed paruo effectu mota est.

890. Arnolfus Rex habito in Pannonia de diuersis colloquio à Zvventibaldo Duce Marahensi ex verbis Apostolici obnixè rogatur, vt Romam veniens Italiamq; sub ditione sui retinẽs à tantis eam eruat tyrannis. Quod ille alijs prępeditus ad pręsens facere distulit. Iterum conuentu apud Foracheim acto, Ludouici Imperatoris Italiæ filiam Bosonis viduam ad se cum muneribus venientem, benigne suscepit. Inde Constantiam Augiamq; orandi gratia adijt: indeq; Ratisponam redijt.

891. A-

891 Apud S. Gallum post Bernhardum Salomon Abbas præfuit annis 30. S. Salomon secund⁹ Constantię venerabilis Episcopus obijt: pro quo tertius Salomon, de cœnobio sancti Galli Abbas, Episcopus promotus præfuit annos 30. Embricho Ratisponensis Episcopus vita & ætate verendus obijt. ipsaq; vrbs (exceptus diuinitus sancti Emerammi sanctiq; Cassiani Ecclesiasticus) 4. Idus Augusti incendio tota conflagrat. Gordianni item Franciam Rheno cõtiguam vastant, contra quos exercitu misso prælioq; incautè conserto, Sunderolt Mogontiensis Archiepiscopus cum alijs multis peremptus occubuit, cæteriq; fugerunt: pro quo Hatto Augiensis Abbas, vir ingeniosus, Archiepiscopus promouetur. Arnolfus verò Rex Nordmannos victoria elatos, & regnum Lotharij vastantes cum exercitu insequens, iuxta fluuium Dila, palustribus locis munitos, manumq; pugna conserere drepitantes offendit. Qui milites adhortatus, equis propter loci difficultatem dimissis, pedes eos aggreditur; clamor attollitur, res deinde gladijs cominus eminus geritur, vnoq; tantum milite ex nostris perempto, duo Nordmannorum Reges Sigifridus & Godrafridus totusq; eius exercitus multis millijs numerosus, trucidatus ferro, & in flumine fugam impediente dimersus, ad interneccionem deletur. Et Rex eàdem, litanijs celebratis & Deo laudib⁹ redditis multisq; hostium spolijs direptis, in Alamanniam venit, & Natalem Domini Vlmæ celebrauit.

892. Apud Gallias Carol⁹ adolescens Ludouici Balbi posthumus filius, à quibusdam primatibus Rex effectus, multa deinceps Odoni mala fecit, & ab eo vicissim sustinuit. Arnolfus Rex Pannonias adiens, cum Zvventibaldum Ducem Marahensem iterum sibi rebellantẽ cognouisset, colloquio cum Brazlacione Duce Pannoniæ vlterioris habito, trifariam cum tribus exercitibus, Vngaris etiam auxiliatoribus,

nuper illas in partes aduentantibus per continuum mensem Marahensem deuastat regionem: ipse etiam eodem tempore priscam cum Vulgaris renouat amicitiam. Popo ducatu Thuringiæ priuatus est. Romæ post Stephanum Formosus prius Portuensis Episcopus Papa CXIII. sedit annis 4. mensibus 7.

893. Engilstalcus Marchio Pannoniæ, iudicio Noricorum excæcatus, & patruelis eius VVilhelmus decollatus est. Arnolfus Rex Marahensem iterum vastat regionem. ipsi Regi ex Vta Regina Ludovvicus filius nascitur, & à Hattone Archiepiscopo Mogontiensi & Adalberone Augustensi Episcopo nobili baptisatur, & sacro Chrismate vngitur. Formosus Papa missis epistolis & legatis, Arnolfum Regẽ ad suscipiendam & eruendã à tyrannis maximeq; à VVidone Italiam magnopere inuitat: quod ille annuens legatos muneribus donatos remittit. Hyems sęua & diutina hoc anno facta.

894. Tonitruum magnum 5. Calend. Feb. factum. VVidone Italiæ tyranno mortuo, Angiltruda vidua eius cum filio Lamperto tyrannidem inuasit.

895. Arnolfus Rex Hildigardam Ludouici Regis patrui sui filiã, cuius maximo molimine, deiecto Carolo, Rex factus fuerat, exilio damnat. Synod⁹ magna apud Tiburiã collecta. Arnolfus Rex cum Odone Galliarũ Rege ad se veniente pacẽ firmat, Caroloq; filio Regis Ludouici * VValdi non multo post venienti & munera offerenti, auxiliũ denegat. Ipse etiam Zvventibald dum ex concubina suũ, Regẽ super Lotharij regnum vngi fecit: Itemq; per epistolas à Formoso Papa rogatus Italiam petit Peringariumq; perterritũ, ad deditionem venientẽ, regnumq; peruasum Italię reddentẽ suscepit, & VValtfredo Maginfredoq; Comitibus Italiam cis Padum distribuit, & omnia vastando diuisisq; ad superũ & inferum mare copijs, transiens, ipse Natalẽ Domini Lunę celebrauit.

* leg. Balbi

896. Ma-

896. Magna pluuiarum inundatione exercitu fatigato, & plurimis equis inde amissis Peregario etiam à fidelitate eius deficiente,& ad Lampertum se conferente, Arnolfus Rex tandē Romā venit,eamq;, Angildruda VVidonis vidua cum filio Lamperto machinante,obseratam inueniens,mandato Formosi Papę intus inclusi,celebratis apud sanctū Pandracium litanijs, eam oppugnat: expugnataq; citius vrbe ingressus à Domno Papa honorifice susceptus, Imperatorq; coronatus est,& dispositis ibi rebus primoribusq; sacramēto subactis, Angildrudā persequi statuens, infirmari cœpit, metuensq; morbū grauiorem de Italia statim redire accelerauit. Quo reuerso Perengarius ac Lampert⁹ diuiso inter se regno Italiæ tyrannidem exercuere. Lampertus Megenfredum Comitem decollare iussit. Formosus Papa die Paschæ obijt, pro quo VI. Bonifacius Papa CXIV. ordinatus 15. die podagra defunctus est. cui VI. Stephanus, Campaniæ prius Episcopus, Papa CXV. substitutus sedit anno vno, qui tyrannis fauens & Arnolfum odiens, Formosum Papā 7. post obitum mense effossum & in sella positū, loquente pro eo diacono, criminatū & quasi conuictū degradauit, & per cetura de Ecclesia pertractū in Tyberim proijci præcepit: sed diuinis per merita eius miraculis territi ciues Romani, non multo post Stephanum dignè cruciatum eiecerunt, Formosumq; in sepulchrum suum reposuerunt. Eodem anno Græcis cum vagantibus hostibus Vngarijs pacem facientibus, Vulgari irati Græciā inuasam, Constantinopolim vsq; deuastant. Interim Græca astutia Vngarij inducti oram Vulgarorum ferro, præda igneq; pessundant. Vulgari reuersi bis ab eis pugnā victi & cęsi terga verterunt. Tertio demum diuinam enixius gratiam precati, 20. millibus suorum amissis, cruentam vix profligatis hostibus, meruere victoriam. Tanta etiam fames hoc anno facta, vt innumeri media perirent, homi-

hominesq; Christiani nonnulli se inuicem comederent. Arnolfus Imperator quodam ędificio cadente cum multis alijs grauiter conterens corpus cecidit.

897. Magna fames in Baioario multos consumpsit. Boëmani contra Marahenses ab Arnolfo Imperatore auxilium petunt. Romæ post Stephani interitum Romanus Papa CXVI. sedit mensibus paulò plus 4. & post hunc Theodorus II. Papa CXVII. sedit dies 20. post quem IX. Ioannes Papa CXIIX. ordinatus, sedit annos duos. Arnolfus Imperator, habito conuentu, nulli fidens, sacramentum fidelitatis denuo sibi & filio paruulo Ludovvico à ...... exigit.

898. Discordia capitalis inter fratres Zvventibaldum & Mormarum Marahenses Duces facta. Luitpaldus Marchio cum alijs Marahenses* impm rebelles vastat. Item Baioarij fines Marahensium hyeme vastant.

*fort. in imperium.

899. Vta Regina adulterij crimine cum quibusdam viris infamata, 72. Principum iuramento Ratisbonæ in conuentu absoluta est. Arnolfus Imperator paralysi dissolutus est. & nonnulli inde veneficulorum maleficij criminati & puniti sunt. Item Baioarij Marahensium terram vastant. Isanricus Imperatori rebellans obsessusq;, & ad deditionem vi coactus, ad Marahenses item confugit. Romæ Benedictus IV. Papa CXIX. sedit annis 3. mensibus 5.

900. Arnolfus Imperator Ratisbonæ, vbi frequentius manebat, ægrotans obijt: & in Basilica S. Emerammi sepultus est, anno regni 12. pro quo filius eius Ludouicus puer in regnum constitutus est: cuius frater ex cócubina Zvventibaldus Galliæ Belgicæ Rex, cùm crudeliter & temere ageret, res Ecclesiarum affectaret, Ratpotonemq; etiam Treuirensem Archiepiscopum baculo in caput percuteret, à suis spretus ac desertus, cùm incautè viribus impar pugna cum eis congredi vellet, peremptus est. Baioarij per Boëmanos

manos transeuntes ipsis secũ assumptis, Marahensem item deuastant regionem. Vngarij hostes noui Italiam magna ex parte vastauerunt & conserto prælio victores * 20. ex Italis vna die peremerunt. Itidem exploratã Baioariam inuadentes circa Anesum flumen plurimas prædas abducunt: item Pannonias depopulatas occupant. Luitpard⁹ Marchio quibusdam copijs Vngariorum cum paucis Noricorum congressus vno tantum ex suis amisso 1200. peremit.

901 Vngarij Caretanum petentes commissa pugna victi cæsiq; fugerunt. Eodem anno Mormarus Dux Marahensis, & Isanricus Noricus Comes, qui ad ipsum trãsfugerat, cum Ludovvico Rege pacificati sunt. Vngarij Marahenses petunt pugnaq; victi terga verterunt. Ipso anno Beringer, Reginolf, & Gerhart nobiles Germani fratres, filij Atonis Comitis & Adellindæ, non longe ab Duchaugiensi Cœnobio virginum, in pago Alamanniæ Erichgevve, à matre per ipsum tempus studiose in honorem sancti Cornelij & sancti Cypriani martyrum constructo, cum sororem virginem nuptum tradere molientes, clam inde abducerẽt, ab inimicis circumuenti & occisi sunt, & à matre sua apud ipsum cœnobium sepulti: vbi etiam ipsa, postquam Ierosolymam aliaq; loca sancta causa orationis adijt & redijt, diuinis intenta seruitijs & animarum inhians lucris, fœliciter hanc vitam finiens condita est. Ipsa filia virgine Æquioca sua Abbatissa inibi constituta est.

902.

903.

904. Romæ post Benedictum Leo V. prius presbyter Forensis, Papa * CXX. sedit mensibus fermè 2. post quem, vt in quibusdam inueni, Christophorus prius Cardinalis, Papa CXXI. sedit mensibus 4. qui deiectus est & monachus factus.

* m.s. habet 123.

905 Romæ Sergius III. Papa CXXII. ſedit annis 7. menſibus 4.

906. Adalpertus nobilis & bellicoſus de Babẽberg Francus, commiſſa cum æmulo ſuo Conrado pugna, vicit, eumq; cum multis alijs peremit.

907 Adalpertus cùm prædia eius, vtpote rebellantis, à Ludovvico Rege vaſtarentur, & caſtrum oppugnaretur, perfidia, vt fama eſt, Hottonis Archiepiſcopi & cuiuſdam Luitpaldi, de quibus plurimum confidebat, ad Ludovvicum Regem ſpe pactionis adductus, decollari iuſſus eſt. Baioarij cum Vngarijs commiſſa pugna victi ſunt.

908. Vngari Saxoniam & Thuringiam latè vaſtant. Luitpaldus occiſus eſt.

909. Vngarij Alamanniam inuadentes vaſtant.

910. Vngarij Franciam petentes cõmiſſa pugna ſuperiores fuere. ADALBERO venerabilis & famoſus Auguſtæ Vindelicæ Epiſcopus obijt: poſt quem Hiltine annis 13. præfuit.

911. Ludouicus Rex adoleſcens moritur & Ratiſponæ ſepelitur. Poſt quem deficiente noſtris in partibus ſtemmate regio, Cõradus filius Conradi, Rex electus & vnctus regnauit annis 7. Burchardus Dux Alamanniæ in conuentu ſuo orto tumultu occiſus eſt: pro quo Erchanger ducatum inuaſit.

912. Vngarij item Baioariam petentes, congregatis Baioariorum & Alamannorum copijs, iuxta fluuium INE congreſſi magna ſtragẽ profligantur. Cometæ hoc anno viſi. Rudolfus Rex Burgundiæ obijt, & Rudolfus filius eius regni illius iura diſpoſuit anno 25. Romæ Anaſtaſius II. Papa CXXIII. ſedit annis 2. menſibus 2. Apud ſanctum Gallum Notkerus magiſter doctus obijt. Otpertus Epiſcopus occiditur. Linhart excæcatus.

fluu. qui hodie Oenus.

913. Item Vngarij ingreſſi Alamanniam vaſtant. Mogontiæ Hattone Archiepiſcopo Augenſiq; Abbate mortuo

Heri-

Heriger in Episcopatu succedens annis 14. in Abbatia verò Hugo Abbas XXI. annum vnum præfuit.

914. Salomon Constantiæ Eps & Abbas Cœnobij S. Galli à quodam proteruo captus & in custodiam missus est. Augiæ post Hugonem Thietingus Abbas* XIX. præfuit annis 3.

* fort. XXII.

915. Romę Lando Papa CXXIV. sedit mensib. 5. post quē Leo VI. Papa CXXV. mensib. fermè duobus: & post hunc Ioannes X. Papa CXXVI. annis 14. mensib. duob.

916. Vngarij item egressi inter alia mala totam pæne Alamanniā igne & gladio miserabiliter vastant. Ipso anno apud Altheim coram misso Apostolico Synodus habita. Augiæ Thietingo Abbate defuncto, Heribracht Abbas XXIII. prę-fuit ann. 10. Apud S. Gallum B. Virgo VViborada arctius inclusa est.

Ad eram hoc erat: VVilibradū inclusa.

917. Vngarij peruasa vt ceperant Alamannia, Basileam vrbem destruunt, indeq; Alsatia vastata, Lotharij regnū, multa mala faciētes, inuadunt. Erchanger, qui ducatū Alamanniæ inuaserat, cum fratre Bertholdo, Regi Edunrado rebellātes, eiq; tandem ad deditionem spe pactionis venientes, ipso iubente apud villam Adingā decollantur 12. Calen. Feb.

918. Burchardus Dux Alamanniæ factus tyrannidem inuasit. Conradus Rex obijt.

919. Heinricus Comes natione Saxin Regē electus sine regali vnctione regnauit annis 18. Pugnā apud VVinterturū inter Rudolfum Regem Burgundiæ, & Burghardū Ducem Alamanniæ commissa, Rex à Duce victus fugatur, Salomone Epo Constantiēsi Abbateq; Cœnobij S. Galli defuncto, Notinger in Episcopatu annis 15. Hartmannus in Abbatia 4. fermè annis successere.

920. Carolus Rex Galliarum in Franciam venit. Apud S. Gallum Rachildis virgo inclusa est.

921.

922. Luithardus à Burghardo Duce, oppresso Heriberto, Augiæ præpositus, & fratres in exilium missi sunt. Sanguis Domini in Augiam Insulam à quadam matrona defertur, sicuti literis inibi historica relatione continetur. Apud sanctum Gallum Engilbertus Abbas constitutus annis 9. præfuit.

923.

924. Sanctus Vdalricus Augustæ Vindelicæ Episcopus ordinatus, mira pietate & religione præfuit annis 50.

925. Vngaris iam Alamanniam vastando peruagantibus, & ad Cœnobium quoq; S. Galli peruenientibus, VViborada virgo inclusa, fracta cella à quodam ex eis perempta & martyrio coronata. Rachildisq; contectalis eius illæsa diuinitus conseruata est.

926. Vngarij vastata Alamannia, totam Franciam, Alsatiam, atq; Galliam igne, & gladio sæuientes percurrunt. Burghardus Dux occiditur. Heinricus Rex magnum conuentum VVormaciæ habuit. Herimannus Alamanniæ Dux promouetur. Augiæ Luithardus Abbas XXI. effectus præfuit annis 8.

927. Heriger Mogontiensis Archiepiscopus obijt, & pro eo Hildipertus Archipræsulatum accepit.

928.

929. Romæ Stephanus VII. Papa CXXVII. sedit ann. 2. mense vno.

930. Heinricus Rex Boëmiam petit.

931. Romæ Ioannes vndecimus CXXIIX. sedit annis 4. Heinricus Rex Reges Abodritarum & Nordmannorum Christianos fieri fecit, ipseq; Gallias petijt.

932. Vngarij Soraborum prouinciam petentes ab exercitu Regis Heinrici cæde profligati, fugati, multiq; ex eis capti sunt.

933. Apud

933. Apud sanctum Gallum Thieto Abbas præfuit annis ferme 10.

934. Constantinæ Notingo Episcopo defuncto, Conradus, genere & vita prænobilis præsul ordinatus, 41. per annos illam nobiliter rexit Ecclesiam. Augię quoq; post Luithardum Alavvicus venerabilis Abbas XXII. præfuit annis 25. Eberhardus Argentinensis præpositus proximus incola cellæ Meginradi venit.

Ad oram erat adscriptum: sanctus Conradus Episcopus Constantiensis.

935. Romę Leo VII. Papa CXXIX. sedit annis 3. mensibus 6.

936. Heinricus Rex obijt, & in Saxonia apud Chutilineburg Cœnobium Virginum sepultus est: pro quo Otto filius eius regni gubernacula accipiens 38. fermè annis strenuè rexit.

937. Vngarij per Baioariam Alamanniamq; & Orientalem Franciam prędis, gladio, igneq; furẽdo vagantes, transito VVormaciæ Rheno, Alsatiam, regnum Lotharij, & adiacentes vsq; ad Oceanum Gallias vastantes, per Burgundiam Italiamq; tandem in Pannoniam redierunt: monasteria S. Bonifacij, sanctiq; Galli incendio conflagrauerunt. Ipso anno Rudolfus Burgundiæ Rex defunctus Agauni apud sanctum Mauricium sepultus est: filius eius Conradus regnum pro eo suscepit. Arnolfo etiam Baioariæ Duce mortuo, Ducatum eius Bertolfus accepit. Baioarij cum multis alijs Ottoni Regi rebellant.

938. Otto Rex contra Baioarios procinctus mouit; interim frater eius Heinricus ab Eberhardo comprehensus est: quo liberato, Eberhardoq; in exilium relegato, denuò Noricos cum exercitu inuasit, omnesq; præter Arnolfi Ducis filium Arnolfum subiugauit, interim Vngarij Saxoniam inuadentes à Saxonibus pugna victi cæsiq; fugantur. Romæ Stephanus IIX. Papa CXXX. sedit annis 3. mensibus 4.

939. Otto Rex Lataringos rebellantes petens vsque ad Caprimontem cum exercitu venit: interim Ludovvicus Rex Galliarum Caroli filius Alsatiam inuasit: sed mox Ottone hoc comperto redeunte, perterritus regnum suum repetit; cumq; castrum Brisacha ab Ottone Rege obsessum oppugnaretur, capita rebellionis Eberhardus Dux occisus, & Gisalpertus Dux in Rheno submersus interierunt; Episcopiq; & alij qui cum eis contra Regem venerant, fugati & dispersi sunt. Otto verò Rex dedito castro in regnum Lotharij reuersus cunctos sibi rebelles, præter Mettensem Episcopum, subiugauit. Heinricus quoq; frater eius proiectis armis ipsi se subdit.

940. Otto Rex Gallias contra Ludovvicum Regem petens, magnam prouincię partem, vsq; ad Sequanam amnem vastauit, & Hugonem, Heribertũ Principes ad se venientes suscepit. Hyems sæua hoc anno facta & pestis animalium subsecuta. Hugo filius Richardi moritur.

941. Nota. Dux Lutpoldus Austriæ occisus fuit cum multis militibus anno ab Incarnatione Domini 85. 4. Calend. Iunij & fecerunt ciuitates siluestres, quæ dicuntur VValstet; postea anno 85. multæ gentes volebant destruxisse illam prouinciam, quæ dicitur Glarus, & venerunt per portus; postea illi Glarenses venerunt cum 80. viris & occiderunt bene 300. qui turpiter dederunt fugam.

942. Otto Rex cum Ludovvico Rege Galliarum pacificatur. Cometa per noctes 14. visus & immensa animalium pestilentia facta. Romæ Marinus secundus Papa CXXXI. sedit annos 3. menses 6.

943. Vngarij item Baiorios inuadentes, pugna cum eis commissa victi terga verterunt. Apud sanctum Gallum Gralo Abbas præfuit annis 17.

944. Terræ motus factus est 16. Calend. Maij.

945. Ro-

945. Romæ Agapitus II. Papa CXXXII. sedit annis fermè 10. Otto Rex Galliam inferiorem petit. Tietlandus Patuen. primus Abbas loci.

946. Apud sanctum Gallum Rachildis virgo inclusa migrauit ad Dominum.

947. Bertolfo Duce Baioariæ defuncto, Heinricus frater Ottonis Regis, ducatum illum accepit. Luitolfus filius Regis Itam laudabilem fœminam duxit vxorem. Mirmidona igne consumitur.

(Nota. anno ab Incarnatione *73.90. propria quarta feria post Natiuitatem Domini fuerunt fulgura & tonitrua tetra media nocte.)

Thiertlandus Abbas monasterij heremitarum, qui facit glossam super epistolas S. Pauli.

948. Herimannus Dux Alamanniæ, qui prouinciæ sibi creditæ cultum, habitum, mores, instituta multum, vt fertur, honestauerat, defunctus, Augiæq; in capella S. Chiliani sepultus est: & Luitolfus filius Regis Ottonis, vir omnium sui temporis vniuerso populo acceptissimus, Dux pro eo à patre suo constitutus est. Synodus magna 30. Episcoporum coram Ottone & Ludouico Regibus apud Ingelenheim habita est. ipso anno Londaugia incendio conflagrat. Capella cœnobio sancti Meginradi cælitus consecrata est 18. Calend Octobris.

949. Lothario Rege Italiæ mortuo, Beringarius regnum inuasit, viduamq; eius Adalhaidem Rudolfi Regis Burgundiæ filiam multis iniurijs afflixit & coarctauit: qua vix fuga elapsa Ottonis Regis aduentum in multis angustijs præstolatur. Gregorius 2. pater ac nobilissimus venit.

950. Otto Rex Italiam petijt eamq; subijciens sibi, Beringarium Regem resistere non valentem pepulit, Dominamq; Adalhaidem suam futuram coniugem liberauit.

951. Sy-

*al. 15.

951. Synodus * 15. Episcoporum magnusque totius regni Principum conuentus apud Augustam Vindelicam coadunatur; ibiq; Beringarius Ottoni Regi ad deditionem venit, eiq; subiectionem promittit. Inter alia prodigia ignitus lapis, quasi massa cadentis ferri ab Occidente per aëra venit, & draco visus est ambulans.

952. Otto Rex Boëmiam, & filius eius Luitolfus Dux Italiam petiuit. Otto Rex vno cum filio suo Luitolfo Italiam item ingreditur, & nuptiæ regales Papiæ celebrantur. Discordia inter Luitolfum Ducem & patruum eius Heinricum Ducem agitata. Fridiricus Mogontiæ Archiepiscopus & Hartpertus Curiæ Episcopus Romam à Rege missi sunt.

953. Otto Rex fratri Heinrico fauens filium contra se incitauit Luitolfum, magnaq; totius regni turbatio diuersarum studijs partium facta est. Arnolfus filius Arnolfi quondam Dux Noricorum, partibus se Luitolfi contra Regem iungens, Augustensem vrbem Episcopatumq; deprædatur, & beatum Vdalricum Episcopum Regi fidum in castello Mandichinda obsessum capere vel occidere nititur: sed superueniente cum copijs militum Adalperto de Matthale Comite & Theodpaldo Episcopi fratre item Comite, pugna victus, turpiter repulsus est, diuinaq; vltione cum cūctis fautoribus non multò post digne punitus. In ea congressione Adalpert9 Comes parum vulneratus moritur, & à sancto Episcopo Augustæ honorificè sepelitur. Secuto tempore cum inualescente discordia Otto Rex & filius eius Luitolfus Dux collectis contra se inuicem exercitibus iuxta fluuium Hilaram, & villam vocabulo Tussam, iamq; pugna confli-cturi consedissent, intercurrentibus sanctis Episcopis Vdalrico Augustensi & Halperto Curiensi, Deo donante, pacificati & confœderati sunt.

Ad oram hæc erant: Pugna in Mennchingn facta tempore S. Vdalrici.

954. Vngarij item egressi Franciam, Baioariam, Italiamq; deuastant.

955. Vn-

955. Vngarij cum tantis, vt nunquam ante, copijs percursa Baioaria, Licum fluuium transeunt, Basilicam sanctæ Afræ Augustę incendunt, sanctum Episcopum Vdalricum multa instantia diuinum implorantem auxilium Augustæ cum suis obsessum armis circumstrepunt: sed superueniente cum exercitu Ottone Rege IIII. * VV. Aug. pugna valida nimis committitur, multum humani sanguinis funditur, cædes Vngariorum immensa sequitur, alueus fluminis fugientium cadaueribus oppletur, & paucissimis fuga elapsis, innumerabilis eorum exercitus ad internecionem deletur; ipsi, qui tunc effugere poterant, per totā postea passim Baioariam capti trucidatiq; sunt: inter quos Reges eorum comprehensi Ratisponæ patibulis suspensi sunt. in ipsa pugna ex nostra parte inter alios multos Conrad⁹ Dux bellicos⁹ & pi⁹ gener regius & sancti frater Episcopi, Theodpald⁹ sororis eius filius, Reginbaldus Comes auię meę Perthę patru⁹ occubuere. Romæ Ioannes XII. qui & Octauianus Papa CXXXIII. sedit annis 8. mensibus 4. qui tanti ordinis, heu prô dolor, oblitus, vanitati & spurcitię vitam suam deditus duxit. Mogontię Fridericus Archiepiscopus decessit eiq; Hatto successit. Heinricus quoq; frater Regis Baioarij Dux moriens filium Æquiuocum successorem reliquit.

* *legend. 4. Idus Augusti.*

Reginbaldus auiæ Hermanni patruus.

956. Luitolfus Dux Italiam hostiliter inuasit fugatoq; Beringario & filio eius, Papia vrbe prouinciaq; potitus est.

957. Luitolfus Dux commissa pugna Adalpertum vicit, cunctisq; sibi vnà cum regno Italiæ subiugatis, ipse eodem anno apud Plumbiam immaturo obitu vita decessit, & magno multorum luctu Mogontię sepultus est, Ottone filio adhuc paruulo superstite relicto. Et Burghardus Alamanniæ Ducatum accepit.

958. Alavvico Augiæ Abbate defuncto Egghardus Abbas XXIII. præfuit annis 15. qui Ecclesiam sancti Ioannis

Baptiſtæ formoſo inibi artificio conſtruxit. Nonnullis hominibus ſigna Crucis in veſtibus apparent. Eberhardus Argentinenſis Præpoſitus cum magno apparatu in cellam ſancti Meginradi veniens, ibiq; regularē vitam inſtituens poſt eius introitum 25. anno ad Dominum migrauit.

959. Apud S. Gallum ANNO Abbas præfuit anno paulò plus vno.

960. Apud S. Gallum Burghardus Abbas præfuit ann. 13. Gregorius Abbas efficitur.

961. Otto Rex filium ſuum Æquiuocum, ex Adelhaide Regina, Regem eligi fecit: & ipſe Italiam cum exercitu petijt. Signum in Sole apparuit.

962. Otto Rex Romam veniens à Ioanne ſeu Octauiano Papa imperiali vnctione coronatur, ipſeq; Papam pro ſceleribus, quæ fama de illo vulgabat, arguens, eius corrigere turpitudinem non valebat.

963. Otto Imperator Natalem Domini Papiæ moratus, ipſo anno cùm propter alia tum maximè propter Ioannis ſcelera, quæ magis magisq; infamari audiebat, diiudicanda Romam venit. Quo comperto idem Papa fugiens, Campaniam petijt, ibiq; in ſyluis & montibus latitauit: in cuius locum à Romanis & Imperatore electus vir venerabilis Leo VIII. Papaq; CXXXIV. ordinatus eſt.

964. Imperator Otto Natalem Domini Romæ egit, eoque alias inde Italiæ partes luſtrante, Romani non multo pòſt contra Leonem Papam inſurgentes eum neci dare, Ioannemq; reducere moliuntur. Papa verò fugiens ex vrbe in partes Spoleti ad Imperatorem venit, ſuas illi conqueſtus iniurias: cùm iratus Imperator Romam infeſto exercitu repeteret, mors illi Ioannis ſcelerati nunciatur; & Benedictus Diaconus à Romanis Papa poſtulatur: abnuente vero Imperatore, idem Benedictus eius nominis V. Papa CXXXV. nolen-

nolente Imperatore sedit mensibus 2. & ciuitas ab Imperatore obsessa est, tantaq; fame oppressa, vt modius furfuris 30. veniret denarijs, nec multo post afflictis subactisq; Romanis, Imperator dedita vrbe traditoq; Benedicto, Leonē Papam restituit, eiq; subiectionem & fidelitatem à Romanis sacramento promitti fecit. Qui tñ Papa multis postea ab ipsis affectus iniurijs. Eodem anno Rege Romæ morante cum ceteris Principibus, idem Papa consecrationē Capellæ cælitus factam in Cœnobio S. Meginradi, coram Principibus, scriptis confirmauit.

965. Otto Imperator Natalem Domini item Papiæ manens indeq; per montem Cenerum de Italia rediens octauam Epiphaniæ Curiæ egit: Burghardus verò Dux Sueuorum Italiam hostiliter inuadens, Adalbertum pugna victum fugauit, fratremq; eius VVidonem occidit & (*ad*) Imperatorem victor redijt. Ipso anno Brun Agrippinæ venerabilis Archiepiscopus frater Ottonis obijt: cuius vita literis edita à quibusdam habetur. *Colonien.*

966. Romæ defuncto Leone Ioannes 13. prius Narniensis Episcopus, Papa CXXXVI. in ordine sedit an. plus minus 7.

967.

968. Eclipsis solis 11. Calend. Decemb. facta.

969. Hoc tempore Rodfredus Comes & Petr' præfectus cum alijs quibusdam Romanis Ioannē Papam comprehensum, & in castellū S. Angeli retrusum, & in exilium demum in Campaniam missum per 10. & amplius menses affligunt, donec Rodfredo occiso à Ioanne quodam, Crescentij filio, ad suam sedem vix tandem relaxatus rediret.

970. Otto Imperator Italicas iterum inuasit prouincias, Romamq; veniens iniurias Domini Papę grauiter in auctoribus sceleris partim exilijs, partim patibulis, varijsq; pœnis, & abominationibus iudicauit.

 971. Ot-

971. Otto Imperator, cùm in Italia moraretur, beatus Vdalricus Augustensis Episcopus iam grandæuus & infirmus, cùm Romam causa orationis petisset, eum adijt & Episcopatum Adelberoni Clerico sororis suæ Luitgardæ & Peieræ Comitis filio ab eo impetrauit. Signum quoddam ignei coloris in cœlo apparuit.

972. Augiæ Eggehardo Abbate, ob res Ecclesiæ in paupertatẽ redactas, incusato, & ab Imperatore Ottone priuato, Rudmandus Præpositus Abbas XXIV. promotus; præfuit annis 24. nimisq; Abbatiã ditauit. Synodus apud Ingelenheim ab Episcopis collecta est, ibiq; B. Eps Vdalricus & Adalbero sororis eius filius, transgressionis Canonum accusati, causa sua dicta & excusata, absoluti reuertuntur. Romæ Benedictus VI. Papa CXXXVII. pręfuit anno 1. mensib. 10. Apud S. Gallum Notkerus Abbas 4. 6. annos præfuit. Ratisbonæ S. VVolfgangus Episcopus factus est.

S. VVolfgangus.

973. Cum beatus Episcopus Vdalricum apud Dilingam castrum cum Richvvino Comite fratris sui Theodvvaldi filio Pascha ageret, Adalbero Clericus, futurus post eum, vt sperabatur, Eps, ibidem fleothomatus subita morte perijt: Augustæq; in Basilica S. Afræ ab auunculo Epo S. sepultus est. Ipse B. Episcopus inter alia bona Abbatiã Vttenburam sibi subditam, libertatis priuilegio ab Imperatore absolui impetrauit. Otto Imperator per ipsum tempus Non. Maij subitò mortuus, apud Parthenopolim, quæ Magedeburg dicitur, vbi Archiepiscopatum summo studio fecerat, sepultus est; & filius eius Otto II. regni pro eo iura suscepit. Sanctus quoq; Vdalricus Augustensis Episcopus longa infirmitate decoctus anno ætatis 83. Episcopatus verò 50. feria 6. 4. Non. Iulij fœlici obitu migrauit ad Dominum, & Basilica sanctæ Afræ Martyris venerabili VVolfgango Ratisbonensi Episcopo tumulatus, innumeris vsque hodie claret miracu-

Phlebotomatus.

miraculis: post quem Heinricus Augustæ Episcopus factus, præfuit annis 9. Burghardus etiam Dux Alamanniæ defunctus, Augięq; in capella sancti Erasmi conditus est: & Otto filius Luitolfi paternum pro eo ducatum recepit.

974. Romæ Benedictus Papa criminatus à Romanis, & Crescentio Theodorę filio in castello sancti Angeli custodię mancipatus, ibiq; strangulatus est: & * ea iuuentute Bonifacius Ferrutij filius Papa ordinatus, & post vnum mensem expulsus Constantinopolim postea petijt, & Benedictus VII. Sutriæ prius Episcopus Papa CXXXVIII. ordinatus, sedit annis 9.* Constantinę sanctę memoriæ Conradus Episcopus 6. Calend. Decemb. hac vita decessit, & pro eo Gamenolfus annis præfuit plus minus 4.

* leg. eo viuente.

* al. Constantiæ.

975.

976. Dissensio inter Regem Ottonem & patruelem eius Heinricum Ducem Baioariæ commota est.

977. Apud sanctum Gallum Ymmo Abbas præfuit annis 8. qui templum patroni sui pro viribus adornare studuit, iuxta distichon illud in arcu Ecclesiæ scriptum. Discordia inter Ottonem Ducem Sueuiæ & Heinricum Baioariæ Ducem agitata.

978. Otto Imperator contra Lotharium Regem in Gallias duxit exercitum. Heinricus Dux Baioariæ, & alius Dux, Augustensis quoq; Episcopus Heinricus, rebellantes Imperatori capti & exilio mancipati sunt, ducatumque Baioariæ Otto Dux Sueuorum cepit.

979. Constantię Gamenolfus Episcopus obijt: eiq; Gebehardus nobilis & venerabilis Præsul succedens 16. annis Ecclesiam rexit, qui Basilicam sancti Gregorij in ripa Rheni abbatiamque suis ex prædijs construxit: iam dicitur Petri domus.

Ad oram erat Peterohaus seu Petridomus.

980.

981. Otto Imperator peragrata Italia Campaniam Calabrosq; fines cum exercitu ingreditur.

982. Græci cum magnis copijs, conductis etiam pretio Saracenis, Calabriam contra Ottonem Imperatorem defendere aggressi, magnis vtrinq; virib⁹ * conferta primo victi, & deinde noua manu succurrentibus Agarenis exercitũ nostrum priuant vel capiunt. Ipseq; Imperator in mari natando fugiens, ab hostibus captus, cùm non agnosceretur ab eis, ad quoddam castrũ maritimũ pro pretio, vt rogabat, adductus à suis redemptus est. In eo conflictu nostris infaustissimo, inter alios innumeros Heinricus etiã Augustensis interceptus disparuit, eiq; Etich in Episcopatu successit. Ipso anno Otto Dux Sueuorum & Noricorum obijt: & post eum Conradus Dux Alamanniæ factus est, Heinricusq; ducatum Baioariæ recepit.

983. Otto Imperator Romæ infirmatus 6. Idus Decemb. moritur, ibiq; honorificè in porticu sancti Petri tumulatur.

*legend. Græca: Theophanam enim intelligit.

984. Otto III. secundi Ottonis ex * Greta coniuge filius, adhuc infantilibus annis Rex pro patre, quibusdam primoribus inuitis, constitutus est, & magna cura educat⁹, summa indole creuit. Romæ Ioannes 14. qui & Petrus Papiæ prius Episcopus, Papa CXXXVIIII. sedit mensibus 8. eumq; Bonifacius Verrucij filius, prius relegato Benedicto, male ordinatus, de Constantinopoli quo fugerat reuersus, comprehendit & in castellum S. Angeli relegatum fame, &, vt perhibent, veneno enecuit, eiusq; sedem CXL. Papa inuasit.

985. Romæ Bonifacius 7. postquam 11. mensibus malè inuasam sedem occuparat, subita morte perijt & mortuus à suis cæsus, confossus & triuiatim pedibus tractus, vix tandem, Ecclesiasticis miserantibus (*est humatus*) Augiæ Rudmanno Abbate defuncto VVittegoño 25. Abbas præfuit annis 12. Apud S. Gallum post Ymmonem Vdalricus Abbas præfuit annis 5.

986. Ro-

986. Romæ Ioannes XV. Papa CXLI. ſedit annis 10. menſib. 7. qui clericos ſuos parui pendens odio ab ipſis habitus eſt.

987. Fames magna hoc anno facta. Eccleſia cellæ S. Meginradi aucta eſt.

988. Nota quod 88. annus fuit valde mirabilis ab Incarnatione Domini.

989. In Alamannia fuerunt multæ rixæ primo Liga traxit ad Pauariam & deſtruxit ibi multas villas. 2. de VVirtenb. habuit bellum cum Liga. In eoden an. duo Duces Pauariæ Dominica die ante Bartholomæi Apoſtoli & victoriā habuerunt; & de Liga occiſi fuerunt quatuor millia hominum. De Conſtantia euaſit vnus, de Lindaudia nullus, de ſanctoGallo vnus, de Baſilea duo. Eſt illud bellum factum penes Richenvvil.

990. Apud ſanctum Gallum Vdalricus Abbas & Eggehardus magiſter doctus obierunt & Gehardus Abbas præfuit annis vndecim.

991. Theophania Græca Imperatrix mater Ottonis Regis octauo viduitatis anno obijt.

Apud ſanctum Gallum * Faillanus Scotus eruditus hac vita deceſſit. * al. Eaillanus.

992.

993.

994. Conrado Rege Burgundiæ mortuo, & apud ſanctum Mauriciū ſepulto, Rudolfus filius licet ignauus, regiū ibi nomen per annos circiter 38. occupauit: ſub quo, ceſſante iure, violentia & rapinæ, nullo regno, vt non facile propelli poſſint, adoleuere, ibiq́; vt hodie apparet, cum ſuis complicibus regnum obtinuere.

995. Heinricus Dux Baioariæ obijt, & filius eius ex Giſela Conradi Regis Burgundiæ filia, itidem Heinricus, Impera-

Imperator postea futurus, ducatum interim obtinuit: huius sororGISELA StephanoRegi Vngariorum, cùm se ad fidem Christi converteret, quasi vere iuxta nomen suum fidei * obses,in coniugiū data, eleemosynis cæterisq; bonis operibus inibi intenta consenuit. Constantiæ Gebehardus Episcopus venerabilis obijt,& in Basilica sancti Gregorij Papę à se constructa sepultus quiescit, eique Lantpertus habitu & professione monachus in Episcopatu succedens præfuit annis 23. qui templum sanctæ Mariæ ex parte diruens ampliauit.

* Giselen.

996. Otto Rex Italiam cum exercitu petit,sibiq; rebelles coartauit.Gregorius sanctus Abbas obijt.

997. Otto Rex subactis rebellibus, Italia Romaq; potitus est. Et Gregorius V. qui & Bruno, filius Ottonis Ducis Papa CXXXXII. ordinatus,&Otto ab eo Imperator coronatus. qui venerabilis Papa Canonicam ibi disciplinam reparare satagens, sedit annis 3. mensibus 9. Augiæ VVicegovvone Abbate priuato, AlavvicusAbbas 26.promot9 Romę ab ipso Papa consecratus, & priuilegio donatus est. Conradus Alamannorum Dux obijt & pro eo Herimnannus ducatum accepit, qui & ipse filiam Conradi Regis Burgondiæ Gerbirgam in matrimonio habuit,ex qua filium Æquiuocum tresque filias reliquit.

998.

999. Otto Imperator iterum Italiam cum exercitu inuisit.

1000. Mortuo in Italia VVideroldo Argentinæ Ecclesiæ Episcopo Alavvicus Augiensis Abbas Episcopus pro eo ab Imperatore promouetur, & VVerinharius Augiæ Abbas 27. statutus præfuit annis 6. Romæ quoq; defuncto Gregorio PapaSiluester sedens,qui &Gerbertus primò Remorum, post Rauennatiū Archiepiscopus, seculari litteraturę nimium de-

um deditus & ob hoc curioso Imperatori admodum amatus, Papa in ordine CXXXXIII. ordinatus sedit annis 5.

1001. Otto Imperator Italiam sibi quaq; versum subditam lustrat. Ad sanctum Gallum Burghardus Abbas præfuit annis 23.

1002. Otto Imperator in Italia in castro Palerna anno regni 19. 10. Calend. Feb. immaturo obitu decessit, & inde asportatus, intestinis Augustæ conditis, Aquisgrani sepelitur. Et Baioariæ Dux Heinricus assumptis insignibus regni Rex pro eo regnauit annis 23.

1003 HEINRICVS Rex Heinricum Marchionem sibi rebellantem petens, plurima eius diruit castella. Ernust comprehenditur à Brunone Regis fratre, & Heinricus vix fuga dilapsus Argentinæ à Herimanno Duce Alamanniæ Regi rebellante spoliatus, & diuinitus in autores sceleris grauiter vindicatum est, & ab ipso Duce sacro loco satisfactum.

1004. Heinricus Rex per Veronam Italiam cis Padum petens, omnes sibi partium illarum ciuitates subiecit. Papiā ipsa qua coronatus est die, irrumpens, gladio & igne perdomuit. Inde acceptis obsidibus in Saxoniam reuersus, post paucos dies in Sclauos arma conuertit. Boëmanisq; ad pristinam seruitutē tributumq; redactis, Bolizlaum etiam Ducem Sclauorum, Bolanorum cum tota gente sua subiugauit; & in Saxoniam victor redijt. Herimannus Dux Alamanniæ obijt, eiq; filius eius Herimannus puer omni populo acceptabilis in ducatum successit.

1005. Fames magna facta est. Romæ post Gerbertum Ioannes 16. Papa CXXXXIIII. sedit anno vno.

1006. Augiæ VVerinhario Abbate defuncto, fratres Heinricum Monachum elegerunt. Sed Rex Heinricus eius insolentiam, quamuis ab eo pecunias accepisset, detestatus, fratribusq; apud se accusatis infensus, Ymmonem quendā Gor-

ziensem Abbatem, qui & Prumiam ipso tempore tenebat, virum austerum, ipsis inuitis præposuit. Vnde nonnullis ex ipsis sponte locum illum relinquentibus, quibusdam etiam ab eo ieiunijs, verberibus, exilioq; grauiter afflictis, nobile Monasteriũ in magnis viris, librisq;, & Ecclesiæ thesauris, graue (peccatis exigentibus) pertulit detrimentũ. Sicuti RVDOLPERTVS Monachus nobilis, doctus, & facetus matris meæ patruus, prosa, rithmo, metroq; flebiliter deplangit. Romæ Ioannes 17. qui & Fasanus Papa CXLV. ordinatur.

Rudolpertus Hermãni matris patruus.

1007. Heinricus Rex summo studio apud castrum suum, Babenberg nobilem & diuitem Episcopatum construxit, primusq; ibi hoc anno Episcopus promotus est Eberhardus.

1008. Luitolfo viro docto Treuerensi Archiepiscopo defuncto, Megingaud⁹ pro eo Archiepiscopus pmouetur, sed Adalbero clericus Reginæ Cunigundis germanus, quibusdam fauentibus, ad Archipræsulatum, quasi ex regio promisso sibi debitum, adnisus, Treuerense palatium præsidijs occupat; & iam cum fratribus suis Theodorico Metensi Episcopo, & Heinrico Baioariæ Duce, Fridericoq; Comite adnitente, etiam cum alijs multis Gerhardo item Comite contra Regem rebellauit: qui omnes à Rege post aliquot temporis spatium subacti sunt: & Heinricus ipse Baioariæ ducatu priuatur. Ipso anno Heinricus Rex cognita tandem post duos annos Ymmonis crudelitate, remoto eo Bern. virum doctum, & primo Prumiensem monachum, Augiæ constituit Abbatem, qui gratanter susceptus, fratres dispersos recolligit, & à Lantperto Constantiensi Episcopo Abbas eius loci 29. consecratus, magna insignis scientia pietateq; præfuit annis 40.

Ad oram: Bernardus Abbas Augiensis, qui scripsit Legendã S. Vdalrici

1009. VVolferadus Comes Hildrudem, Piligrim & Bernhardi filiam vxorem duxit, ex qua postea me Hermanno annumerato 15. liberos produxit.

Hildrud mater Hermãni.

1010. Senior VVolferadus Comes, paternus auus in ensibus clemens, & iustitiæ tenax, inter suosq; præclarus, 4. Nonas Martij iam senex moritur.

1011. VVilligisus Mogontiensis Archiepiscopus obijt, eiq; Erchenvvaldus successit. Theodoricus Dux partis Lotharingorum sub ipsa pæne præsentia Regis à Heinrico Baioariæ dudū Duce à quibusdam Lotharingis captus & abductus est quo tamen postea relaxato, Heinricus ipse gratiam Regis ducatumq; recepit.

1012 Conradus Dux Carentani filius Ottonis Ducis fraterque Brunonis dudum Papæ, obijt, & priuato filio eius puero Conrado, Adalbero ducatum accepit. Herimannus quoque Alamanniæ defunctus Ernustum sororis suæ Giselæ maritum successorem accepit.

1013. Romæ defuncto Sergio Papa Benedictus IIX. Papa CXLVII. sedit annis fermè 12. HERIMANNVS ego 15. Calend. Augusti natus sum. Heinricus Rex Italiam cum exercitu petit.

1014. Heinricus Rex Romæ imperiali à Benedicto Papa coronatur benedictione.

1015. Ernust Dux Alamanniæ in venatu ab Adalberone Comite feram appetente, sagitta vulneratus interijt: & ducatum eius filius æquiuocus, viduam verò Giselam Conradus filius Heinrici filij Ottonis Ducis, futurus postea Imperator, accepit. Megingaudus Treuirorum Archiepiscopus obijt, eiq; Poppo vir venerabilis frater ipsius Ducis Ernusti successit.

1016.

1017. Godefridus Dux partis Lotharingorum Gerhardum Comitem Conradi, postea Imperatoris, auunculum commisso prælio vicit.

1018. Constantiæ Lantperto Episcopo defuncto, Ridd-

hardus præsulatum accepit, annisque fermè quinque præfuit.

1019. Conradus adolescens filius Conradi quondam Ducis Carentani, auxiliante patruele suo Conrado, postea Imperatore, Adalberonem tunc Ducem Carentani apud Vlmam pugna victum fugauit.

1020. Benedictus Papa ab Imperatore inuitatus Babenberg venit, ibique Ecclesiam sancti Stephani dedicauit. VVerinharius Argentinæ Episcopus auxiliantibus quibusdam Sueuis, Burgundiones inuasit & conserto prælio vicit. Ego Herimannus litteris traditus sum 17. Calend. Octob.

Ad oram hæc adscripta: Hermannus Contractus ad scholam missus est.

1021. Terræ motus magnus 4. Idus Maij feria 6. factus. Heribertus Coloniæ Agrippinæ Archiepiscopus, vir magnæ sanctitatis hac vita decessit; multis miraculis claruit: eiq; Piligrinus successit. Erchenbaldo quoq; Mogontiensi Archiepiscopo defuncto, Aricho Archipręsul efficitur. Post VVolfpotonem quoq; Leodicensem Durandus Antistes promouetur. Irmendrudio etiam * Bidchaugiensis Abbas venerabilis 10. Cal. Maij obijt: eiq; Abarhilt Abbas successit. Ex quo tempore locus ille magis magisq; in deterius defluere cœpit. Heinricus Imperator in Italiam expeditionem mouit. VVERINHARIVS frater meus Calend. Nouemb. nascitur.

** al. Aribo.*

frater Hermanni.

1022. Heinricus Imperator Campaniam petens Beneuentum intrauit, Troiam oppugnauit & cepit, Neapolim, Capuam, Salernum, aliasq; eo locorum ciuitates in deditionem omnes accepit; & Nordmannis quibusdam, qui tempore eius illò confluxerant, quoddam, vt fertur, illis in partibus territorium concessit; sicque per vrbem transiens Romanam, victor redijt in Germaniam. Pestilentia in exercitu orta multos extinxit, inter quos Ruddhardus Constantiæ Episcopus, atq; Burghardus Abbas de Cœnobio

bio S. Galli obierunt. Et pro his Heimo Episcopus annis ferme quatuor, Theobaldusq; Abbas vndecim annis præfuerunt. Notkerus quoq; magister & alij præstantes fratres apud S. Gallum decesserunt.

1023. Ratisbonæ post Gebehardum Episcopum, castum virum à singularibus quibusdam moribus & munditiarum ornatusq; consueto quodam amore famosum, & in diuinis officijs nimis studiosum, ab hac luce subtractum, alter item Gebehardus Augustensis Canonicus successit.

1024. Romæ defuncto Benedicto frater eius Ioannes 18. ex laico, Papa CXXXXVIII. ordinatus, sedit annis ferme 9. Heinricus quoq; Imperator 3. id. Iulij absq; filio diem obiens apud Episcopatum * Benbergerensem à se constructum, quem omnium prædiorum & thesaurorum suorum reliquerat hæredem, in Basilica S. Petri sepelitur. Deinde Conradus senior fili⁹ Heinrici & Adalheidæ, & patruelis eius Cōradus filius Conradi Ducis ex Mathilde, ad regnū præcipue adniterentur, habito apud villam Kambam principum * p. conuentu, senior Conradus, Rex promotus, & ab Aribone Archiepiscopo Moguntiaci vnctus est 6. Id. septemb. Nec multo pòst vxor eius Gisela à Piligrino Archiepiscopo Coloniæ Regina nihilominus benedicta 11. Calend. Octob.

* al. Babenbergensem.

1025. Rebellio & discordia multa contra Conradum Regem à patruele eius Conrado, & Ernusto Duce Alamanniç, priuigno eius VVelph quoq; Sueuigena Comite & alijs pluribus facta.

1026. Rex Conradus sedatis ex parte rebellibus, circa tempus Quadragesimç cum exercitu Italiam adijt, & Pascha Vircellis acto totam, prçter Luccam vrbem Tusciæ, Italiam in cis Romanis partibus sibi subiugauit. Ernust Dux Alamanniæ cùm eo ipso anno interpellante matre, pacificatus Campidonensem loco beneficij Abbatiam accepit, suisq;

 mili-

militibus distribuit, nec multo post priuato auersus consilio iterum rebellauit. Ipso anno Constantię Heimo Episcopus subita morte pleuresi tact⁹ decessit, eiq; VVarmannus successit annis fermè 8. Burghardus quoq; Campadonensis & Rhenaugiensis Abbas obijt, eiq; Rhenaugiæ Pirhtilo Abbas substituitur. Brun Augustensis Episcopus, & VVelph Comes prædis & incendijs inter se de mutuo debacchantur.

1027. Conradus Rex acto Yporegiæ Natali Domini in vlteriora progressus, Luccam cum Reginbero Marchione in deditionem accepit, Romamque perueniens, à Ioanne Papa in die sancto Paschæ Imperator coronatus est, subactaq; Italia tota reuersus, in Alamañia apud Vlmam placitum habuit, ibiq; ad deditionem Ernustum Ducem priuignum suum & VVelph Comitē cum alijs accipiens, per aliquot tempora exilio deputauit. Cinyburg castrum VVerenharij Comitis adhuc renitentis, aliaque nonnulla rebellium castra capta sunt. Conradus & patruelis eius sese Imperatori tradens, in exilium nihilominus mittitur. VVerinharius Argentinæ Præsul Constantinopolim ab Imperatore legatus dirigitur, ibique insequenti anno defunctus VVilihelmum successorem accepit. Hiltegart *Bdchaugię Abbas efficitur.

*Buchaugiæ.

1028. Heinric⁹ filius Imperatoris Aquisgrani in die Sancto Paschę Rex à Principibus cunctis adhuc puer electus, à Piligrino Coloniensi Archiepiscopo vnctus est.

1029. Imperatore Ratisbonę Paschale festum agente Brun Augustensis Episcopus, summus Symmista eius vita inibi decessit, Augustęq; in incepta S. Mauricij Basilica sepultus Eberhardum accepit successorem.

1030. Ernust Dux cum exilio relaxatus ducatum suum recepisset, priuatorum cōnsilio vsus, & denuo Imperatori refragatus, Ducatu priuatur: & frater eius iunior Herimannus

Dux

Dux Sueuorum efficitur. Conradus Imperator iam dudum inimicitiis cum Stephano Vngariorum Rege conflatis Pannoniam petijt,& quantum fluminibus & paludibus non obstantibus poterat, Rabam deuastauit. Interim in Alamannia cum Ernust dudum Dux eiusq; complices paruis virib⁹ contra Imperatorem agitantes, prædis circa siluam Martianam populares infestarent, à Manegoldo Comite ex Augiensi militia obseruati,& 16. Calend. Septemb. conserto prœlio victi sunt. Ipsoq; Manegoltto ibidem perempto, Ernust pridem Dux,& VVerinhere Comes caput rebellionis, Adalbertus quoq; & VVerin nobiles milites cum alijs ceciderunt. & Ernust Constantię, Manegoldus verò Augię sepulti sunt. Burghardus Augensis monachus Ratisbonę apud S. Emmerammum Abbas promouetur. Pax cum Stephano Rege Vngariorum redintegratur.

1031. Aribo Mogontinę sedis Archiepiscopus Romã orandi gratia petens, hac vita decessit: eiq; in Archipręsulatu Bardo vita & habitu monachi venerandi successit. Primi lapides Ecclesiæ sancti Megenradi cellæ 6. Id. Maij positi.

1032. Rudolfus ignauus Burgundię regulus obijt,& diadema eius regniq; insignia Conrado Imperatori per * Seligerum allata sunt. Imperatoreq; ipsis diebus contra Misiconem Sclauorum, qui Boloni vocantur, Regem exercitum ducante, Odo sororis eiusdem Rudolfi filius, princeps Gallicæ Campaniæ, regnum Burgundiæ inuasit, captisq; Nuenbug & Murtena castris, sua in eis præsidia posuit. Bern. Augiæ Abbas, missis Romam Cœnobij sui priuilegijs, à Papa Ioanne itẽ priuilegiũ cũ sandaliis, vt episcopalib⁹ indumentis Missas ageret, accepit. Vnde permoto VVarmaño Constantiensi Episcopo, apud Impatorẽ quasi sui peruasor officij & honoris accusat⁹ eousq; ab vtrisq; coartatur, donec *idẽ in Cœna Domini sequẽtis an. incendendũ. Ipso an. Bocaugiense Cœnobium

*Vrstis. edit. ita: cum sandaliis priuilegium ipsi Episcopo traderet publicè in Synodo sua, id est, in Cœna Domini.

bium 11. Idus Ianuarij incendio flagrat. Bertha auia mea fœmina satis religiosa 23. viduitatis anno 11. Calend. Ianuarij decessit.

1033. Imperator post Natalem Domini Burgundiam petijt. Murcenam obsedit: sed impediente Hyemis algore nihil inibi se dignum potuit efficere. Idem rursum æstate ipsam Odonis prouinciam, Gallicam inuadens Campaniam prædis & incendijs deuastauit, donec ipse Odo supplex ad eum veniret, & clementer susceptus satisfactionem licet fictè promitteret. Romæ defuncto Ioanne Benedictus * IIX. qui & Theophylactus Papa CXXXXVIIII. ordinatus, licet indignis tanto ordini moribus & factis, sedit annis plus 12. Eclipsis solis 3. Calend. Iulij circa septimam diei horam facta.

* al. IX.

1034. Imperator iterum Burgundiam cum magnis petens copijs omnia cis Rodanum castella subiecit, Murcenam diruit, Genuensem vrbem intrauit, Ludunensem Archiepiscopum Burghardum, genere nobilem & strenuum, sed per omnia scelestum & sacrilegum, cum multis alijs principibus in deditionem accepit, subiugatoq; Burgundiæ regno redijt. Ipso anno VVarmanno Constantiensi Episcopo mortuo frater eius Eberhardus succedens plus 12. præfuit annis. Megenhardo quoq; præsule VVerzeburgensi defuncto Brun patruelis Imperatoris filius * Seliæq; ex Mathilde Conradi Ducis Episcopatum die Paschæ accepit apud sanctum * eciam. Theobaldo Abbate decedente Nordpertus successit. Pagani Sclaui Leutizi dicti Saxoniæ terminos infestant.

1035. In Italia minores milites contra dominos suos insurgentes, & suis legibus viuere, eosq; opprimere volentes, validam coniurationem fecêre. Ad quos coërcendos cùm primores adunati pugnam inirent multi vtrinq; ceciderunt; inter quos & Aistensis Episcopus vulneratus interijt. Adelbero

bero Dux Carentani & Histriæ amissa Imperatoris gratia, ducatu quoque priuatus est. Leutizi VVirbinam castellum clam proditum capiunt, multosq; nostrorum occidunt, captiuos abducunt. Imperator vi transito Albia flumine prouinciam eorum ingrediens, late vastat. Synodus magna apud Tiburiam ab Imperatore collecta est.

1036. Piligrinus Coloniensis Archiepiscopus decessit; eiq; Herimannus Ottonis II. Imperatoris ex filia nepos successit. Gebehardus 2. Ratisbonensis Episcopus 16. Calend. Maij obijt; pro quo 3. Gebehardus Conradi Imperatoris ex matre Adelheide frater Episcopus ordinatur. Heinricus Rex filius Imperatoris Chunihildem Cnutonis Danorum & Anglorum filiam regalibus sibi apud * Nouiomagnum nuptijs copulauit vxorem. Conradus patruelis Imperatoris patris sui ducatum in Carentano & in Histria, quem Adelbero habuerat, ab Imperatore suscepit. Heremannus quoq; Dux Alamanniæ Marcham soceri sui Meginfridi in Italia ab Imperatore accepit. Leutizi Sclaui Imperatori vectigales facti. Burghardus Lugdunensis Archiepiscopus imo tyrannus & sacrilegijs Ecclesiarum deprædator incestuosus, cùm Vdalricum Selegereri filium bello peteret, ab ipso victus & captus Imperatoriq; adduct⁹, ferro compeditus & custodia mancipatus, multis annis detinetur in vinculis. Imperator hyeme Italiā petit. Sanctimoniales & Domina Irmĕgarda VVelph Comitis vidua apud Altorf pro clericis collectę sunt.

* al. Nouiomagum.

Lugdunensis.

1037. Imperator celebrato Veronæ Natali Domini, per Brixiam & Cremonam Mediolanum peruenit, inde Papiam adiens Heribertum Mediolanensem Archiepiscopum, infidelitatis accusatum, apprehendi iussit, eumq; Poponi Patriarchæ Aquilegiensi custodiendum commendauit: qui fuga elapsus cunctis viribus eidem Imperatori rebellare contendit. Imperator Paschali festo Rauennæ acto territorium Medio-

diolanense repetijt, vrbem obsedit, castella, villas omniaq; circum ad rebelles continentia vastauit. Coniuratorum verò manum facilè compescuit, eisq; legem quam & prioribus habuerant temporibus, scripto roborauit. Papa Benedictus Cremonam ad Imperatorem venit. Episcopi Placentinus, Cremonensis, & Vircellensis incusati ab Imperatore, captiq;, & in exilium missi. Ipso anno pugna inter Odonem Gallicæ Campaniæ Principem Gozzilonem Lotringorum Ducem cōmissa. Odo victus & cum suis fugatus in ipsa fuga peremtus interijt.

1038. Cum Imperator Natalē Domini Parmæ ageret, orto inter Parmenses ciues & exercitum tumultu, multi ceciderunt, & pluribus ciuium trucidatis, ipsa ciuitas incendio consumpta est. Papa Archiepiscopum Mediolanensē Imperatori adhuc rebellantem excommunicat. Imperator cum vltra Romanas partes peragrasset, indeq; per Adriatici maris oras remearet, mense Iulio ingens exercitum pestilentia inuasit, & plurimos passim extinxit; inter quos Chunihildis Regina Heinrici Regis vxor 17. Calend. Augusti defuncta, & ad castrum Linaburg translata, ibiq; sepulta est. Hermañus quoq; Dux Alamanniæ suis admodū flebili morte 5. Calend. Augusti occumbens Tridenti tumulatus est. Imperator de Italia reuersus Solodori colloquio habito, plurimos Burgundionum primores tam sibi quàm filio suo subiectionem sacramento firmare cœpit. Ipso anno Stephanus Vngariorum Rex cum ante plurimos annos se cum tota gente sua ad Christi fidem conuertisset, Ecclesiasq; multas & Episcopatus contraxisset, & regnum suum probis mitissimus * opā impedisset, Petrū sororis suæ filium de Venetia natum pro se Regem constituens, obijt.

1039. Conradus Imperator apud Traiectum Fresiæ vrbem, Pentecosten 3. Nonas Iunij inopinata morte subito decessit,

ceſſit: & Nemetum allatus ibiq; ſepultus eſt: & filius eius Rex Heinricus gubernaculum regni ſuſcepit. Regiabaldus quoq; Nemetenſis Epiſcopus, vir vita & habitu monachico verendus, 3. Idus Octob. deceſſit: eiq; Sibicho fama longe diſſimilis ſucceſſit. Conradus & Dux Carentani & Adelbero æmulus eius, qui ante eum ducatum eundem tenuerant, ipſo anno obierunt. Heinricus Rex mota in Boëmiam expeditione, cum Dux gentis Brezizlaus filium ſuum ob fidem ei obſidem miſiſſet, ſeq; ipſum venturum & imperata facturum, licet ficte promiſiſſet, ſtatim redijt. Petrus Rex Vngariorum hyeme terminos regni ſui inuadens, prædis, incendiis, & captiuitate depopulatur. Eccleſia cellæ ſancti Meginradi 3. Idus Octobris dedicatur, & * reliquiæ corpus ſancti Meginradi.

1040. Heinricus Rex Boëmienſium Ducem iterum rebellantem petens, ad præſtructionem ſeu munitionem Siluæ citra & vltra expugnandam, partem expeditam exercitus per deuia ſaltus in prouinciam miſit: ſed cum vndecimo Calend: Septembris iſtac, craſtina verò die illac milites ſiluoſa difficilia & obſtructa loca ingreſſi caſſo labore iā fatigabundi, firmiſſimam quandam machinam oppugnatū aggredi fruſtra tentarent, irruentibus vndiq; Boëmanis cæſi, capti, fugatiq;, & qui in prouincia adhuc ex noſtris remanſerant, interueniente Gunthario Eremita incolumes educti redierunt. Rex vero plurimis militum & procerum amiſſis, infecto interim negotio diſceſſit. Eberhardus Babenbergenſis Eccleſiæ primus Epiſcopus anno promotionis 33. deceſſit: cui Suidegerus natione Saxo, vir laudabilis ſucceſſit.

1041. Heinric9 Rex reddito Boëmano Duci obſide filio ſuo, captiuos in Silua captos redemit; ſecutaq; æſtate collecto

grandi exercitu prouinciam ipsam per deuia ingressus, prædis & incendijs cuncta deuastat, donec Dux malis subactus pacem postularet, sui deditionē, & cum tota gente subiectionem, Ratisbonamq; se ad Regem venturum & imperata facturum, fidelibus Regis ad se vocatis promitteret. Quod & Rege discedente, mox facto, impleuit. Ipso anno Vngarij perfidi Ouonem quendam Regem sibi constituentes, Petrum Regem suum occidere moliuntur; qui vix fuga lapsus primo ad Marchionem nostrum Adelbertum sororis suæ maritum profugus venit, indeq; ad Regem Heinricum veniens, pedibusq; eius prouolutus veniam & gratiam implorauit & impetrauit.

1042. Heinricus Rex hyeme Burgundiam inuasit, multosq; Principum se illi subijcientes suscepit, nonnullaq; legitimè diiudicauit. Ouo Vngariorum tyrannus, ob susceptum à nostro Rege Petrum, diuisit bifariam exercitum suum; fines Baioariç ex vtraq; parte Denubij deprędans & incēdens depopulatur. sed vna pars exercitus eius à Septentrionali parte Denubij ab Adalberto Marchione & filio eius Luitpaldo ad internecionem cęsa est. Heinricus quoq; autumno Pannonias petens Heimenburg & Brecesburg euertit: Septentrionalem Danubij partem (quia flumina Australem & paludes munierant) vsq; ad Grana flumen vastauit seu in deditionem accepit: & pars exercitus bis numero Vngariam incursantibus congrediens, strages magnas effecit, & subactis partium illarum Vngarijs, cùm Petrum recipere nollent, quendam alium ex illis, item apud Boëmanos exulantem, Ducem eis constituit; quem tamen Ouo statim post discessum Regis, resistere non valentem, in Boëmiam repulit. Popo Patriarcha Aquilegiensis obijt eiq; Eberhardus Augustensis Canonicus à Rege promotus successit.

Danubij.

1043. Gisela Imperatrix apud Goslere, quamuis, à sortilegis

legis nonnunquam vera sibi prædicentibus decepta, filio Regi se superuicturam, crederet * desuncere morbo 15. Calend. Maij decessit, & Nemeti iuxta maritum Imperatorem sepulta est. Æstas pluuiosa frugum & vindemiarum penuriam fecit. Heinricus Rex iterum Pannonias petens, ab Ouone vix pactum, satisfactionem, obsides, munera, regniq; vsq; ad Litha fluuium, partem accipiens, discessit; inde in Alamanniam veniens, in Synodo Constantiensi cunctis, qui contra se deliquerant, primum ipse debitum omne dimisit, deinde precibus & adhortationibus omnes præsentes Sueuigenas, postea in alijs regni sui prouincijs idem actum iri satagens, dimissis debitis & inimicitijs, sibi inuicem reconciliauit; pacemq; multis sæculis inauditam efficiens, per edictum confirmauit. Exin Agnetem VVilhelmi Pictauiensis filiam sponsam suam accipiens, & Mogontiaci Reginam inungi faciens, regales apud Ingelheim nuptias celebrauit, & in vano histrionum fauore nihili pendendo, vtile cunctis exemplum, vacuos eos & mœrentes dimittendo proposuit. Vbi quoq; Luitpaldus Adalberti Marchionis filius, magnæ virtutis & pietatis adolescens, ab ipso Rege Marchio promotus; & post paucos dies defunctus Treuiri à patruo suo Poppone Archiepiscopo sepultus.

*leg. dysenteria.

1044. Maxima pestis pecudum, & hyems satis dura, & niuosa magnam vinearum partem frigore perdidit, & frugum sterilitas famem non modicam effecit. Gozzilo Dux Lotharingorum moriens Gozzilino filio quamuis ignauo ducatum suum à Rege Heinrico promissum, relinquere disposuit. Filius ei Godefridus iam dudum Dux cum ducatum fratri debitum contra fas à Rege Heinrico sibi obtinere nequiuisset, iusiurandum fidemq; postponens, rebellare pio Regi præsumit. Ouo Rex, cùm iusiurandum pactumq; fregisset, Heinric⁹ Rex cum perparuis copijs Pannonias petijt,

 quem

quem Ouo, qui maximum parauerat exercitum, in tantum despexit, vt eum quasi facile occidendum seu capiendum, prouinciam ingredi fineret: Sed Heinricus parte copiarum Rabam fluuium festinè in diuino confisus auxilio trāsuadauit, pugnam cunctis militibus passim festinātibus, inijt, & in prima congressione innumerabilem Vngariorū exercitum fugauit & prostrauit; & paucissimis suorum amissis ipsemet fortissime pugnans gloriosissimam victoriam adeptus est 3. Non: Iulij. Et Ouone Rege vix fuga elapso omnes Vngarij ad deditionem seruitium promittunt. Ipse vero, vt erat per omnia pijssimus, Petrum iam dudum expulsum regno suo restituit. Vngarios petentes lege Baioarica donauit, ipseq; cum triumpho in regnum suum redijt. Nec multo post idem Ouo à Petro Rege deprehensus, scelerū suorum pœnas capite plexus persoluit. Eodem anno Ludovvicus Comes Reginoldum Principem Reginæ (Agnetis) auunculum, sed Heinrico Regi inimicum, dum quoddam castellum eius, quod Mons Piligardæ dicitur, magna cū manu expugnare pararet, cum parua militum suorum copia pugnā iniens vicit, multisq; cæsis reliquos fugauit. Romani Benedictum Papam multis criminatum sede sua pellunt & Siluestrum quendam in locum eius statuunt, quem tamen postea Benedictus quibusdam sibi fauentibus, excommunicatum depulit, sediq; suæ redditus seipsum postea priuauit, & alium pro se ob auaritiam contra Canones ordinat. Heribertus Meodilnai Archiepiscopus obijt. Beggelinheim castellum Gottefridi à Rege destruitur. Gebehardus Rauennas Archiepiscopus obijt, & pro eo VVideger constituitur.

1045. Reginolt & Gerolt Burgundiones Regi apud Solodorum ad deditionem venerunt. Otto Palatinus Comes Paschali hebdomada Dux Alamanniæ apud Goslare à

Rege

Rege constituitur. Petrus Rex Heinricum Regem in festiuitate Pentecostes ad se inuitatum cum magno apparatu suscepit, & maximis muneribus donauit, eiq; regnum Panoniarum, Principibus Vngariorũ fidelitatem illi & successoribus eius iuramento firmantibus, reddidit: quod tamen ab eo ipse dum viueret possidendum recepit. In quo videlicet itinere Rex quoddam vetus solatium ascendens, cum multis alijs ædificio cadente, corruit; ipsoq;, Deo protegente, illæso, Brun VVirtzeburgensis Episcopus lethaliter cum alijs collapsus, post vnam hebdomadam 7. Calend. Iunij obijt, & ad sedem suam reportatus ibiq; sepultus, Adalberonem * susceptorem suscepit. Gotefridus Dux rebellioni suæ desperans, Regique ad deditionem veniens, in custodiam mittitur. VVido Mediolani Archiepiscopus constituitur, Sclaui, qui Luitici dicuntur, Saxoniæ terminos inquietantes, Regi illò cum copijs militum venienti se tradunt, & solitum censum promittunt. Autumnali tempore * Guticharius Eremita ad Christum migrauit, & in Praga Boëmiæ vrbe sepultus quiescit. Per idem tempus regale colloquiũ apud Triburiam condictum grauis Regis infirmitas præpedit, quo etiam tempore Agnes Regina filiam Regi peperit.

* al. successorē.

* al. Guntharius,

1046. Rex Natalem Domini in Saxonia apud Goslare celebrauit. Magna mortalitas multos passim * continxit. Eggehardus Marchio ditissimus subito moriens prædiorum suorum Regem reliquit hæredem. Rex Paschale festum apud Traiectum Fresiæ vrbem egit, & subsecutis diebus nauali expeditione in Phlatirtingam fretum traijciens, pagum quendam quem Theodoricus Marchio sibi vsurpauerat, ab eo eripuit: vnde idem postea rebellionis causam sumpsit. Sanctam autem Pentecosten Aquisgrani faciens, Gotefrido Duci custodia relaxato sibiq;

* al. extinxit.

pro-

procedenti terratenus prostrato ducatum suum misertus reddidit. Quibus etiam diebus VVidgerum, qui Rauennæ præsulatum iam biennio inepte & crudeliter, nondum consecratus, tenebat, ad se vocatum Episcopatu priuauit. Sequenti tempore Rex in Italiam expeditionem parat. Fridericus frater Heinrici Ducis Baioariæ Dux Lotharingorum pro Gotefridi fratre ignauo Gozzilone constituitur. Subsecuto autumno Vngarij pristrinę perfidię suæ memores, Andream quendam Regem sibi statuunt. Petrum Regem multis aduenarum, qui pro eo pugnauerant, occisis,* varijs cum coniuge sua alendum deputant; multis etiam per idem tempus peregrinis inibi expoliatis, exulatis atq; necatis. quo comperto Rex Heinricus, qui iam valido exercitu congregato in Italiam iter cœperat, nimis indoluit, sed inceptam expeditionem non deseruit. Itaq; coadunato exercitu Papiæ Synodum celebrauit, inde Placentiam veniens, Gratianum, quem expulsis prioribus Romani Papam statuerant, ad se venientem honorificè suscepit; sicq; cunctis prosperè cedentibus, iuxta Natalem Domini non longe ab vrbe Roma apud* Sitiram Synodo item acta, causaq; erraneorum Pontificum diligentius ventilata, Gratianum Papam conuictum pastorali baculo priuauit. dein omnium tam Romanorum quàm aliorum assensu Suidgerum Episcopum qui post Eberhardum Primum secundus Babenbergensem sexto iam anno regebat Ecclesiam, nimium reluctantem summum Romanæ Ecclesiæ elegit Pontificem. sicq; circa Vigilias Natalis Domini ipsam ingrediuntur vrbem. Eadem nocte bonæ memoriæ Eberhardus Constantiensis Ecclesiæ Episcopus inibi in porticu S. Petri sepeliendus obijt 13. Episcopatus sui anno.

** vulg. edit. Varius cũ coniuge sua iniurium affectum, postremo oculis priuant, & in quendã locum, cum eadẽ coniuge sua alendum deportant.*

** leg. Sutriam.*

1047. In ipsa Natalis die Domini præfatus Suidgerus natione Saxo, Apostolicæ Sedi Papa (*CLI.*) ex more consecratus

tus & nomine auctus, Clemens II. vocatus est. qui mox ipsa die Heinricum Regem, coniugem eius Agnetem imperiali benedictione sublimauit, peractisq; Missarum solennijs, ipse Dominus Papa & Imperator cum Imperatrice ita vt erat coronatus, ad Lateranense palatium cum ingenti gloria proficiscuntur, cunctis ciuibus Romanis mirantibus, honoremq; singulis quibusq; pro facultate obiter impendētibus, completisq; Romæ cum summa pace aliquot diebus, Imperator magnam exercitus partem patriam redire permittens, ipse cum reliquo ad vlteriora contendit. Circa idem tempus Imperator prę́sules nonnullos constituit, inter quos Rauennati Ecclesiæ Hunfridum cancellarium suum in Italia; Constantiensi Theodericum per alias prouincias Cancellarium suum & Archicapellanum & Aquisgrani Præpositum; Argentinæ Herrandum Præpositum pro VVilhelmo autumnali tempore defuncto; Viridunensi Theodericum, Basileæ Præpositum & Capellanum Pontifices præfecit. Imperator verò Roma egressus nonnulla castella sibi rebellantia cepit, prouincias, ꝑut videbatur, disposuit; Duces Nordmannis, qui in illis partibus cōmorantur, & alijs eo locorum vrbibus constituit. sed socru Imperatoris de monte Gargano Beneuentum reuersa, orto tumultu, Beneuentani ciues quibusdam eam iniurijs afficiunt. Vnde sæuam ab Imperatore vindictam metuentes eiq; se subdere non præsumentes, rebellionem ineunt. Sed Imperator, qui magnos, vt dictum est, exercitus iam remiserat, & ad alia occupato animo, iam patriam tendebat, tantam tunc temporis ciuitatem aggredi distulit, interimq; eo infecto negotio, sed aliàs vniuersa Italia parente pacataq; redire disposuit. Interea Imperatrix Agnes, quæ Roma ab Imperatore digressa fuerat, in Rauennati territorio filiam peperit. Imperator verò cœpto redeundi itinere, Mantuę Paschale festum in grauissima de-

cumbens ægritudine commoratur.. Postea conualescens corpus beati VVidonis Pompasiæ monasterij Abbatis in magna sanctitate ante non integrum annum defuncti, plurimis glorificatum miraculis de Parmensi, vbi sepultum fuit, ciuitate, ad vrbem Spiram transferendum, magno secum cum honore de Italia rediens deuexit. In quo itinere Augustam Vindelicam in Litanijs ante Ascensionem Domini veniens, Eberhardo vrbis eiusdem Episcopo in aduentu eius defuncto, Heinricum Capellanum suum successorē constituit. Actoq; inibi eodem festo, Pentecostes solennia Spiræ celebrauit, ibiq; colloquium cum regni Principibus habuit, & corpus præfati Abbatis in incepta extra vrbem Basilica tumulari fecit. Quo tempore VVelf Comitem Sueuigenam, VVelf dudum Comitis filium, Carentani Ducem promouit. Auunculum quoq; eius Adalberonem Ducem, videlicet Heinrici & Friderici fratrem, Metensis Ecclesiæ Episcopum, post Theodericū nuper defunctum constituit. Itē Poppone Archiepiscopo ipsis diebus defuncto Treuirensi vrbi Eberhardum VVormaciæ Præpositum Archipræsulem præfecit. Per idem tempus cùm expeditionem in Pannonias ad Petrum vlciscendū disponeret, Godefridus Dux cum Balduino de Flandris, & alijs nonnullis rebellionem innouasse, bellūq; copijs collectis parauisse, Theoderic⁹ quoq; de Phladritinga Marchio rebellauisse & Episcopatus sibi cōtiguos ad injuriā Imperatoris populatus esse nunciatur. Preterea Andreas, qui regnum Petri obtinuit, iam crebro legatos supplices miserat, regnum se ab Vngarijs coactum suscepisse confirmās, de Petri sese iniurijs excusans, quiq; aduers⁹ eum coniurauerant, partim à se trucidatos partim ipsi Imperatori tradendos denuncians, suamq; Imperatori subiectionem, annuum censum, & deuotam seruitutē, si regnum sibi habere permitteret, mandans. * Quibus dilata expeditione illa, cùm Gotefridus quoq; rebellionē suam callidis legationibus

* quibus ex causis.

nibus dissimularet, autumnali tempore nauali expeditione collecta, contra Theodericum in Phladirtingam arma commouit. Interea Otto Sueuorum Dux, qui prouinciã sibi traditã piè ac strenuè tertio iam anno regebat, immaturo obitu diem clausit extremum. Ipsis quoq; diebus Baioariæ Dux Heinricus defunctus Treueris sepelitur. Clemens etiam qui Suidegerus Papa in Romanis partib⁹ nono mense ꝓmotionis suæ diem obiens ad Epatum suum Babinberg reportatus tumulatur. Imperator expeditione in Phlatirtingã traiecta, aquosis impedientibus locis, parũ proficere potuit, & reuertens aduersarijs matino cursu leuibus scaphis latrocinãtium more sequentibus, & extremos quosq; incursando cędentibus, non modicam in excercitu cladẽ pertulit. Ipso quoq; tempore Gotefridus inter alia, quæ contra Regem gessit, Viridunensem ciuitatem dolo captam incendit & euertit, cuius Ducatum Adalberto cuidam tradit.

1048. Imperator Natales Domini in Saxonia moratus, confestim per VVirzeburg in Alamanniam venit, & Vlmæ colloquium habens, Ottonem de * Suuvurt Marchionem, Ducem constituit. Indeq; Baioariam veniens Quadragesimale & Paschale tempus exigit. Eadem Quadragesima sanguis, vt creditur, Domini apud vrbem Mantuam diuina per quendam cæcum reuelatione inuenitur, & plurimis miraculis declaratur. Imperator Ratispona, vbi Pascha cum Ottone & Brecizlao Ducibus & multis Principib⁹ egit, digressus, Alamaniã repetit, & in Augiã nostram ingressus 8. Calend Maij nouã sancti Marci Euangelistæ Patroni nostri Basilicam * à dño Bern. Abbate constructam, se præsente à Theoderico Constantiensi Epo dedicari fecit, & eiusdẽ Sãcti festo in litania maiore apud nos acto, Ascensionẽ Dñi Turego, Pentecosten autẽ Solodoro celebrauit. Habitoq; ibi cum * Burdionibus colloquio per Franciã Orientalem in Saxoniam remeauit. Peridem tempus Dñs Bern. Abbas

* al. Suinfurti.

* leg. à Domino Bernardo.

* leg Burgundionibus.

Augiæ vir doctus & moribus insignis anno promotionis suę 40. in senectute bona morbo confectus 7. Idus Iunij diem vltimum clausit, & in Basilica sancti Marci sepultus quiescit. In cuius locum Vdalricus Decanus, à fratribus electus, Abbas ab Imperatore statuitur. Defuncto quoque viro docto * VVazone Leodij Pontifice Dietvvinus successit. Sequente Iulio, Poppo Brixiensis Episcopus ab Imperatore electus Romam mittitur, & honorificè susceptus Apostolicæ Sedi Papa CLII. ordinatus, mutato nomine Damasus II. vocatur. Sed paucis diebus exactis defunctus, & ad sanctum Laurentiũ extra vrbem sepultus est. Autumnali tempore Heinricus Imperator, & Heinricus Galliarum Rex in Metensi territorio conuenientes pacem pactumq; inter se iuramento confirmant. Quibus diebus terræ motus magnus factus est nocte 3. Idus Octob. Ipsis item diebus Agnes Imperatrix filiam Imperatori peperit. Eodem etiam tempore Godefridus Adalbertum Ducem se deprædantem persecutus, & dimissa multitudine cum paucis inuentum, cum alijs, qui repugnare tentabant, occidit. Post quem Gerhardus Dux ab Imperatore cõstituitur. Ipsis Imperator diebus Argenturatum, & inde prope Natalis Domini Vlmam venit sicq; in Baioariam proficiscitur.

*al. VVattone

1049. Imperator Natalem Frisingiæ & Purificationem sanctæ Mariæ Ratisponæ agens Baioariæ Ducem Conradum constituit: & circa Quadragesimale tempus in Saxoniam recessit. Gotebaldus Metensis Præpositus Aquileiæ Patriarcha post Eberhardum his diebus defunctum ab Imperatore promouetur. Interea glaciali hyeme suppeditante, nonnulli de partibus maritimis milites & Principes cum Leodiensi Episcopo & Traiectensi atq; Metensi congregati, Theoderico in Phlatirtingam insidias tendunt, commissaque pugna victum occidunt & prouinciam illam

Impe-

Imperatori subijciunt. Quam tamen non multo post Gotefridus occupans, ab eisdem pugna petitus & victus, vix aufugit. Per idem tempus Bruno Leucorum Episcopus ab Imperatore electus Romamq; missus summo honore suscipitur, & in Quadragesima Papa 153. ordinatus Leonis nomen accipit. Qui in proximo Pascha Vdalricum Augiensis Cœnobij prouisorem, Romam venientem Abbatis benedictione consecrauit, & Monasterij eiusdem priuilegia antiquitus à sede Apostolica tradita, sua autoritate confirmauit & innouauit, Indictione secunda. 7. Cal. Aprilis. Idem Papa in hebdomada post Albas Synodum cum Italiæ Episcopis maximè contra Simoniacam hæresin Romæ celebrauit. Idem in hebdomada Pentecostes aliam Synodum Papiæ congregauit: Indeq; per montem Iouis cum pluribus Romanorum in cisalpinas partes deuenit. Exactoq; tempore Odilo venerabilis coloniacẽsis Cœnobij & multorum pater Monasteriorũ 4. Non. Ianuarij migrauit ad Dominum. Secuta æstate cum Imperator expeditionem contra Gotefridum & VValdevvinum à Domno Papa excommunicatos pararet, Gotefridus tam manum Imperatoris quàm Papæ excommunicationem pertimescens, ad deditionem Aquisgrani venit & opitulante Papa gratiam Imperatoris promeruit. VValdevvinus vero vtrumq; contemnens vastata ab exercitu magna ex parte ꝓuincia sua, tãdem obsides dedit, & pactum cum Imperatore fecit. Autumnali tempore Domnus Papa Synodum magnam Remis cum Galliarum Episcopis habuit, indeq; Mogontiacum veniens, aliam Synodum 40. Episcoporum coram Imperatore & regni nostri Principibus celebrauit, & postea Alamanniam adiens Augiæ festum sancti Clementis, & Dominicam ante Aduentũ 6. Calend. Decembris egit, ac per Augustam Baioriamq; transiens, Natalem Domini Veronæ coluit.

Cluniatensis.

1050. Imperator verò idem festum in Saxonia mansit. Ipsa hyeme cùm Episcopus Ratisbonæ Ratigeberhardus, qui* Capidonem Abbatiam nuper beneficij loco ab Imperatore acceperat, in Pannoniarum terminis moraretur, cedentibus Vngarijs, fines eorum ingrediens, prædas inde abduxit. Sed ipso discedente, plurimus Vngariorum exercitus fines nostrorum inuadens, plurimam partem captiuauit, incendit, atque vastauit. Imperator Paschale tempus apud Traiectum moratur. Domnus Papa Leo post Pascha Synodum item Romæ collegit, & subsecuto tempore vltra Romam progrediens nonnullos locorum Principes & ciuitates tam sibi quàm Imperatori iureiurando subiecit, Beneuentanosque adhuc rebellantes excommunicauit. Nonnulli etiam exterarum Principes gentium, missis ad eum, vtpote Apostolicum virum, legatis, subiectionem ipsi promittunt. Imperator contra Gazmerum Ducem Bolanorum rebellionem molientem, expeditionem parat, grauique infirmitate detentus, pacem pactumque eum petentem suscipiens discessit. Gebehardus Ratisbonensis Episcopus cum Conrado Duce Baioariæ & Adelberto Marchione, alijsque quibusdam Episcopis & Principibus Baioariæ Heimenburp reædificant, & magnam Vngariorum copiam se inuadentem prosternunt, & vsque ad innumerabilis exercitus eorum præsentiam, refugientem persequuntur; cunctisque Vngariorum agminibus diuinitus immisso terrore, vertentibus terga, ad castra, Deo gratias reddentes reuertuntur. Ipso autumno Domnus Papa Synodum Vercellis collegit & Hunfridum Archiepiscopum pro quadam inter Rauennatem & Romanam Ecclesiam contentione ab officio suspendit; indeque Gallias & Episcopatum suum * Leucerum ciuitatem reuisit. Quoq; tempore Agnes Imperatrix tandem Imperatori filium peperit.

* leg. Campidonensem.

* al. Leucorũ.

Im-

1051. Imperator Natalem Domini in Saxonia apud Goslare egit, & multos ex Principibus filio suo iureiurando fidem subiectionemque promittere fecit. Nec multo post ipse * Dominus cum multis Episcopis & Principibus apud Augustam Vindelicam conuenientes, Purificationem Domini Genitricis celebrauerunt. Rauennateque Archiepiscopo apud Papam inibi reconciliato, charitatiuè à se inuicem discedentes, Papa Romam reuertitur; Imperator Nemeti partem Quadragesimæ, Paschæ verò festum Coloniæ demoratur: ibiq; filius eius Heinricus ab Archiepiscopo Herrimanno baptizatur. Post Pascha item Domnus Leo Papa Synodum Romæ collegit, vbi inter alia Gregorium Vercellensem Episcopum propter adulteriũ cum vidua quadam auunculi sui sponsa admissum, & periuria perpetrata, absentem & nescientem excommunicauit: quẽ tamen non multo post Romã venientẽ & satisfactionẽ promittentem, officio priori restituit. Per idem tempus Imperator Lantpertum Comitem rebellare molientem, ad deditionem compulit. Eadem æstate Bardo venerabilis Mogontinæ sedis ex monacho Archiepiscopus, omni pietate & sanctitate mirabilis 3. Idus Iunij adhuc vita subtract⁹ multis post obitum claret miraculis: pro quo Imperator Luidpaldum Babinbergensem Præpositum constituit. Item pro Theodorico Coustanciẽsi Episcopo 10. Calend: Iulij quinto præsulatus sui ãno post longam ægritudinnem defuncto, Rumaldum promouit. Rauennas quoque Archiepiscopus Hunifridus veneno, vt aiũt, subito perijt. Sequenti autumno magno cum exercitu Imperator, pactum Andreæ Regis, vt per legatos offerebatur, accipere contemnens, Pannonias petijt, Gebehardoque Ratisponensi Episcopo & VVelf Brezizlaoque Ducibus ad Septentrionalẽ partem Danubij depopulandam transmissis, ipse deuecto è nauibus quan-

* al. ipse & Dominus Papa.

quantum poterat sumptu, longo propter fluuiorum illuuionem circuitu, per Carentani fines transiens, periurumq; regnum inuadens hac & illac Vngarico exercitu latrocinantium more fugitante, & nusquam æquo Marte conferre manum audente, omnia circumquaq; quoad sumptus militi suppetebant, vasta reddidit. Sed cum laboranti iam penuria & fame exercitui Vngarij iam reditum pararent intercludere, oppositisq; per ripas fluminum præmunitas vadosasq; paludes copijs suis, omnes se vel ad deditionem cogere vel inedia minitarentur extinguere, milites interriti hostes per fluuios obsistentes, incunctanter transuadentes fugant, quandamq; munitionē firmissimam ad pontem * Rabantza fluminis structam, in qua maximam hostis fiduciam habebat, quidam ex Burgundionibus, Saxonibus, & Bolanis milites non sine sui periculo flumine transito, in breui expugnatam capiunt, cæsis palatisq; Vngarijs * reliquo exercitui....

*al. Rabiniza.

* Exercitui viam pandunt. Reliqua enim in nostro m. s. absunt, quæ lege in Vrstisiana duplici editione, vbi subiunctū habes Chronicon Bertoldi Constantiensis, qui ab obitu Hermanni, hoc est, ab anno 1054. continuat historiam vsq; ad an. MC.

CON-

CONCILIA PRO-VINCIALIA,

SALISBVRGENSIA TRIA ET VNVM VIENNENSE;

NVNC PRIMVM EX MANVSCRIPTO CODICE BIBLIOTHECÆ SERENISSIMI PRINcipis Bauariæ edita.

AD LECTOREM.

ADMODVM Reuerendus & clarissimus Dominus D. Georgius Lautherius ad D. Virginis Monachij Præpositus, &c. pro ea, qua præditus est recondita eruditione, omnisq; antiquitatis scientia, eruit è tenebris manuscripti codicis hæc Concilia, digna luce. Illi ergo, amice Lector, tu pariter mecum acceptum refer, & gratias habe, quod habes hæc, quæ scio, venerabéris, videbisq; quasi præsens, faciem aliquam Germanicæ Ecclesiæ illorum temporum. Nomen Archiepiscopi Saltzburg. non exprimitur in primo Concilio, sed literâ F. innuitur: Ego audacter Fridericum interpretor; qui, teste Eberhardo Altahensi, obijt anno 1284. De tempore Concilij Saltzburgensis, quod apographum nostrum refert ad annum 1274. non contemnenda difficultas oboritur. Nam testibus Eberhardo Altahensi & Sterone, celebratum est generale Concilium eodem anno 1274. apud Lugdunum; cuius statuta vt seruentur, præcipit hoc nostrum Saltzburgense Concilium in initio. Necesse ergo est vel* eodem anno Lugdunẽse & Saltzburgense Concilia celebrata, vel in numero mendam esse. Accedit quod Heinricus Stero editione Fr. hæc habeat: Anno 1281. à Friderico Saltzburgensi Archiepiscopo apud Saltzburgam Concilium celebratur. Quæ verba numerata omnia dat etiam noster Eberhardus Altabensis: in cuius editione retinuimus, propter sequentia & antecedentia, numerum anni 1281. licet manuscriptus Codex Eberhardi habuerit (vt notauimus ibi in margine) annum 1186. sine dubio vitiosè: cùm Fridericus Saltzburg. Archiepiscopus obierit ann. 1284. An vero id ipsum nostrum sit Conciliũ Saltzburgense, cui adscriptus 1274 annus, omnino diserte, Nescio: sed non puto. Bonum vero factum censui, Lectorem admone-

* quod mihi probabile, si singulis annis tum celebrata Concilia: qui mos è Canonibus probus & notus.

admoneri. *Quare autem potius duo diuersa hac prouincialia Concilia fuisse putem, vnum anno 1274. alterum 1281. celebratum, mouent me verba huius nostri Concilij hæc:* Alioqui nos in proximo prouinciali Concilio ad reformationẽ prædicti Ordinis, quantum de iure possumus, procedemus. *Vbi vides in hoc Concilio promitti quasi proximum aliud. Et paulo post ibidem:* In proximo prouinciali Concilio fidem nobis faciant priuilegiorum. *Et iterum:* In ipso proximo prouinciali Concilio, seu Episcopali Synodo, quem terminum ipsis peremptorium assignamus, legitimis documẽtis edoceant. *Imo singulis annis tum Synodus Prouincialis cogebatur: quod colligo ex Viennensis Concilij his verbis:* Singulis annis in Synodo illi, qui Clericos capiunt, &c. excommunicati denuncientur. *Imo anno IV. Pipini Regis in Concilio apud Palatium Vernis Statutum Can. 4. vt bis in anno Synodus celebraretur.*

De Concilio Viennensi in Annalibus nostri Henr. Steronis supra fol. 299. anno 1267. luculentum testimonium inuenies: quod vbi perlegeris, gratulaberis, scio, te integrum possidere, quod Stero tàm honorificè citat.

CONSTITVTIONES SALISBVRGENSIS CONCILII, HABITI ANNO 1274.

AD honorem & gloriam sponsæ Christi, & fidei Christianę. Nos Dei Gratia * F. sanctę Salisburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus * A. S. L. Leo, Petrus, Bruno, VVernhardus, & Ioannes Ratisponensis, Patauiensis, Brixinensis, Secouensis, & Chimensis Ecclesiarum Episcopi, in prouinciali hoc sancto Concilio congregati, de consilio Ven. Prælatorum Saltzburgensis prouinciæ, qui præsenti intersunt Concilio; absentium etiam fratrum, tàm Episcoporum, quàm aliorum Prælatorum accedente consensu, diffiniendo præcipimus, vt Episcopi, Abbates, Archidiaconi, & alij Ecclesiarum Prælati, statuta sacri generalis Concilij celebrati ꝓximè in Lugduno, in Ecclesijs & subditis suis clericis & laicis, secundũ quod eadem statuta istis & illis conueniunt & quantum eos tangunt, sic solicitè & frequenter studeant publicare, vt ipsorum * pronunciantium, & subditorum memoriæ & obseruantiæ imprimãtur. Sed & Constitutiones venerãdę memorię quondam domini Guuidonis tituli S. Laurentij in Lucina presbyteri Cardinalis in prouincia Salisburg. Apostolicæ Sedis legati, quę licet Ecclesiarum vtilitatem contineant, & salutem suadeant animarum, in dissuetudinem transierunt, cum prędicti generalis Concilij ordinationibus & statutis, necnon & his, quæ pro vtilitate locorum & temporum in hoc prouinciali

* *Fridericus.*

* *Apostolicæ Sedis Legatus.*

Quæ erant ad oram apographi apponot Statuta sacri Concilii Lugdun. publicentur.

* *fort. prouincialium.*

Item constitutiones Domini Guidonis Cardinalis S. Laurentii in Lucina.

uinciali Concilio apponentur à nobis ad notitiam subditorum taliter deducantur, ne quenquam totius prouinciæ probabilis error ac ignorantia valeat excusare.

Item prouincialis huius Concilij

Cum Abbates Ordinis S. Benedicti Salisburgensis prouinciæ capitula sua prouincialia, longis retro temporibus non curauerint celebrare, propter quod circa regulares obseruantias idem Ordo non mediocriter est collapsus, nos eisdem Abbatibus nostræ prouinciæ firmiter & districtè præcipiendo mandamus, vt prouinciale Capitulum suum infra festum Resurrectionis venturum proximo celebrent, iuxta formam à sacris Canonibus eis datam. In quo de moribus corrigendis, tàm in seipsis, quàm in suis subditis tractent & ordinent diligenter. Alioquin nos in proximo prouinciali Concilio ad reformationem prædicti Ordinis, quantum de iure possumus, procedemus.

Abbates S. Benedicti celebrent Capitula prouincialia.

Ex nunc tamē eisdem Abbatibus præcipimus & mandamus, vt monachos fugitiuos in seculo diuagantes reuocari procurent. Et quod in singulis monasterijs carcer fiat, in quo incorrigibiles seu aliâs delinquentes enormiter monachi, prout culpæ qualitas exigit, recludantur.

Monachos fugitiuos reuocent.

Carceres construant.

Sed nec licitum sit Abbatibus, cum nec vnquam licuerit, monachos ad ordinem strictiorem transeuntes minimè absoluere ab obedientia, quæ monachorum ossibus inseparabiliter est affixa.

Monachos ad strictiorem Ordinem transeuntes ab obedientia non absoluant.

Illam & prauam Abbatum consuetudinem reprobamus, qua Abbates pro excessibus leuibus, & nonnunquam simulatis offensis passim & indifferenter de Monasterijs ad Monasteria monachos suos mittunt, cum delictum potius illic puniri & mori debeat, vbi committitur & patratur, cùm nec tales missi ad alia monasteria peccata sua lugeant, sed vagentur potius dissolutè. Quod si necessitas exigit, vt monachus ad monasterium aliud transmittatur, hoc Abbati

Pro leuibus offensis ad alia monasteria nō mittant.

 non

Sine necessitate transmissionē exigat, causa eiusdē & tempus reditus ab Epō ordinetur

non liceat, nisi causa missionis & tempus reditus per loci Episcopum ordinentur.

Sunt insuper quidam Abbates, qui indulgentijs & remissionib⁹ faciendis in mitris, annulis, sedibus * defferendis nec non in benedictione sacrarum vestium, & Ecclesiasticorum vasorum, & cæteris, quæ ordinem & officium Ecclesiæ requirunt, sibi Pontificum potestates vsurpant; his districtè præcipiendo mandamus, vt de cætero talia non attentent, aut in proximo prouinciali Concilio fidem nobis faciant priuilegiorum, quibus sibi talem vendicant potestatem.

Vasa sacra & similia non benedicant, nisi habeant priuilegia Pontificia, de quibus fidem faciant.

Eadem obseruentur à Canonicis regularibus.

Hæc eadem in Canonicis regularibus, quantum diuersitas religionum sustinet, volumus obseruari; salua dignitate & priuilegio Saltzburgensis Capituli, cuius ordinationem nos Archiepiscopus nobis specialiter reseruamus. Cæterum in alijs, quæ ad morum correctionem & obseruantias pertinent, regulares sibi in prouinciali Capitulo sic prouideant, ne nos ipsis in hoc deficientibus prouidere cogamur; maximè in moderandis eorum euectionibus & quibusdam vanitatibus, quæ ad pompam labentis seculi pertinent, refrenandis in ipsis.

Ad hæc, cum prędecessores nostri bonæ memorię Pontifices diuersarum religionum fratribus, in confessionibus audiendis, remissionibus & indulgentijs largiendis, & alijs pluribus facięndis, quæ ad Sacerdotale & Pontificale ministerium pertinent, potestatem suam duxerint committendam, quarum Religionum nonnullę in proximo generali Concilio sint sublatæ, quorum & fratrum aliqui potestate sibi tradita sunt abusi, nos auctoritate præsentis Concilij, omnium auctoritatem, potestatem, siue licentiā à nobis vel à nostris prædecessoribus cuicunq; Religioni vel Ordini aut fratri

Reuocantur concessiones datæ religiosis, de audiendis confessionibus & largiendis indulgentijs.

fratribus ordinum quorumcunq; traditam, in præmissis, aut aliquo præmissorum, reuocamus in totum.

Si quis autem ex vobis nouam super his commissionem decreuit facere, in hoc, illud quod saluti animarum expedit, & alieno iuri non detrahat, arbitretur.

Pręterea cùm prędicti nostri antedecessores Clericorũ Episcoporum remissiones & indulgentias in Diœcesibus suis datas diuersis locis ordinibus & personis ratas habere cõsueuerint indistinctè, ac per hoc formam modosq; correctionis debitæ, sicut experimento didicimus, in locis pluribus * enumerentur, præsentis * Synodi omnes & singulas ratihabitiones, tàm nostras, quàm prædecessorum nostrorum in huiusmodi indulgentijs manere volumus in suspenso, & ne quis eis vtatur, sub anathemate prohibemus, donec Episcopus loci ordinarius plenè discutiat, quas in quibus locis ratas habere conueniat, aut quas magis expediat reuocari; & hoc maximè in personis quæstuariorum volumus obseruari, qui per huiusmodi indulgentias indiscretas ad contemptum clauium & errorem longè plures præcipitant, quàm erigant ad salutem. Hos & nullo modo recipi volumus, vel admitti, nisi cum diœces. Episcopi nuncio litteratorio destinato.

** fort. enerueni.*

** fort. Synodi auctoritate.*

Quæstuarij nullo modo recipiantur.

Cum in prouincia Salzb. diuersi Clerici sæculares non ponentes terminum auaritiæ, nec salutem propriam prætendentes, onerare se pluribus beneficijs Ecclesiasticis non formident; Nos, qui aliorũ indigentijs & saluti occurrere cupimus, & Ecclesiarum necessitatibus prouidere, auctoritate præsentis Concilij firmiter & districtè præcipimus, vt singuli plura beneficia possidentes, aut recepto vltimo sint cõtenti, aut in ipso proximo ꝓuinciali Concilio, seu Epali Synodo, quẽ terminũ ipsis peremptorium assignamus, legitimis documentis edoceant, secũ esse ꝑ eum, qui de iure

Pluralitas beneficiorum inhibetur.

hoc

Nisi adsint dispensationes eorum qui de iure dispensare possunt.

hęc facere potuerit, dispensatum, alioquin nos tam formam Canonum, circa hoc traditam, quàm Statutum bonæ memoriæ Domini Gvvidonis Card. quondam in prouincia nostra A. S. L. prouidere curabimus beneficijs & personis.

Cæterum cum per mercenarios temporales, quos Ecclesiarum rectores & plebani in Ecclesijs parochialibus instituunt & destituunt nonnunquam interposito turpi pacto, animarum salus & Ecclesiarum vtilitas damnabiliter negligantur. Nos omnes & singulos clericos in Saltzb. Prouincia curam animarum habentes huius auctoritate Concilij ad personalem in beneficijs residentiã reuocamus, terminum eis peremptoriũ festum Purificat. Beatæ Mariæ Virginis venturum proximo assignantes, omnibus & singulis licentijs pro dissimulanda eorum absentia ipsis datis penitus reuocatis; salua nobis auctoritate dandi licentiam ijs, quibus visum fuerit expedire. Quod si præmissa contempserint aut neglexerint adimplere, & tunc ipsos à perceptione fructuum & administratione temporalium suspendimus, & volumus remanere suspensos; quod si temerè se ingesserint, priuati sint beneficijs ipso iure. Fructus autem per locorum Archidiaconos in vtilitatẽ illius Ecclesiæ conuertantur; salua Vicarij sufficienti & debita portione. Eisdem insuper Ecclesiarum Rectoribus pręcipimus, vt ad ordinem, quem beneficij sui cura requirit, se faciant ordinari infra tempus à Canone institutum; alioquin quod de non residentibus est pręDictum, circa fructus non percipiendos & priuationem beneficij intelligi volumus in eisdem. In beneficijs vero, quibus licet per vicarios deseruire, volumus sic seruari, vt viri idonei, loci Episcopo præsententur, qui per se vel per alios ipsos in huiusmodi Vicarijs perpetuet, & sufficientẽ suis necessitatibus de Ecclesiarum redditibus eis constituat portionem: alioquin singuli Episcopi per suas diœceses elapso trimestri tempore prouidere curabunt.

Clerici animarum curam habentes in parochijs resideãt.

Rectores Ecclesiarum Ordines requisitos recipiant.

Edi-

Edicto perpetuo prohibemus, ne Clerici comam nutriant, maximè Sacerdotes, qui taliter tondeantur, vt pateant eis aures. Cæteri inferioris ordinis Clerici in tonsura non multum discrepent ab eisdem, coronam & desuper congruentem habeant.

Clerici comam non nutriant.

Vestes nõ deferãt nisi clausas, quas omnimodo prohibemus à latere aperiri. Argentatis aut quocunq; metallo ordinatis cingulis, fibulis, nodulis, in manicis & capitijs non vtantur, sed nec procedant in publicum * circumcincti veste suprema. In pileis suffurraturas non habeant, nisi fortè de nigro cenlato, vel panno, aut nigra pelle * aguna. Caudata pillea districtissimè prohibemus.

Vestes clausas deferant. Quales ea esse debeant.

** Fort: nisi circumcincti.*

** Fort. agnina.*

Clericus nõ viator, in sacris ordinib⁹ constitutus, aut Monachus, vel Canonicus regularis, si tabernam intrauerit sine causa euidenti, rationabili & honesta ibiq; bibens aut comedens, aut in vicino loco seruienti tabernæ, vel aliàs publico aliquantulam moram traxerit, ab officio sit suspensus, donec vnum diem in pane & aqua ieiunet. si ibidem luserit ad aleas vel taxillos, ab officio sit suspensus, donec duos dies in pane & aqua ieiunet. Sed in his tertio deprehensus consuetudinem non amittat, aut si suspensus ingesserit se diuinis, per sententiam Episcopi priuetur beneficio, si quod habet; si non habet, pro Episcopi arbitrio puniatur.

Clerici nõ viatores tabernam ne ingrediantur.

Sacerdos, qui excommunicatione aut officij suspensione ligatus animo indurato præsumpserit profanare diuina, Episcopali carceri mancipetur, vsq; ad expiationem tanti criminis puniendus; & hoc idem in Clerico, seu Religioso, in furto vel alias in enormi crimine deprehenso, volumus obseruari.

Clericus excõmunicatus sacra profanans carceri mancipetur.

Qui Clericum vel Monachum pro excessibus suis à Prælato suo rationabiliter captiuatum præsumpserit fracto carcere liberare, ipso facto sentẽtia excommunicationis, quam

Clericũ rationabiliter captum fracto carcere liberans

ex nunc in ipsum proferimus, sit ligatus:& si possibile fuerit, qui non liberandum liberat, pœnam patiatur, & carcerem, & in locum subeat iniustè liberati.

Prælati neminem tondeant aut benedicāt nisi approbatam profiteatur regulam.

Nullus deinceps prælatus, nullus plebanus, nullus alius, cuiuscunque ordinis vel religionis existat, masculum aut fæminam tonsurare aut benedicere sibi vestes præsumat, nisi certam de approbatis profiteatur regulam, & se destinet certo loco: Eos vero vel eas, qui vel quæ contrarium fecerint, à locorum rectoribus vel plebanis per censuram Ecclesiasticam, monitione præmissa, compelli præcipimus; aut certæ Religioni se conferant, aut religionis vestem, quæ vagandi eis præstet materiam & opportunitatem accommodat delinquendi, abijciant; ne irregularem vitam religiosa vestis obumbret. Hoc statutum tantum extendi volumus in futurum.

Contra vagos scholares, Fahrende Schuler.

Sub vagorum scholarium nomine quidam per Saltzb. prouinciam discurrentes Monasterijs & Ecclesijs se exhibent adeò onerosos, quod per eorum importunitatis audaciam, nonnunquam Clerici illud eis erogare coguntur, de quo fuit necessitatibus pauperum prouidendum: denegantibus sibi suffragia (per quæ occasionem nutriunt malæ vitæ) calumnias inferunt; conferentibus sibi quod postulant, vituperium existunt: reuerentiæ Clericali vtique multum detrahitur, dum blasphemia huiusmodi se personas Ecclesiasticas profitētur. Vt autē viri huiusmodi per subtractionem nostri & nobis subditorum suffragij resipiscere compellātur, auctoritate sacri Concilij prohibemus, ne quis Prælatorum, Plebanorum, aut Vicariorum, seu quæcunque persona Ecclesiastica post spacium duorum mensium, infra quem terminum de ordinata sibi vita prouideant, ipsis aliquid beneficij, vel iuuaminis erogare præsumat. Qui contrarium fecerit, tamdiu ab ingressu Ecclesiæ sit suspensus

donec

donec in subsidium terræ sanctæ vsualis monetæ conferat vnam libram. Hanc tamen constitutionem extendi volumus ad pauperes aduenas, & pro necessitatibus suis publicè mendicantes.

Ludi quidam in Ecclesia prohibentur.

Lego: Episcopatus puerorũ.

Ad hæc quidam ludi noxij, quos vulgaris elocutio * Eptus puor. appellat, in quibusdam Ecclesijs exercentes adeo insolenter, quod nonnunquam enormes culpę & damna grauia subsequuntur. Ex ipsis hos ludos in Ecclesijs, & à personis Ecclesiasticis de cætero fieri prohibemus; nisi fortè parui XVI. annorum & infra fuerint, qui huiusmodi ludos exercent; quibus alij seniores ipsis nullatenus se misceant, aut intersint.

Sententias cẽsurarum, quas vnus iuste protulerit, cæteri quoq; publicẽt.

Sententias excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, quas vnus ex nobis iustè protulerit, cæteri per ciuitates suas publicabunt, & à suis faciant subditis vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari: sic vt ad puniendum scelera peruersorum celeritate communi nobis inuicem succurramus.

Festa S. Ruperti, Virgilij & Augustini celebrentur.

Patres nostros venerabiles & patronos venerabiliter honorandos B. S. Rupertum, Virgilium, & Augustinum, honoribus debitis, nostræ humilitatis obsequijs venerantes, dies festorum suorum celebres esse volumus; & sub pœna excommunicationis præcipimus in eisdem diebus ab omni seruili opere abstineri.

Religiosus extra professionẽ suam Confessorem nõ eligat.

Nulli Religioso liceat extra suam Professionem vel Ordinem sibi eligere confessorem, nisi de Prælati sui licentia speciali.

Pœna Religiosorum qui legitime correcti inuocant brachiũ secularem.

Si aduersus correctionem Superioris sui monachus aut Religiosus quicunque secularis personæ adiutorium aut potentiam duxerit inuocandam, si huiusmodi inuocatione vsus fuerit, carcerali custodia tanto tempore cõcludatur, donec præsumptionem huiusmodi pro Superioris arbitrio

pœna ſufficiens recompenſet. Et vt alijs talia præſumendi pœnæ duritia ſit terrori, præſumptionem huiuſmodi nullo vnquam tempore in eadem Eccleſia ſeu Monaſterio cuiuſquam dignitatis vel adminiſtrationis officium conſequatur; aliàs etiam pro ſuperioris arbitrio legitime puniendus.

Guidonis Cardinalis ſtatutū obſeruetur.

Statutum venerãdæ memoriæ Domini Gvvidonis quõdam tituli S. Laurentij in Luſcina presbyteri Card. quondam in noſtra prouincia A.S. Leg. quo ſalubriter eſt prouiſum, vt in diœceſi, in qua contingit Prælatum aliquem aut Canonicum cathedralis Eccleſiæ captiuari, ceſſetur generaliter à Diuinis, pro neceſſitate* corporis, ad nos Archiepiſcopum & Epiſcopos extendentes, præſenti cõſtituimus edicto, vt ſi (quod abſit) Archiepiſcopum vel Epiſcopum ex nobis captiuari contingat, aut Eccleſias noſtras vel alterius noſtrum ſic hoſtiliter & iniurioſè inuadi, vt de ſubuerſione ſtatus ipſius probabiliter timeatur, ex tunc, per totam prouinciam Saltzb. ceſſetur generaliter à Diuinis; poſtquam de captiuitate aut perſecutione huiuſmodi per prouinciam innotuerit manifeſtè. Perſonis tamen illuſtribus decoratis Principum dignitate, pro ipſorum reuerentia deferentes, præſens edictum ad eos & terras eorum extendi volumus, niſi prius admoniti ceſſare contempſerint ab offenſis huiuſmodi, nec emendare voluerint infra vnius menſis ſpacium, quod fecerunt.

** fort. temporis.*

Contra recipientes Prælaturam aut Eccleſias de manu laicorum.

Aduerſus præſumptionem damnabilem Clericorum, Prælaturas aut Parochiales Eccleſias temeritate propria occupantium, aut recipientium de manibus laicorum, antequam per diœceſanum loci, vel ſuperiorem eius, ſi ipſe facere quod tenetur neglexerit; fuerit inueſtitus; auctoritate *Ɒ.ƆC. iure, ſi quod habet in beneficio eodem, ſit ipſo iure priuatus; & nihilominus ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat: in qua ſi per annum perſtiterit contumaci-

** Antonius Velſerus, frater Marci, vir vndequaq; in*

maciter animo indurato, ab omni Ecclesiastico beneficio remoueatur, tanquã inhabilis & indignus nunquam de cætero ad aliquod aliud beneficium admittendus. Hanc & constitutionem incidere voluimus, qui iam in præmissis delinquere præsumserunt.

omni antiquitate & recondita eruditione doctissimus, monuit hu nostri hanc lectionem subesse: præsentis Concilij Nihil opinor certius.

Præsentis auctoritate Concilij Ecclesiarum Aduocatos, qui Ecclesias onerant, vltra consuetam & debitam seruitutem, ac per hoc Ecclesiarum libertates violant & infringunt, publicè commonemus, vt ab indebitis vexationibus Ecclesiarum & bonis ipsarum abstineant, & iuris debitis sint contenti; alioquin aduersus eorum iniuriam mediante iustitia refrenandum, ad concessa nobis iuris beneficia recurremus.

CONSTITVTIONES CONCILII VIENNENSIS, ANNO 1267.

Vide Henricũ Steronem ſu pra ſol. 299.

FRater Gvvido tituli ſancti Laurentij in Lucina Preſbyter Card. A. S. Legatus Concilium celebrauit in Vienna 6. Idus Maij. Cui interfuerunt Ioannes Pragenſis, Petrus Patauienſis, Conradus Friſingenſis, Leo Ratiſponenſis, Bruno Brixinenſis, Amalricus Lauendinus, Epiſcopi; & quamplures Abbates, Præpoſiti, Archidiaconi, & Decani, vbi ſubſcriptæ Conſtitutiones ſunt editæ, & ab eodem Concilio approbatæ.

Fr. Gvvido miſeratione diuina, tituli ſancti Laurentij in Lucina preſbyter Card. A. S. Legatus ad perpetuam rei memoriam. Poſtquam Deus formauit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, & in ætate virili cum ipſo etiam ius naturale produxit, iuris enim naturalis origo & creaturæ rationalis cœpit exordia, quod quidem ad diſpendium omne mundi naſcentis & temporis motum ſufficeret, ſi non ſibi mortem, quam Deus non fecit, rationalis creatura proprijs manibus & pedibus quæſiuiſſet. Hæc iuris inſtituta primæui protinus iuſtitia poſitiua ſubſequenter ab eodem regulariter auctore procedens, ſub mortis interminatione morſum *primi noxialis prohibuit, cõtra prohibitionem concepta circa maledictionis ſententiam prodijt ab auctore, vt non tantum vltio ferretur in auctores ſcelerum, verum etiam in progeniem damnatorum. Ex hinc vſu hominum exigente, & dno* rerum introducto, quod primæui re-

**leg pomi.*

**fort. dominio.*

ui regula nesciebat, ex humanis necessitatibus quædam sibi homines iura condiderunt. Traditæ sunt à Domino per Moysen iustitiæ Leges, cuius singulis pænè syllabis Christus includitur. Deinde Prophetæ subsequuntur, & Reges, qui Christi præconia euidentiori sermone describunt. Donec temporis plenitudine veniente, impleta veritate figurisque cessantibus, Rex noster in æternum iura mansura disposuit. Datæ sunt enim claues perpetuæ Petro, à quo totius iuris Ecclesiastici pulchritudo manauit, quæ ad singulas prouincias ob vindictam in nationibus, & increpationes in populis faciendas, nunc per Summorum Pontificum, nunc per Sedis Apostolicæ Legatos Statuta, tanquam per quosdam riuulos deriuantur, vt hominum quotidie crescente malitia, & effrænata cupiditate, quæ noua litigia generare non cessant, sub districtione virium coarctatis, discant honestè viuere, Altissimũ non lædere, ius suũ vnicuiq; tribuere. Hinc est, quod cum sanctissimus Pater noster Clemens Papa IV. ad Saltzb. prouinciam & ciuitatem & diœcesim Pragensem cum plenæ legationis officio nos duxerit transmittendos, officij nostri debitum libenter exequemur, euellendo, si quæ euellenda, plantando plantanda, recta gerendo & dirigendo salubriter indirecta. Verum quantum expedit ad profectum & robur fidei Christianæ, vt Sacramenta Ecclesiæ, in quibus tanquam in vasis medicinalibus populus deuotus & humilis antidotum gratiæ recipere consueuit, in honore & reuerentia, ab omnibus habeantur, cùm ea plerunq; contingat effici vilia propter vilem & abominabilem ministrorum Ecclesiæ conuersatione, vniuersis Ecclesiasticis personis prouinciæ Salisburg. & ciuitati, & diœcesi Pragẽs. præcipim⁹, vt in victu, gestu & alijs operib⁹ ac circumstantijs Status sui, sic honestè se habeãt, & decenter, ne ꝓpter ipsos nomen Ecclesiasticum inter laicos blasphemetur: eisdẽ districtius inhibẽtes, ne de patrimonio

Clerus in victu, gestu & alijs se habeat decenter.

Cruci-

Crucifixi inimicos se faciãt Crucis Christi, sicut illi, quorum Deus venter est, qui terrena sapiunt non diuina, in conuiuijs suis modestiam & mediocritatem obseruent, superfluitatem indebitam resecantes, ebrietatem omnium vitiorum fomitem & nutricem deuitent. Prælati verò à grauaminibus abstineant subditorum, & maximè cùm Ecclesias visitant, moderentur expensas; exerceant euectionum nummum, prout in generali Concilio fuit diffinitum. Præsentis igitur Concilij approbatione præcipimus, vt Clerici continenter & castè viuere studeãt, quatenus puro corde & mundo corpore Deo possint in officio Ecclesiastico ministrare. Si qui verò de cætero deprehensi fuerint detinere publicè cõcubinas, nisi infra mẽsem se ab eis & ab earũ cõsortio separauerint, ita quod domibus ipsorũ aut proprijs aut alijs q. buscunq; non cohabitent, nec ad illas accedant: ex tunc enim beneficio Ecclesiastico sint priuati, vt per eos, ad quos beneficiorum prædictorum spectat collatio, personis idoneis conferantur. Item cùm in plerisq; locis quorundam laicorum iniquitas inualuerit, quod in rebus Ecclesiæ furtum reputetur sagacitas, rapina probitas, & violentia fortitudo, Synodali iudicio diffinimus, vt qui bona Ecclesiarum scienter detinent occupata, non infra instans festum B. Io. Baptistæ eadem restituerint, & de damnis ac iniurijs satisfecerint competẽter, ex tunc introitum Ecclesiæ sibi nouerint interdictum, nec ab Episcopis, aut alijs Ecclesiarũ Prælatis ad communionẽ Dominici Corporis admittantur. Qui verò obstinata mente, dum vixerint, satisfacere non curauerint, nullus Clericus sæcularis vel regularis sepulturæ eorũ interesse præsumat, adijcientes, vt singulis annis in Synodo, illi qui Clericos capiunt, verberant, vel occidunt aut aliàs in ipsos manus inijciunt violentas, excõmunicati denuntiẽtur & nominati de illis, de quib⁹ constituit manifestè. Quicunq; verò

Prælati à grauaminibus abstineant subditorum.

Clerici continenter & castè viuant.

Laici bona Ecclesiæ occupata restituant.

Clericorũ verberatores & interfectores singulis annis in Synodo excommunicentur.

verò personam Ecclesiasticam enormiter violauerit, mutilauerit, vel occiderit aut captiuauerit, non nisi per Sedem Apostolicam absoluatur: & illo facto, si quid tenebat ab Ecclesia illud perdat, & in vtilitatem Ecclesiæ conuertatur. Adijcientes quod in illa diœcesi, in qua aliquem Canonicum Cathedralis Ecclesiæ, vel in dignitate Ecclesiastica constitutum capi contigerit, vel captum detineri, vsq; ad liberationem ipsius & exhibitionē debitæ satisfactionis cessetur generaliter à diuinis, similiter, & in illa parochia, in qua res violenter ablatas capi, vel detineri contigerit, vsq; ad restaurationem congruam à diuinis cessetur. Item cum detentores plurium personatuum, seu beneficiorum, cum cura, sine dispensatione, sint sacrorum Canonum transgressores, & fructus talium beneficiorum percipiendos furtum committere dinoscantur, præsenti decreto statuimus, vt omnis qui huiusmodi dignitatum, personatuum seu beneficiorum cum cura, pluralitate detinent, illi qui sunt de prouincia Saltzb. super hoc secum dispensatum fuisse coram venerabili patre Dei gratia electo Saltzb. infra instans festum B. Io. Baptistæ, doceant manifestè. Alioquin ex tunc vltimo beneficio recepto sint contenti, & alia quæ prius habuerunt, per illos, ad quos dictorum beneficiorum collatio pertinet, personis idoneis conferantur. Si verò vtrumq; retinere contenderint, nos ipsos & primis & vltimis decreuimus ex tunc manere priuatos. Item cum Leuitis seu Ecclesiasticis personis iure diuino decimæ debeãtur, dolentes referimus, quod quorundam laicorum cupiditas ius huiusce-modi, quod sibi Deus in signum generalis dominij retinuit, nititur abolere, & pro sua voluntate, de his quę ad ipsos non pertinent, aliter ordinare, imò potius deordinare præsumunt, quasi à se diuini seruitij iugum velint excutere, quod in baptismate sunt professi. Huius igitur approbatione Con-

Capto Prælato aut Canonico Cathedralis Ecclesiæ cessetur à Diuinis.

Pluralitas beneficiorum inhibetur.

Decimæ debẽtur Clericis nõ laicis.

cilij districtè præcipimus, vt iuxta laudabilem consuetudinem patriæ, decimæ tam antiquæ, quam etiam de noualibus maiores & minutę plenariè persoluantur: nec liceat alicui laico nobili vel ignobili cuiuscunq; dignitatis vel principatus existat, sibi decimas maximè de minutis & noualibus vsurpare: alioquin si contra fecerit, ab ingressu Ecclesiæ vsq; ad satisfactionē condignam se nouerit esse suspensum. Item dolentes referimus, quod quidam saluti s suæ immemores, & prodigi famæ suæ, tam Clerici, quam laici, per Salisburg. prouinciam constituti, vsuras & contractus vsurarios exercere præsumunt, ad quorum cupiditatē refrænandam statuimus, vt ipsi supra hoc in sacro Concilio præmoniti, à talibus abstineant, alioquin nos ipsos excommunicamus in scriptis, &c. in anno videlicet in cœna Dñi, Assumpt. Beatæ Virg. & in Natiuitate Dñi, pręcipim⁹ per Plebanos & Maiores suos in locis suis excōmunicatos publicè denūciari. Clerici verò beneficiati, qui per tempus trium mensium sententiam excōmunicationis sustinere præsumpserint animo indurato, per suos diœcesanos suis beneficijs spolietur, & personis idoneis per illos, ad quos dictorum beneficiorū spectat collatio, cōferantur, saluis aliis pœnis cōtra vsurarios editis, secundum canonicas Sanctiones. Item ordinamus atq; statuimus, vt Clerici & Ecclesiasticæ personæ, tam sæculares q̄ regulares Prælatorum suorum correctiones legitimas cum debita humilitate suscipiāt, & si qui ex eis hac occasione cōtra suos correctores auxiliū brachij sæcularis inuocauerint, vel potentū preces armatas impetrauerint, vel impetratis vti p̄sumpserint, à suis beneficijs deponātur. Ipsis quoq; Prælatis districtius inhibemus, ne prius minoris ætatis videlicet 18. annorū dignitates, personatus, seu beneficia curam animarum habentia conferre præsumant, vel ad ipsa recipere pręsentatos, nisi cum eis super hoc à Sede Apostolica vel legatis eiusdem extiterit dispensatum.

Vsurarij siue Clerici siue laici excōmunicentur.

Item ad aures nostras per clamosam insinuationē mul-

torum deuenit, q patroni Ecclesiarũ tàm Clerici quàm laici, aduocati & iudices, & præcones bona decedentiũ Clericorũ occupant & vsurpant, volẽtes sibi ab intestato succedere, p suæ volũtatis arbitrio, nõ iudicio rationis. Quare pvidẽ duximus statuendũ, vt patroni Ecclesiarũ, & alij supradicti à talib⁹ de cętero abstineãt, & nisi abstinere voluerint, quousq; sic ablata restituant, excõmunicationis vinculo innodentur.

Itẽ districtius inhibemus, ne aliquis Clericus Ecclesiã parochialẽ à laico patrono recipere beneficium audeat, nisi ab Episcopo vel Archidiacono fuerit institutus, alioquin ab officio & beneficio se nouerint esse suspensos: & laicus, qui auctoritate propria instituere præsũpserit, ipso facto à iure cadat patronatus. Adijcientes q nullus patron⁹ Clericus vel laicus dotẽ Ecclesiæ, in qua ius obtinet patronatus, alienare præsumat: q si cõtra fecerit, ipso facto cadat à iure patronatus, & res alienata ad ius & pprietatẽ Ecclesiæ reuertatur.

Item ordinamus & statuimus, vt Prælati & curam animarum habentes in suis Ecclesijs corporaliter resideant, & ad hoc à suis Episcopis per subtractionem fructuum compellantur, nisi causa legitima se potuerint excusare.

Item cum clamosa insinuatio nostrum pcusserit auditũ & animum q Abbates monachi Ord. S. Benedicti in q̃pluribus locis, ab obseruatiõe S. regulæ temerè recedentes vitã nimis dissolutã ducere non verentur in suarũ animarum periculum & scandalũ plurimorũ. Volentes igitur, vt cõtra huius corruptelam salubre remediũ apponatur, vniuersis Epis Saltzburg. prouinciæ ac Epo Pragensi districtè præcipimus, vt quilibet ipsorum intra dimidium annũ, assumptis secum duobus Abbatib. Cistertien. Ord. oĩa claustra nigrorũ monachorum suæ diœcesis videlicet, corrigat, & reformet tàm in capite quàm in membris; illis tamen exceptis, qui Rom. Ecclesiæ nullo medio subesse noscuntur, quos per nos vel per alios à nobis specialiter deputandos intẽdimus visitare.

 Pro-

Prohibemus etiam Abbatibus, ne calices vel patenas seu sacras vestes benedicere vel consecrare, aut alia Episcopalia officia exercere præsumant, nisi super hoc à Sede Apostolica priuilegium habuerint speciale.

Item cum in tantum insolentiæ Iudęorum excreuerint, vt per eos in quam pluribus Christianis iam dicatur infici puritas Catholicæ sanctitatis, non tam noua cudẽtes quam Sum. Pont. statuta vetera renouantes districtè, præcipimus, vt Iudęi, qui discerni debent in habitu Christianis, cornutũ pileum, quem * quidam in istis partibus cõsueuerunt deferre, & sua * tenuitate deponere præsumpserunt, * resumãtur, vt à Christianis euidenter discerni valeant, sicut olim in generali concilio extitit diffinitũ. Quicunq; autẽ Iudæus sine tali signo deprehẽsus fuerit incedere, à Dño terræ pœna pecuniaria puniatur. Adijcientes vt Iudęi Sacerdoti parochiali, infra cuius parochiæ terminos manserint, pro eo ꝙ loca in quib⁹ Christiani habitare deberent, occupant, iuxta quantitatem damni, quod ei ex hoc inferunt, ad arbitriũ diœcesani loci, omnis prouentus, qui Christianis si ibidem manerent, Sacerdos perciperet, refundere compellantur. Decimas etiam prædiales cum omni integritate persoluant. Prohibemus insuper ne stubas & balnea seu tabernas Christianorum frequentent, seu intrare præsumant, nec seruos vel ancillas, aut nutrices, seu quæq; Christiana mancipia die, noctuue in domibus suis retinere præsumant, nec ad recipiendum telonium seu ad alia publica officia aliquatenus assumantur. Si quis verò Iudæus cum aliqua Christiana fornicationis vitium deprehensus fuerit commisisse, quoadusq; X. marcas argenti ad minus pro emendatione soluerit, districto carceri mancipetur, & mulier Christiana, quæ tam damnatum coïtum elegerit, per ciuitatem fustigata, de ipsa ciuitate sine spe redeundi penitus expellatur. Item omnibus Christia-

* Fort. quidẽ.
* Fort temeritate.
* forte resumant.

ſtianis iſtius prouinciæ & ciuitatis & diœceſis Pragen. ſub pœna excõmunicationis diſtrictius inhibemus, ne Iudæos vel Iudæas ſecum ad conuiuandum recipiant, vel cum eis bibere vel manducare audeant, aut etiam cum ipſis in ſuis nuptijs vel neomenijs, vel ludis ſaltare vel tripudiare præſumant; nec Chriſtiani carnes venales, ſeu alia cibaria à Iudæis emant, ne forte Iudæi per hoc Chriſtianos, quos hoſtes reputant, fraudulenta machinatione venenent. Adijcientes vt ſi de cætero quocunq; prætextu Iudæi à Chriſtianis graues ſeu immoderatas vſuras extorſerint, Chriſtianorum eis * participationem ſubtrahatur, donec de imoderato grauamine ſatisfecerint competenter. Vnde Chriſtiani, ſi opus fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellãtur, ab eorum commertiis abſtinere. Principibus autem iniungimus, vt propter hoc non ſint Chriſtianis infeſti, ſed potius à tanto grauamine Iudæos ſtudeant cohibere. Si verò Sacramentum altaris ante domos eorum deferri contigerit, ipſi Iudęi audito ſonitu præuio, intra domos ſuas ſe recipiant, & feneſtras ac hoſtia ſua claudant. hoc etiam in quolibet die Paraſceues per Pręlatos Eccleſiæ facere compellãtur. Ne pręſumant de fide Catholica cum ſimplicibus diſputare, nec filios & vxores Iudęorum ad fidem Chriſtianam venientium inuitos audeant detinere. Nec Chriſtianos ad Iudaiſmum alliciant, aut aliquo auſu temerario circumcidant. nec Chriſtianos infirmos viſitent, vel circa ipſos exerceant opera medicinę. Synagogam nouam non erigant, & ſi quas erexerint, eas remoueant aut deponant. Vetuſtam, ſi opus fuerit, reficiant, nõ ampliorem, precioſiorem, ſeu etiam altiorem. Carnes in Quadrageſima quãdo Chriſtiani à carnibus abſtinent & ieiunant, apertè vel publicè non deportent. Præcipimus autem Epiſcopis, vt ad hæc omnia obſeruanda in ſingulis articulis Iudæos per abſtractionem cõmunionis Chriſtiano-

* Fort. participatio omnis.

ſtianorum compellant. Ipſos quoq; Principes ac iudices eorundem diſtrictius admonemus, ne Iudæis Statuta noſtra ſeruare nolentibus alicuius protectionis ſeu defenſionis feruorem impendant, ſed ſi aliqua eis à Prælatis Eccleſiaſticis iniungantur, ea fideliter exequantur, alioquin introitum Eccleſiæ & communionem diuinorum Officiorum ſibi nouerint interdictum. Volumus etiam & ſub pœna excommunicationis præcipimus, vt Dominus electus Saltzb. eiuſque Suffraganei nec non & Epiſcopus Pragenſis has conſtitutiones noſtras ſigillo noſtro ſigillatas habeant, eaſq; ſingulis annis in ſynodis Epiſcopalibus & in prouinciali Concilio faciant recitari, & diligentius obſeruari, & ea quæ tangunt laicos, faciant per parochiales Eccleſias ſuarum diœceſium publicare. Acta Viennæ Anno Domini 1267. Menſe Maio Pontificatus Domini Clementis Papæ. IV. Anno tertio.

ANNO DOMINI M. CCCX. CONVOCATO PROVINCIALI CONCILIO SALTZB. ET PROposita ibidem petitione Domini Clementis Papæ Quinti.

Concordauerunt omnes in hoc, quòd summa decimæ duorum annorum, si qua fuerit, vel esse poterit persoluenda, solui debeat Summo Pontifici in terminis infra scriptis: Ita duntaxat, quod primus terminus solutionis faciendæ de primo anno, qui incipiet in isto proximo festo sancti Georgij, sit in proximo futuro festo B. Martini. Et secundus terminus solutionis faciendæ eiusdem anni, sit in proximo subsequenti festo S. Georgij. Et primus terminus secundi anni, sit in alio subsequēti festo S. Martini: secundus verò terminus & vltimus sit post hoc in subsequenti festo S. Georgij. Et quod decimā dabit de omnibus possessionibus, bonis, & redditibus, & beneficijs Ecclesiasticis. Hæc de eis, quæ beneficiorum intuitu possident, expensis necessarijs deductis. Necessarias verò expensas esse dixerunt, quas stando, colendo, colligendo & conseruādo impendant, sine quib⁹ res subsistere non potest. Et quod Ecclesiæ, quarū redditus pro maiori vel pro media parte in obligationibus legatis & testatis cōsistunt, de ijsdem oblationibus legaciæ seu test: decimam soluere teneantur. Itē capitula, collegia, seu conuentus in cōmuni de suis redditib⁹ decimabunt. Itē si quis ex vno beneficio 6. marcarum argenti pōderis * prīę reddit⁹ dūtaxat, eos nō decimabunt:

* leg præsentiæ

Vltra

Vltra verò, si habuerit decimas, inde soluet. Aut si plura beneficia habuit, quæ coniuncta prædictarum marcarum excedant numerum, de ambabus in simul decimabunt. Hospitalis verò & domus leprosorum cum annexis sibi Ecclesijs, super quibus fundata sunt, decimas non præstabunt. De infirmarijs, vestiarijs, sacristijs & hospitalibus religiosorum non decimabitur, nisi si vltra prouisiones necessarias de illis officijs exhibendas esset excessus redditus illorū officiorum; tunc de illo residuo fiet decimatio communi decimæ apponenda. Pastores verò & Vicarij in simul vel quilibet pro parte sua decimabunt, ita tamen, quod plenè de omnibus redditibus Ecclesiæ decima persoluatur. Ordinarij personas prouidas deputabunt, qui eandem decimam colligent & seruabunt. Et si nuncius dñi Apostolici eisdem vnum aut plures voluerit adiungere, suæ relinquatur optioni. Præterea sub iuramento soluentium decima persoluatur. Item Ordinarij subiectos ad solutionem decimę istius per censuram Ecclesiasticam poterunt coarctare. Item decima fiat de bonis Ecclesiarum, hac taxatione præmissa, vt tempus æstimationis soluendæ decimæ bladi & vini sit inter festum sancti Michaëlis, & sancti Martini. De caseis autem soluatur decima sicut Prælati consueuerunt denaria suis rusticis loco caseorum recipere, in festo sancti Georgij secundum ius & terræ consuetudinem.

DECLA-

DECLARATIONES STATVTORVM IN CONCILIO PROVINCIALI DOMINI CHVNradi Archiepiscopi Salzburgensis, Anno 1310.

NOs Conradus DEI gratia S. Saltzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus A. S. Legatus, VVernhardus Patauiensis, Ioannes Brixinensis, Heinricus Gurc. Albertus Chyem. Fridericus Secoui VVernhardus Lauent. Ecclesiarum Episcopi in hoc sacrosancto prouinciali Concilio Saltzb. congregato, de consilio & consensu procuratorum venerabilium Frising. & Ratisp. Episcoporum, plenum ad hoc mandatum habentium, ac assensu Prælatorum Saltzb. prouinciæ in hoc Concilio aggregatorum, nec non procuratorum assensu, huius sacri approbatione Concilij, quædam statuta pœnalia priorum prouincialium Conciliorum ex certis & legitimis causis, vt animarũ periculum caueatur, taliter duximus moderanda. Primo Statutũ de Clericis tabernarijs, quod incipit: Clericus non viator, cum hoc moderamine declaramus; quod causæ rationabilis & honestæ intelligi debeant istæ. Quod si Clericus non viator in Sacris constitutus, aut Religiosus, tabernam intrauerit ad honorandum quempiam amicum, dominum, aut quamcunq; honorabilẽ personam, vel si inpræmeditatè intret oblitus cõstitutionis, seu ex quacunq; necessaria vel vtili causa non voluptuosa, ibiq; biberit vel comederit, pœna statuti præhabiti non ligetur. Hæc tamen moderatio ad lusores non extendatur.

Item Statutum de rationibus faciendis, quod incipit: Item ne, taliter mitigamus quod reuocata pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, Prælatus, qui collegio aut tribus per collegium deputatis saltem semel in anno non fecerit rationem, & à claustri officialibus præsentibus aut vicinis claust. bis, & à remote distantibus semel in anno non audierit rationes, ab administratione temporalium sit suspensus, quam suspensionem si per tres menses post annum rationibus deputatum sustinuerit, animo indurato, ex tunc arbitrio Ordinarij puniatur.

Item iuxta constitutionem Domini Bonifacij, quæ est talis. Clerici, qui clericali ordini non modicum detrahentes, se ioculatores seu galiardos faciunt, aut buffones, si per annum artem illam ignominiosam exercuerint ipso iure; si autem tempore breuiori & tertio admoniti non resipuerint, careant omni priuilegio clericali. Monemus huius approbatione Concilij omnes & singulos tales, vt talem habitum & vitam non assumant & assumptam deponant infra tres menses, quorum vnum pro primo, alterum pro secundo, & tertium pro tertio termino peremptorio assignamus, si pœnam prædictam, quam ipso facto incidunt, voluerint euitare.

Item monemus Abbates Ord. S. Benedicti & Præpositos & Prælatos S. Augustini totius nostræ prouinciæ, vt prouincialia capitula sua, vsq; ad festum Purificationis proximè futurum celebrent, iuxta formam à sacris Canonibus eis datam & deinde de triennio in triennium iuxta formam sacrorum Canonum iam prædictam.

fort. felicis recordationis Bonifacij Papæ octaui prædecessorum.

Clemens, &c. Pastoralis cura solicitudinis nobis diuinit⁹ sup cunctas Christiani populi nationes iniuncta, nos vigilare, remedijs subiectorũ eorundẽ periculis obuiare ac scandala remouere compellit, sanè q̃ ex cõstitutione fe. re. hõi. Pap. 8. p.

p. 8. nostri, q̃ incipit: Clericos laicos. Et ex declaratione seu declarationibus ex illa postmodũ subsecutis nonnulla scandala, pericula magna, & incommoda grauia sunt secuta, & ampliora sequi, nisi cleri remedio succurratur, præsumitur verisimilis in futurum, nos de consilio fratrum nostrorum, constitutionem & declarationem seu declarationes prædictas, & quicquid ex eis secutum est, vel ob eas penitus reuocamus, & eas habere volumus pro infectis, volentes & firmiter statuentes illud contra quoscunq; laicos exigentes seu extorquentes ab Ecclesijs Ecclesiasticisque personis talias seu collectas, aut exactiones quascunq; & contra dantes ad id faciendum auxilium, consilium vel fauorem, nec non circa præstandas subuentiones laicis ab Ecclesiarum Prælatis, & alijs viris Ecclesiasticis inuiolabiliter obseruari, quod super his à prædecessoribus nostris in Lateran. & generali Concilio, quæ nos, sub obtestatione diuini iudicij præcipimus obseruari, districtè salubriter est prouisum. Data *Lud. Cal. Febr. Pontificatus nostri Anno secundo.

* Lugduni

HENRICI

CANISII NO-VIOMAGI IC. ET SS. CANONVM PROFESSORIS ORDINARII IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI,

Notæ.

IN

EPISTOLAS ALCVINI.

TRITHEMIVS DE SCRIPTORIBVS ECCLES.

ALCVINVS *siue Albinus Monachus & Diaconus Abbas Monasterij S. Martini Turonensis, natione Anglicus, S. Bedæ Presbyteri quondam * auditor, vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & in secularium literarum peritia nulli suo tempore secundus, carmine excellens & prosa, de Britannia ab Imperatore Carolo Magno euocatus, in tanta familiaritate apud eum habitus est, vt Imperatoris Magister* delitiosus fuerit appellatus, cuius Magisterio ipse Imperator omnibus liberalium artium disciplinis initiari satagebat. Scripsit multa præclara volumina, de quibus feruntur. De S. Trinitate & fide. lib. 3. Ad quæstiones Fredigisi l. 1. Ad Eulaliã de ratione aĩa l. 1. Ad * Guidonẽ Comitẽ de virtutib l. 1. In Cantica l. 1. Sententiarũ l. 1 In Euang. Ioan. l. 7. In Apoc. Ioan. l. 1. De adoptione filiorũ* DEI *l. 1. De Ecclesiasticis dogmatib. l. 1. Speculum paruulorum l. 1. De nominum* DEI *proprietate l. 1. Vita S. Vedasti Ep. l. 1.** EPISTOLARVM *ad diuersos lib. 1. In Genesin l. 1. In Ecclesiasten l. 1. In Epist. Pauli. l. 14. Ad discipulos dialogus. Enchiridon in quibusdam psalm. De artibus liberalib. Alia quoq; multa scripsisse dicitur, quæ tamen ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Imperio Caroli. M. anno Domini.* 770. Iussu Caroli M. scripsit lib. de diuinis Officijs, item Veteris & Noui Testamenti editionem vulgatam emẽdauit. *E*xtat eiusmodi vetus Bibliorũ codex Alcuini *in Vallicellana nostra bibliotheca,* inquit Baronius añ. 778. *ingens thesaurus.* In bibl. Imp. Viennæ extat m. s. intercessio ꝓ puero Mauro (ad quem infra *E*p. 48.) Scripsit quoq; vitam S. Richarij. ext. 26. Apr. Sur. & VVilembrordi qui & Clemẽs. ext. 7. Nou. Sur. Vide Baron. tom. 9. an. 800. Scripsit quoq; alia multa, At & falsò illi à Baleo tributi sunt quidam libri, qualis: De imaginibus. Item vita Caroli M. cuius *E*ginhardus auctor.

* vide notas in Epist. 23.

* vide notas in ep. 23. & 28. vbi ab Anastasio Albinus vocatur delitiosus ipsius Regis.

* Hic VVitto seu Guido est, cui⁹ añal. Frãc. Pith. ann. 799. & Egolism. in vita Caroli M. meminere.

* Testatur alibi Trithemius difficulter simul omnes Epistolas Alcuini reperiri. extant aliquæ apud Cõtinu at. Bedæ, & bibl. PP.

IN EPISTOLAM I.

fol. 1. versu. 7.

AD Edilhardum) *Variè mutat hoc nomen: Edelhardus, Ethilhardus, Adelardus, Athilhardus, Athelhardus. Fuit Archiepiscopus Dorouernensis; cuius extat mentio in Ingulfi historia & Epistolis Kenulfi Regis Merciorum ad Leonem III. Pontificem Max. & Leonis ad Kenulfum: quas descripsit Continuator Bedæ li. 1. ca. 12. & 13. Dorouernum hodie Cantuaria est. Sunt, q̄ Daruenũ Δαρουένον Ptolomæi putãt. Hanc & alias quasdã Alcuini Epistolas ad Edilhardum citat Malmesbur. l. 1. reg. Angl. c. 3. & 4. & li. 1, & 3. de Pontifi. Ang. Vide q̄ notamus ad Ep. 24.*

ib. versu. 25.

Cogita quales habueris antecessores) *Omnes sanctissimos.* Cantuariæ sedit primus Augustinus, Gregorij M. discipulus, *ait VVillielm. Malmesbur. lib. 1. de gestis Pontif. Angl. vbi successores vide.*

fol. 5. v. 2.

Pagani possederunt) *Lege Gildam de excidio Britanniæ, & VVillielm. Malmesbur. lib. 1. reg. Angl. cap. 1. 2. 3. 4.*

4. Propter flagellum) *Vide notas in Epist. 2.*

6. In libro Gildi) *Hunc locũ paulo aliter citat VVillielm. Malmesbur:* In libro Gildæ sapientissimi Brittonũ, q̄ ijdem Brittones propter auaritiam & rapinam principũ, propter iniquitatẽ & iniustitiam iudicum, propter desidiam prædicationis Episcoporũ, propter luxuriã & malos mores populi patriam perdidêre. Caueamus hæc eadem vitia nostris temporibus inolescere, quatenus benedictio diuina nobis patriam cõseruet in prosperitate bona, quam nobis sua misericordissima pietate donare dignatus est.

fol. 7. v. 14.

Humiles pietate modesta) *Non sine causa Dorouernensi Clero modestiam ingerit: quod & de vestium modestia intelligo, cuius limites excessisse, patet ex S. Bonifacij Epistola ad Cuthbertum, citante VVillielmo Malmesbur. lib. 1. reg. Angl. cap. 4. de regno Merciorum; qui subdit:* Sanè de tenuitate vestium Clericalium Alcuinus

nus Athelardum Archiepiscopum, Cuthberti successorem obliquè castigat, monens, vt cùm Romã vadens, Carolum Magnum, *&c.* visitaret, non adduceret Clericos vel Monachos versicoloribus & pompaticis vestibus indutos; q̃ non solerent Francorũ Clerici, nisi religiosis vestibus amiciri.

Alchuine dicor ego) *In epigrammatis Bibliorum correctioni præfixis, quæ extant tom. 9. Baron. ann* 778. Alcuin dicor ego. *Sed cur nunc ille Alcuinus, nunc Albinus, vtroq; interdũ nomine coniuncto, vt inscriptio Dialogi de Rhetorica, inter XVI. Rhetores veteres habet, scire quis merito cupiat. Ego, si de me quæris, causam nullam scio, nisi quod barbariem patrij nominis Romana appellatione consultò mutatam suspicor, vt in VVinfrido, qui Bonifacius dictus, & aliis plerisq; illius æui contigit. Pontus Heuterus, quanquam Scriptor non admodum certus & circumspectus, Alcuinum in etymis interpretatur* Allwin/ *vndiq; rem facientem augentemq;. Hodie nostratibus lucrum* Gwin. *In Annalibus Franc. dicitur Alahvvinus.* fol. 7. v. 21.

IN EPISTOL. II.

ÆThelredo regi) *Adelredus, seu Ethelbertus, quem Polydorus lib. 4. vigesimum quartũ & vltimum Northumbrorũ Regẽ fuisse scribit, fuit à suis occisus an.* 827. 3. *Kal. Maij. Licet alij de die & anno mire discrepent: quod non huius loci examinare. Numerantur tamen etiam post hunc quidam Northumbrorum reguli Danicis temporibus. Lege Henricum Huntindoniensem lib. 4. hist. & Roger. de Houeden parte 1. Annal.* fol. 8. v. 4.

Osbaldo Patritio) *De hoc Roger. de Houeden part. 1. Annal. anno 796. Occiso Rege Ethelredo* Osbald Patritius à quibusdam ipsius gentis Principib. in regnum est cõstitutus, & post 27. dies oĩ regiæ familiæ ac Principũ & societate destitut⁹, fugatusq; & de regno expulsus, atq; ad insulã Lindisfarnensem cum paucis secessit, & inde ad Regẽ Pictorũ cum quibusdã è fratrib⁹ nauigio puenit. *Et paulo post notans annum mortis ait:* Osbald quondam Dux & patritius, & ad tempus Rex, tunc verò Abbas obijt, & in Eboracensi Ecclesia sepultus est. fol. 8. v. 5.

Hosber-

Hosbercto Duci) *Osbertum, patricium Merciorum nominat VVielelm. Malmesbur. lib.1. de gest. Angl. regum. c. 3. & 4. vbi duo fragmenta Epist. Alcuini ad Osberctum descripta.*

12. Amicus fidelis diu quęritur, &c.) *Clarissima femina Cangyth Epistolam quam ad S. Bonifacium Martyrē suo & filiæ nomine scribit, hac ipsa gnome claudit:* Amicus diu quæritur, vix inuenitur, difficile seruatur. *Alcuinus Epist. 11. ad Carolum M.* Veterum itaq; prouerbialis fulget sententia; Amicus diu quæritur, vix inuenitur, difficile seruatur. *Et Ep. 35. repetit.*

18. Cogitate, &c. quoties euasistis mortem) *Regno pulsus, duodecim annos in exilio exegit, iterumq; regnum adeptus est. Quæ omnia simul cum nece Ethelberti, quia ex ipsius Alcuini Epistolis susè narrat VVillielm. Malmesburiensis lib. 1. reg. Angl. c. 3. hic attexemus: sine quibus non intelligas totam Epistolam:* * Egbertus itaq; fratris in Religione æmulus, comamq; tonsus, Osvvlpho filio, illeq; post annum à ciuibus innocēter cæsus Molloni locū fecit; Is * vndecim annis satis impigrè regno functus, insidijs Alredi occubuit. Alredus decimo regni, quod inuaserat, anno cedere à comprouincialibus compulsus est. Ethelbertus quoq; filius Mollonis eorum consensu Rex leuatus, quinto anno ab eisdem expulsus est. Tunc Rex * Celvvoldus acclamatus, post vndecim annos perfidiam prouincialium ingemuit, sine culpa trucidatus, quod & celebris apud Haugustaldum sepultura, & diuina prætenderunt miracula. Et nepos suus filius Aleredi Osredus succedens, vixq; anno emenso expulsus, regnum Ethelberto (qui & Athelredus dictus est) euacuauit. Is filius Mollonis (qui quoq; Ethelvvaldus vocabatur) fuit, regnumq; post duodecim annos exilij recipiens, quatuor annis tenuit, quibus exactis fatum superiorum effugere nō valuit misere occisus. Quare offensi plures Episcopi & Optimates à patria fugere. Quidam merito plexum affirmant, eò, quod in occisione iniusta Osre-

* al. Eadbertum.

* alij sex annos ponunt.

* al. Alfvvoldum.

Osredi, consensum suum obligauerit, cui sufficere potuerit, quod principatu electus Sedem illi restituerit. De huius regni exordio ALCVINVS ita memorat: Benedictus Deus, qui facit mirabilia solus. Nuper Athelredus filius Ethelvvoldi de carcere processit in soliũ, & de miseria in maiestatem; cuius regni nouitate detenti sumus, ne veniremus ad vos. De nece ita ad OFFAM regem Merciorum: Sciat veneranda dilectio vestra, quod domin' Rex Carolus amabiliter & fideliter sæpe locutus est mecum de vobis, & in eo habetis fidelissimum amicum; ideo & vestræ dilectioni digna dirigit munera, & per Episcopales Sedes regni vestri. Similiter ETHELREDO Regi & ad suas Episcoporũ Sedes dona direxit. Sed heu proh dolor, donis datis & Epistolis in manus missorum, superuenit tristis legatio per missos, qui de Scotia per vos reuersi sunt, de infidelitate gentis & nece Regis. Ita Carolus, retracta donorum largitate, in tantum iratus est contra gentem illam, vt ait, perfidam & peruersam; & homicidam dominorum suorum, peiorem eam paganis æstimans. Et nisi ego intercessor essem pro ea, quicquid eis boni abstrahere potuisset, & mali machinari, iam fecisset.

Veridicum in verbis) *Morem, quo Alcuinus hic & passim alibi hortatur, obseruãt VVillielm. Malmesbur. innuit his verbis:* Ex obliquo arguens fecisse, quod ne faciant, rogat. *Nam Alcuinus in Epist. ad Osbertum, quam citat Malmesbur. hæc habet:* Nostrum regnum Northanimbrorum pæne perijt propter intestinas dissensiones, & fallaces iurationes. fol.11. v.8.

Timere illorum perditionem) *Clades Regum Britanniæ & Northanimbrorum, fusè describit VVillielm. Malmesbur. lib. 1. reg. Angl. c. 3. Neq; vano metu male metuit illis Alcuinus,* Plerosque, *inquit, Malmesbur.* Regum Northanimbrorum pęne familiari exitio vitam exisse. *Et paulo antè:* Dictorum eius (*Alcuini*) fol.12. v.10

euini)hic pleraq; intexam, quibus palàm fiat quàm cito *&c.* post obitum Egberti regnum Northanimbrorum propter morum peruicaciam malorum, pessum ierit, *inquit Malmesburiensis, qui cum ex Epistolis Alcuini varia citasset, subiungit*: Planum, vt arbitror, factum est, quantam labem, quantam pestem, obliuio literarum & lubrici mores perditorum hominum Angliæ inuexerint.

18. Cauete iniquitates) Ethelbaldo Bonifacius misit Epistolam, cuius hic partem subdam, *inquit VVillielm. Malmesbur. lib. 1, reg. Angl. cap. 4.* vt videatur, quàm libere arguat vitia iam in gente Anglorum inoleuisse, quæ Alcuinus timebat ventura esse. *Lege illam Epistolam, dignam scitu.*

f.13.v.3. Super Ecclesiam S. Cudperti) *VVillielm. Malmesbur. lib. 1. reg. Angl. cap. 3. citat Epistolam Alcuini ad hunc ipsum Ethelbertum; hac inscriptione*: Ad Edelredum Regem, qui tertius post Egbertum regnauit. *Cuius Epistolæ fragmentum mirificè omnia declarat, quæ hic tecta & inuoluta sunt.* Ecce Ecclesia sancti Cuthberti sacerdotum sanguine aspersa, omnibus spoliata ornamẽtis, locus cunctis in Britannia venerabilior, paganis gentibus datur ad deprædandum. Et vbi primum post discessum sancti Paulini ab Eboraco Christiana Religio in nostra gente sumpsit exordium, ibi miseriæ & calamitatis cœpit initium. Quid significat pluuia sanguinis, quam in Quadragesimali tempore in Eboraca ciuitate, quæ est caput totius regni, in Ecclesia beati Petri Principis Apostolorum vidimus, de Borealibus domus sereno aëre, de summo tecti minaciter cadere? Nonne potest putari à Borealibus partibus venire super terram sanguinem? *Eandem Epistolam citans Malmesbur. in prologo lib. 3 de Pontif. Angl. ait*: Hæc quidem Albinus coniecit suo tempore ventura, quæ posteritas, vel per Borealium violentiam, vel propter Borealium culpam venisse liquido cognouit. Nam tempore succedente Dani vasta-

vastauerunt Prouinciam, inde Normanni propter Danorum aduentum efferati, quod reliquū erat, pessundederunt. *Gratiæ sanè sunt habendæ Malmesburiensi, qui de Pontif. Angl. li. 3. de Episcopis Lindisfarnensibus luculentam pro hoc argumento Alcuini Epistolam citat:*

Beatissimi patris Cuthberti Epi in Christo filijs Hingbaldo Episcopo, & omni congregationi Lindisfarnensis Ecclesiæ Alchvvinus salutem.

Vestræ charitatis familiaritas me multum lætificare solebat, sed versa vice vestræ tribulationis calamitas, licet absentem, multum me contristauit; quod Pagani contaminauerunt Sanctuaria Dei, & fuderunt sanguinem Sanctorum in circuitu altaris, calcauerunt corpora Sanctorū in templo quasi sterquilinium in platea. Quæ est fiducia Ecclesijs Britanniæ, si sanctus Cuthbertus cum tanto Sanctorum numero suam non defendit Ecclesiam? & cætera: Quibus hortatur, ne à moribus antecessorum degeneres, vestium luxui & gulæ intemperiei professionis suę reuerentiam decolorent. Per transgressionem diuinæ Legis accidisse talia, accessuraq; deteriora, si perseuerandum in vetitis putauerint. Adijcit etiam in Epistolę calce: Cum dominus noster Rex Carolus hostibus per misericordiam Dei subditis domū reuertetur, nos Deo iuuante ad eum venire disponimus, & si quid tunc vel de pueris, qui in captiuitatem ducti sunt à Paganis, vel de alijs necessitatibus nostris proficere poterimus, diligenter ad effectum producere curabimus. *Hæc ex Malmesbur. Lege Rogerum de Houeden parte 1. Annal.*

IN EPISTOL. III.

DAuid Regi) *Carolum Magnum nomine Dauidis intelligi, certū est ex VVillielmo Malmesburiensi lib. 3. de Pontific. Angl. & li. 1. de gest. Regum Angl. cap 3. vbi citatur hæc epi. inscripta* Ka- fol. 13. v. 19.

 rolo

rolo Augusto. *Quod non ita interpretor, quasi tunc Carolus nomen Augusti vsurparit, vt patet disertè Epist. 4.* Tres personæ in mundo altissimæ hucusq; fuêre: id est, Apostolica Sublimitas, *&c.* Alia, est Imperialis dignitas, *&c.* Tertia est Regalis dignitas, in qua vos. Post mortem bellicosissimi Dauid, *inquit Sangallensis de gestis Caroli M. lib. 2. cap. 29. Carolum intelligens, eiusq; filium Ludouicum appellat Salomonem.* Benedictus sit Dominus Deus noster, qui tribuit oculis nostris secundum Dauid Regem videre, *ait Stephanus V. salutans Ludouicum filium Caroli, vt habet Theganus de gestis Ludou. cap. 16. 17. 18.*

fol. 15. v. 13. Desunt mihi) *Hac paulo aliter citat VVillielmus Malmesburiensis lib. 1. de gestis Regum Anglorum cap. 3. & lib. 3. de Pontific. Angl.* Date mihi exquisitioris eruditionis scholasticæ libellos, quales in patria habui, per bonam & deuotissimā magistri mei Egberti Archiepiscopi industriam. Et si placet sapientiæ vestræ, remittam aliquos ex pueris nostris, qui excipiant inde quæq; necessaria, & reuehant in Franciam flores Britanniæ, & non sit tantummodo in Eboraco hortus conclusus, sed etiam in Turonica emissiones paradisi.

IN EPISTOL. IV.

fol. 17. v. 18. GRatias agimus) *Perperam hac sine distinctione coniuncta habuit codex m. s. cùm hic noua Epistola incipiat, scripta ad eundem Carolum Magnum. Quod ex initio sequentis Epistolæ constare potest.*

fol. 18. v. 14. Secundæ Romæ) *Caue Aquileiam intelligas, quæ & Roma* secunda *dicta est. Hic nomine Romæ secundæ intelligit Constantinopolim, quæ passim in Constitutionibus Impp. Socrati Hist. Eccles. lib. 5. cap. 8. Corippo, Marcellino Comiti, Zonaræ, & aliis,* Roma *dicitur: vt & Sidonio in Panegyr.*

Salue sceptrorum columen, Regina Orientis
Orbis Roma tui.

Neq; tantum Constantinopolitana vrbs, sed & aliæ, sicut potentiam, ita & nomen Romæ æmulabantur. Hinc Saluiano Massiliensi lib. 7. de prouidentia. Carthago vniuersarum Africæ vrbium Princeps & quasi mater, & in Africano orbe, quasi Roma. *Et Ausonio Capua Campaniæ dicitur:* Roma altera. *Ædui, Sigeberto,* Celtica Roma. *Aquileia,* Roma secunda, *indeq; Chromatius Aquileiensis Episcopus, dictus est* Romanus Episcopus, *in libro de octo beatitudinibus. Ita Arelas nobilissima vrbs Galliæ ab Ausonio vocatur* Gallula Roma. *Vide quæ notat Sauaro ad lib. 1. ep. 11. Sidonij.*

15. Gubernator imperij) *Constantinus septimus anno 797. à matre Irene & consiliariis captus & excæcatus mortuus est Theophane auctore.*

17. Regalis dignitas) *Hæc præter Carolum Magnũ nulli eius ætatis conueniunt: nullus enim Regum, eum dignitatẽ, potentia, prudentiaq; æquauit. Vide, quæ notamus in ep. 3.*

26. Excæcauerunt caput) *In populum Rom. seuerè & verè hæc dicta, qui in Pontificem Summum, Leonem III. insurrexerunt, pulsatum mutilarunt oculis. Anno 799. teste Anastasio Bibliothecario.* Cùm Leonem sanctissimũ, *inquit VVillielm. Malmesbur li. 1. de gestis reg. Angl.* plagis in *Ecclesia* Beati Petri affecissent, adeo vt linguam eius mutilarent, & lumina terebrarent, Romam ad reformandum statum *Ecclesiæ* ire maturauit *Carolus.* Ibi in improbos vltionem executus, tota hyeme resedit; Apostolicum, per Dei miraculum planè loquentem, & clarè videntem proprio tribunali restituens. *Eadem Ethelwerdus lib. 3. Chronic. cap. 1. & Sangallensis de gestis Caroli M.*

Te regat, exaltet) *Ita corrigo ex coniectura. m. s. vitiosè:* Te regat, exaltet, defendet & ornet & amet. *nisi malis ita hexametrum statuere:* Te regat exaltet defendat & ornet & armet.

fol. 20. v. 11.

IN EPISTOL. V.

fol 22. v. 9. ADdere placuerit) *Et hic & alibi passim patet Alcuinum Carolo M. misisse scripta sua censenda imò corrigenda. Vnde non immerito in quæstionem vocatur communis illa sententia, qua dicitur Alcuinus Præceptor Caroli M. quam erudite discutit Baronius tom. 9. an. 778. cuius sententiæ subscribo. Et notandum, quod Sangallensis ille auctor de gestis Caroli M. ait, à Carolo Alcuinum honoris ergò Præceptorem appellatum, & ab aliis appellari voluisse. Et, ni fallor, hunc honorem Præceptoris innuit ipse, cum ait infra Epistola* 10. Flaccus vester legatur in literis, qui quondam audiebatur in verbis.

Discipuli autem Alcuini sunt: Amalarius Treuerensis, vt ipse de se testatur de ordine Antiphon. c. 58. *Eanbaldus Episcopus Eboracensis de quo lege infra Epist.* 24. *&* 38. *Macarius Episcopus, de quo Epistol.* 18.

IN EPISTOL. VI.

fol. 24. v. 18. LAidradum Episcopum) *Meminit huius Ep* 8. *Eginhardus testatur Laidradum testamento Caroli Magni accitum testem interfuisse.*

IN EPISTOL. VII.

fol. 25 v. 22. HVius partis cognoscendam perniciem) *Huius partis perniciem, calamitates vrbis Romæ appellat.*

fol. 26. v. 8. Pro pietatis ope) *ita enim correxi. In m s. vitiosè legitur:* Illius vt ex vobis proprietis ope.

11. Qui tristis venit) *Ita lego, non,* veniat, *vt habet m. s. Nam videtur alludere ad alteram profectionem Romanam Caroli M. qui quater Romam profectus est; anno* 774. *vindicans Adrianum & Romanam Ecclesiam ab iniuriis Desiderij Longobard. Deinde anno* 781. *soluendi voti causa. Tertio contra Ducem Beneuentanum an.* 786. *quarto vt restitueret Leonem an.* 800. *quo Imperator proclamatus.*

IN EPISTOL. VIII.

Caret hæc Epistola omni titulo; sed tamen patet esse scriptam ad Fratres Lugdunenses: *Et hoc ex nomine Laidradi, quem Alcuinus Ep.6.* Episcopum Lugdunensem *vocat.* fol 26. v. 18.

20. Electum Pontificem, *&c.) Ado Viennensis de Saracenis, qui anno 738. è Gallia sunt expulsi, hæc habet:* Vastata & dissipata Viennensis & Lugdunensis prouincia,, aliquot annis sine Episcopis vtraq; Ecclesia fuit, laicis sacrilege & barbare res sacras Ecclesiarum obtinentibus.

Hispanici erroris sectas) *Quæ nam hæ sectæ Hispanicæ, à quibus periculum Lugdunensibus? Censeo, quod intelligat Felicis Vrgelitani & Eliphanti Toletani Episcoporum hæresim, qui Christum secundum humanitatem adoptiuum* DEI *filium professi magnam Hispaniæ partem eo errore, Caroli M. tempore infecerunt, de quibus ep.20. & 60. Extat tom 9. Baron. an. 794. Epistola Caroli M. ad hunc Elipandum hæreticum.* fol. 27. v. 14.

18. Symbolo Catholicæ fidei noua nomina nolite inserere) *Tam apud Hispanos, quàm Gallos fuerunt Symbolo additæ quatuor illæ syllabæ,* FILIOQVE. *Quod Leo III. videns nouo more factum, vindex & custos sanctæ antiquitatis, voluit Symbolum sine vllius verbi additamento permanere: Sicq; duabus tabulis argenteis inscriptum ad Confessionem S Petri affixit, teste Anastasio Bibliothecario. Et hoc est, quod monet Alcuinus, noua nomina non inserenda Symbolo. Postmodū tamen, exigentibus causis, recepta est hæc vox,* FILIOQVE, *in Symbolum auctoritate Apostolicæ Sedis.*

19. Inauditas p. t. traditiones nolite diligere) *Leo III. dedit Francis potestatem cantandi Symbolum in Ecclesia. Sed quia addiderant vocem:* FILIOQVE *nata est quæstio, num licite caneretur vna cum illo additamento: consuluitq; Leonem hac de re Carolus M. vt patet ex Epistola Zmaragdi ad Carolum, vbi Acta inter legatos Caroli & Leonem. Et sub finem hæc:* Quale ergo dabis consilium, ne id ipsum ad aliquod transeat exitium? *Papa:* Si prius

prius quàm ita cantaretur, interrogatus essem: ne insereretur, vtique respondissem. At nunc (quod tamen non affirmando, sed vobiscum pariter tractando dico) quantū menti occurrit, ita mihi videtur posse vtrumq; fieri; vt paulatim in palatio (quia in nostra sancta Ecclesia non cantatur) cantandi consuetudo eiusdem Symboli intermittatur, *&c.* Si dimittatur à vobis, dimittetur ab omnibus. *Carolum M. paruisse patet ex his verbis Alcuini, qui in palatio frequens, quiq, alias non hortaretur Lugdunenses & Lirinenses, ne diligerent in Ecclesiasticis Officiis inauditas priscis temporibus traditiones: neq, alio trabo hæc verba. Lege Baron. tom. 9. an. 899. vbi benè notat ex VValfrid. Strabone vsum cantandi Symbolum à tempore damnatæ hæresis Felicianæ in Gallia & Germania frequentatum.*

23. Versus B. Ambrosij) *An Ambrosius Mediolanensis? An Ambrosius Episcopus Alexandrinus? qui Mediolanensi æquæuus fuit, scripsitq, teste S. Hieronymo de script. Eccles.* volumen multorum versuum de dogmatibus. *vt aliquis ex Græco hos transtulerit. An Ambrosius Anagninus Episcopus, qui circa an. 743. Concilio sub Zacharia interfuit? At Beatum vocat, quod Mediolanensem suadet. Sed versus horridiores sunt, quàm ab illo melleo. Sane nec illi nimis compti, quos Biblioth. SS. PP. sub finem 8. tom. nomine S. Ambrosij dedit. Tum fieri potest, vt Alcuinus Ambrosianos crediderit, qui alterius auctoris fuerint.*

25. Trinæ mersionis) *quam in Baptismo retinendam esse multis ostendit ep 60. fol. 114.*

29. Recepit) *m. s.* suscepit.

fol. 18. vers. 3. Ter Sabaoth) *m. s.* Tres.

5. Testibus) *Expressit illud Matth. 18.* Vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

7. Rubor) *m. s.* robor. *an robur?*

8. Tres medij) *m. s. vitiose:* Tres moduli. *Medius tali significato sæpe vsurpatum. Sidonius lib. 2. ep. 1.* Quicquid sperandum

dum, quicquid despetandum est, fieri te medio, te præsule placet. *Vide, quæ notat Sauaro hic in Sidonium.*

18. Tantum requirit) *In m.s. vitio librarij erat*: Adquirit quid manducemus, quanta consideret.

In insula Lirina.) *Monachos celeberrimi cœnobij Lirinensis intelligit, de quo Sidonius lib.8 epist.14. & lib.6. epist.1. Qui* preces insulanas *vocat preces monasterio Lirinensi consuetas.* Precum peritus insulanarum, *inquit Sidonius lib. 9. epist.3. ad Faustum,* quas de palæstra congregationis eremitidis, & de senatu Lirinensium cellulanorum. *De Statutis Lirinensium monachorum Hilarius Arelatensis in vita S. Honorati, & Eucherius de eremo. Lirinensis insula seminarium Episcoporum sanctorum dici potest, tot enim ex illa monachi in Episcopos assumpti sunt. Hinc Cæsarius Arelat. homel.25.* Hæc est, quæ eximios nutrit monachos, & præstantissimos per omnes prouincias erogat sacerdotes: ac si quos accipit filios, reddit Patres; & quos nutrit paruulos, reddit magnos. *Sidonius carm.16. ad Faustum*:

fol. 29. v. 8.

Seu te Lirinus priscum complexa parentem est,
Qua tu iam fractus pro magna sæpe quiete
Discipulis seruire venis, vixq; otia somni
Vix coctos capture cibos, abstemius æuum
Ducis, & insertis pinguas ieiunia psalmis;
Fratribus insinuans, quantos illa insula plana
Miserit in cælum montes; quæ sancta Caprasij
Vita senis, iuuenisq; Lupi: quæ gratia patrem
Mansit Honoratum: fuerit quis Maximus ille,
Vrbem tu cuius monachusq;, Antistes, & Abbas
Bis successor agis: celebrans quoq; laudibus illis
Eucherij venientis iter, redeuntis Hilarij:

In quem locum, quæ oportune & erudite notat Sauaro, non transcribo.

IN EPISTOL. IX.

Licet in m.s. codice nullus titulus sit præfixus huic epistolæ, certum est scriptam esse nomine Caroli Magni ad Nicephorum Imperatorem Constantinopolitanum post mortem Pipini Regis Italiæ, qui obijt 8. Id. Iulij anno 810. *Meminerunt autem Annales legationis quam Nicephorus tum temporis ad Carolum miserit. Quoniam verò Odorannus Alcuinum anno* 803. *obiisse scripsit, aut hanc epistolam ab eo non scriptam, aut Odorannum falsum esse oportet.*

fol. 30. v. 19. Primo imperij tui anno) *Illustrissimus Baronius tom. 9. ex Egolismensi meminit huius legationis; eamque ad secundum annum imperij Nicephori referri debere putauit; ad annum nimirum Christi* 803.

Ibidem. Michaëlem Metropolitanum) *Nomina horũ legatorũ, quæ apud alios variant, hic à typographo, non, vt voluimus, reddita sunt. Codex m. s. ita claris literis habet:* Michaëlem Metropolitanũ, & populũ assiduum, Abbatẽ, Calistumq; gloriosum candidatũ, ad c. n. p. & f. a. a. h. d. in c. c. l. tua misit dilectio, veluti in specula positi. *Vt per populum assiduum intelligat comitatũ legationis frequentem; deinde etiam Abbatem quendam adfuisse, cuius nomen non exprimatur. Egolismensis multum hic in nominibus variat, in vita Caroli M.* Missi Domni Imperatoris de Constantinopoli reuersi sunt: & venerunt cum eis legati Nikifori Imperatoris, qui tum Remp. regebat (Nam Herenã post aduentum legationis Franciæ deposuerunt) quorum nomina fuerunt, Michaël Episcopus, Petrus Abbas, Calistus Abbas, Candidatus Abbas. Qui venerunt ad Imperatorem in Germaniam super fluuium Sala, in loco, qui dicitur Salts, & pactum faciendę pacis in scripto susceperunt. Et dimissi cum epistola Imperatoris Romã regressi, & Constantinopolim reuersi sunt. *Idem Michaël post necem Nicephori anno* 811. *à Michaële Imperatore ad Carolũ M. legatus missus est vnà cum Arsafio & Theognosto, vt refert Elogismensis ibidem. Hermannus noster anno* 811. *hæc:*

hac: Heyto Abbas Augiæ & Epiſcopus Baſileæ cum Hugone & Haione Comitibus Conſtantinopolim miſſus hodœporicum ſuum ſcripſit. Interim Nicephorus Imp. cum Bulgaribus pugnans occiſus.

Abbatem *) Quodnam huius Abbatis nomen? Egoliſmenſis tres Abbates hac legatione functos, ait, Petrum, Candidatum & Caliſtum. De Petro aſſentior. De duobus iamiam diſpiciemus. Inuenio etiam à Carolo M. ad Michaelem Imp. anno 813. miſſum eſſe quendã Petrum Abbatẽ Monaſterij Nonantulæ in Italia. An hic accitus à Nicephoro, veluti gnarus moris & oris, legationẽ obijt ad Karolum, & à Karolo denuo ad Conſtantinopolitanos? Non definio.*

Caliſtumq; glorioſum Candidatum *) Non poſſum aſſentiri Egoliſmenſi, qui Caliſtum & Candidatũ Abbates facit. Caliſtus dignitatem illam inuidia & potentia plenam habuit Candidati: quod patet ex eo cum glorioſus Candidatus appellatur. Scio Candidatos fuiſſe inter milites, quos Vegetius Candidatos duplares vel ſimplares. In paſſione Fauſtini & Iobitæ*: Tradidit hũc Sapricio primicerio ſcholæ Candidatorum. *Hieron. in Hilarione:* Candidatus Conſtantij Imperatoris. *Procopius 3. de bell. Goth.* ἦν δὲ οὗτος ἀνὴρ βασιλέως Ιουσινιανοῦ δορυφόρος, ἐπεὶ ἐς τοὺς κανδιδάτους καλουμένους τελῶν ἔτυχε. *Victor Tunnunenſis in Chronico, quod nuper ex m. ſ. bibliotheca Toletana edidimus, laudat Iuſtinianum* Candidati militia functum ſub Iuſtino Imp. *Vide Cuiacium ad lib. 12. Cod. tit. 33. Item in Paratitl. DD. lib. 1. tit. 13. & in paratit. in Cod. lib. 1. tit 30. vbi erudite oſtendit, Candidatos Cæſaris in numero quæſtorum fuiſſe. Qualem ſe fuiſſe cum fratre Velleius Paterculus ſcribit, & ab eo honore ad præturam conſcendiſſe. Recitabant Imperatores ſuas orationes, epiſtolas & libellos in Senatu per Candidatos. Auctor Martyrij S. Stephani ſub Conſtantino Copronymo paſſi apud S. Damaſcenũ in fine meminit Calliſti cuiuſdam, qui anno 762. ſæuijt in Catholicos:* Calliſtum quendam Patritij ordinis ſumma ſecum familiaritate deuinctũ, atq; ſuam hæreſim apprime callentẽ, & eximia dicendi facultate præditum ad ſe accerſit.

Mmmm 2 Arſa-

fol. 31. v. 3. Arſatij glorioſiſpatarij) *Ita corrigo: nam paulò ſuperius vocat Arſaſium glorioſum ſpatarium. Egoliſmenſis vocat hunc Arſaſium, Protoſpatarium. de dignitate & veſtitu Protoſpatarij lege Curopalatam de officiis Conſtantinop. palatij. ſed ne quid celem. quem ſupra typographus Arſatium dedit, m. ſ. codex ita dubia litera ſcribit, vt neſcias Arſaſium ne, an Arſaſium vocet. Quare vtrobiq; Arſatium appello. Hic locus in m. ſ. claris literis ita habet*. Arſafidi glorioſi patrij. *an legendum, Patriitj? Non definio. Scio ex Theophane à proceribus Principum coniurationis contra Nicephorum electum eſſe* Arſatium Quæſtorem & Patritium, virum pium & rationabiliſſimum. Quod cum multiformiter Nicephorus cognouiſſet, ipſum quidem cæſum ac tonſum monachum fecit & exilio relegatum in Bithyniam miſit. *At hæc contigerunt anno* 807. *Nicephori ſexto. noſter verò Arſaſius anno* 811. *à Michaële Imp. ad Carolum M. iterum legationem obijt: vnde patet alium eſſe. niſi quis dicat à Michaële Nicephori ſucceſſore Arſatium ab exilio reuocatum. Ego malim Arſaſium retinere, & ab Arſatio diſtinguere.*

21. Amabilem) *m. ſ. animam amabilem fraternitatem.*

IN EPISTOL. XI.

fol. 33. v. 32. MArtis ſtella) *Ex his colligere licet an. 799. eſſe ſcriptã hanc epiſtolam. Tunc enim ſtellam Martis iterum comparuiſſe Mathematici illius temporis ſibi gratulati ſunt. Neq; enim hunc locũ Alcuini aliorſum traho. Egoliſmenſis in vita Caroli M.* Hoc anno, id eſt, ab Incarnatione Domini 799. ſydus Martis à ſuperioris anni Iulio vſq; ad huius anni Iulium nuſquam in toto cælo videri potuit. *Et hoc eſt, quod Alcuinus ait*: quam ſol diutiſſime tenuit, ſed Nemeæi leonis terrore liquit. *Nam 23. vel 24. Iulij Sol Leonis ſignum init.*

3. Traditaq; eſt cancro) *m. ſ.* traditaq; eſt cancro per bimeſtres dierum hic multum dimiſimus.

IN

IN EPISTOL. XIII.

H*Æc epistola licet careat inscriptione in m. s. patet tamen ex epistola 11. esse item ad Carolum Magnum scriptam. in qua quoq; finis deesse videtur.* fol. 35.

IN EPISTOL. XV.

B. Martino seruientibus) *scripta est ad fratres Turonenses: quod patet ex illis:* In loco, in quo elegit sibi requiē dulcissimam. *Nam Turonis sepulchrum S. Martini fuisse miraculis coruscum, & non semel à Carolo M. orationis causa frequentatum, patet ex Eginhardo.* fol. 37. v. 14.

EPISTOL. XVI.

N*On exprimitur, cui inscripta sit hæc epistola. Sed scriptam ad Ethelbrethū Episcopum Haugustaldensem, disertè ait VVilhelm. Malmesbur. de Pontif. Angl. lib. 3.* Accæ, Fredebert; ei Tilbert: ipsi quoq; Ethelbreth successit. Ad hunc & congregationem eius est epistola Alcuini, in qua inter cætera dicit: O nobilissima progenies sanctorum patrum, illorum honoris venerabilisq; vitæ successores & pulcherrimorum habitatores locorum, vestrorum sequimini vestigia patrum: vt de his pulcherrimis habitationibus ad horum, qui vos genuerunt, æternæ beatitudinis consortium peruenire mereamini. Post Ethelbrethum tres tantum Episcopi Haugustalden. fuere: Herdred: Eambertus: Thiffriddid. Exercitus enim Danorum, qui iam tempore Alcuini metuebatur, veniens, habitatoribus extinctis vel effugatis, habitaculorum tecta succendit. *Hæc Malmesb.*

De his pulcherrimis habitationibus) *De Haugustaldensi fabrica, quæ Romanam magnificentiam æmulari velle videbatur Malmesbur. ibid.* Haugustaldehem vocatur locus quinquaginta ab Eboraco milliaribus disparatus, fisco regio famulabatur, fol. 41. v. 1.

batur, quando eum beatæ memoriæ VVilfridus à beatissima Etheldritha Regina pro aliis possessionibus commutauit. Ibi ædificia minaci altitudine murorum erecta, & diuersis anfractibus per cochleas circũducta, mirabile quantum expoliuit, arbitratu quidem multa proprio, sed & cæmentariorum, quos ex Roma spes munificentiæ attraxerat, magisterio. Ferebaturq; tunc in populo celebre, scriptisq; etiam est inditum, nusquam citra Alpes tale esse ædificium. Nunc qui Roma veniunt idem allegant, vt qui Haugustaldensem fabricam vident, ambitionem Romanam se imaginari iurent; adeo tot temporum & bellorum iniuriæ venustatem ædificiis non tulere.

IN EPISTOL. XVII.

fol. 42.

RIcbodum) *Richboldum siue Richbodum Episcopum Treuerensem, anno* 780. *vixisse, catalogus illius Eccles. testatur. Annales Franc. ed Pithœi & postea nomine Annalium Fuldensium copiosius editi hæc habent de nostro Ricbodo: neq; enim aliò ego refero.* Rihboto (*seu vt Pith. legit*, *Ribbitto*) Archiepiscopus Treuirensis moritur anno 804. *Et ita etiam noster Hermannus, à quo appellatur* Richpoto. *Epistola ad eum scripta intercidit.*

IN EPISTOL. XX.

fol. 44.

FRatribus) *Non scriptam putes ad vniuersum Clerum, sed ad monachos tantum S. Petri, quod est antiquissimum Salisburgi monasterium quod multos olim dedit Episcopos, eorundem vsq; ad tempora S. Virgilij Sedes.*

ibid. v. 19.

Iuuauensis Ecclesiæ) Iuuauia (*quod nomen in Itinerario Antonini Augusti extat*) Saltzburg est: *sicut & fluuius Salisburgum præterfluens, hodie* Saltza *dicitur, quondam*, Iuuauius. *Eginbardus in vita Caroli M. inter* 21. *metropoles Carolo M. subiectas nominat Iuuauum, quæ & Saltzburg: vbi editi codices perperam Viuanum habent.*

Aqui-

Aquilæ Pont. germano) *Vide ep 35. quam ita inscribit:* Charissimo germano Aquilæ. *quem inibi Salisburgensem Epm diximus. quæ coniectura audax nimis videri queat, cùm ea ætate nullus Aquila inter Episcopos Salisburgenses reperiatur. Quid ergo huic Aquilæ faciemus? Inclinassem, Abbatem credere, nisi quod & hic disserte Pontifex & ep. 35. Antistes appellatur. Superest, vt coniecturis res agatur. nomen mutatione, illi æuo frequentissima & solenni, in aliud abiisse; & Aquilam dictum, eo more, quo Alcuinus, Flaccus; Carolus M. Dauid; Ludouicus, Salomon. Quam ego coniecturam, si hanc pateris audaciam, longius etiam produco, vt Ioannem, qui ante S. Virgilium Salisburgi sedit, Aquilæ nomine significari existimem. Licet temporum ratio aliquo modo me terreat; patitur tamen opinor. Et schema manifestum est, multo profecto magis, quàm in vsurpato Dauide pro Carolo Et si in hac epistola hæc verba* (olim patri Aquilæ Pontifici, germano meo, pastori vestro iniungere studui) *ita accipimus, vt* olim *cum* patri, *& non cum* studui *coniungimus, erit idipsum, quod in Salisburgensi catologo legitur, Ioannem Abbatem S. Petri fuisse, ante Episcopatũ initum. Verum de hoc quisq; quod volet statuat.* fol. 45. v. 3.

Diuersæ nunc hæreses) *Felix Vrgelitanus & Eliphantus Toletanus Episcopi hæresim excitarunt, Christum secundum Humanitatem adoptiuum Dei Filium esse asserentes; quæ hæresis multos, præsertim in Hispania, tempore Ca oli Magni peruertit. An ab hac hæresi Bauariæ periculum imminebat? quod Alcuinus tam anxie hortatur Iuuauenses, vt caueant. Iuuauiam enim & Otto Frinsingensis, vrbem Bauariæ vocat. Imo Feliciana hæresis Reginoburgi vrbe Bauariæ damnata est, vt habent Annal. Franc. anno 792.* fol 46. v. 6.

IN EPISTOL. XXI.

Eboracensis) *In Eboracensi Ecclesia Alcuinus enutritus & eruditus fuit, vt ipse ait apud Continuatorem Bedæ lib. 1. cap. 9. & infra epist. 24.* Dilectissimæ Eboracensis Ecclesiæ fratribus, eiusdem fol. 47.

eiusdem piæ matris filius Alcuinus. *Et in hac ipsa epistola* 21. Vos fragiles infantiæ meæ annos materno fouistis affectu,& lasciuum pueritiæ tempus, pia sustinuistis patientia, & paternæ castigationis disciplinis ad perfectam viri edocuistis ætatem, & sacrarum eruditione disciplinarum roborastis. *Et paulo post*: Cuius infantiam aluistis.

fol. 48. v. 21. *E*ius senectutem sepeliatis) *Optauit quidem in Eboracensi monasterio consenescere & sepeliri: sed vbi obierit, habet VVillielm. Malmesburiensis lib.* 1. *Reg. Angl. cap.* 3. Iacet in Francia apud S. Paulum de Cormarico: quod cœnobium Carolus Magnus eius consilio construxit: vnde hodieq; quatuor monachorum victus & potus pro eiusdem Alcuini anima quotidianæ infertur eleemosynæ in eadem *E*cclesia.

25. Puer noster Seneca) *Visionem tangit aliquam, opinor, pueri cuiusdam, cui Senecæ nomen fuerit, in cœnobio Eboracensi.*

IN EPISTOL. XXII.

fol. 50. S. Leodegarij seruientibus) *Videtur hæc Epistola scripta ad Augustodunenses: fuit enim S. Leodegarius Augustodunensis Episcopus.*

fol. 50. v. 1. Frater, ille, attulit) *Pro incerto nomine olim,* Ille, *scribebatur, vt nunc fere litera, N. vt patet ex epistola.* 36. *&* 28.

19. Potatur calice) *Alludit ad illum morem, quo nomine & amore Sanctorum, benedictionis adipiscendæ ergo bibebant. De quo more auctor lib de miraculis S. Vdalrici cap.* 10. *editus à nobilissimo & eruditissimo viro M. Velsero.* In auxilium eius *S. Vdalrici* firmiter vbiq; confidens, in recreatione sua pro amore eius frequenter bibebat, & alios bibere postulare consueuit. *Lege ibid. cap.* 11. 12. 13. *Priscus hic mos & probus, quamdiu intra temperantiæ limites. Nam Sanctorum appellatio, reuerentiam & imitationis studium ingessit. At & hic mos ab improbis aliò ductus; quem prauo abusu & ebriosorum licentia in deterius lapsum reprehendit S. Augustinus de*

Temp.

Temp. ferm. 232. Illud verò quale est, quod transacto conuiuio, expleta siti, cùm amplius bibere non possint nec debeant, tunc quasi nouelli, quasi & qui ipsa hora superuenerint, diuersis nominibus incipiunt bibere, non solum viuorum hominum, sed & Angelorum & reliquorum antiquorum Sanctorum: æstimantes, quod maximum illis honorem impendant, si se in illorũ nominibus nimia ebrietate sepeliant: ignorantes, quod nullus tàm grauem iniuriam sanctis Angelis vel sanctis hominibus agnoscitur irrogare, quã illi, qui in eorum nominibus bibendo per ebrietatem suas animas probantur occidere. *Vide Gregor. Turonens. hist. Franc. lib. 5. cap. 21. & infra Alcuini epist. 48.*

IN EPISTOL. XXIII.

SAnctissimis in Christo fratribus) *Quinam hi fratres? Neq. enim in m. s. quidquã additur. VViorenses fuisse, scimus ex VVilielmo Malmesburiensi, qui lib. 1. de gestis Regum Angl. cap. 3. Hæc de Alcuino:* Non immemor compatriotarum, *&c.* illos crebris epistolis ad bonum incitare. Dictorum eius hîc pleraq; intexam, quibus palam fiat, quàm citò post obitum Bedæ, in eius etiam Ecclesia, studium librorum emarcuerit, & post obitum Egberti regnum Northanimbrorum propter morum peruicaciam malorum pessum ierit. Ait ergo ad VViorenses, apud quos Beda vixerat & obierat, ex obliquò arguens fecisse, quod ne faciant, rogat: Adsuescant pueri astare laudibus superni Regis, non vulpium fodere cauernas, non leporum fugaces sequi cursus. Discant nunc scripturas sacras, vt ætate perfecta alios docere possint. Recogitate nobilissimum nostri temporis magistrum Bedam. *&c. Quem locum ideo tam copiosè adduxi: quia ex illo in hac epist. restituere licet, quæ in m. s. desiderantur. VViorenses frates cœnobitæ fuerunt in monasteriis duobus S. Petri & Pauli ad VViram seu VViremudam. De*

fol. 52.

quibus Malmesburiensis ibid. Britannia habet in remotissimâ sui plaga locum natiuitatis & educationis eius Bedæ, Scotiæ propinquum, *&c.* Ibi est VVira nec egenæ latitudinis, nec segnis gurgitis amnis, qui pelago influus naues serena inuectas aura placido ostij excipit gremio. Cuius vtrasq; ripas Benedictus quidã Ecclesiis insigniuit, & monasteria ibidem construxit, alterum Petri, alterum Pauli nomine, charitatis & regulæ vnione non discrepantia.

fol. 53. v. 22. Benedictus scilicet seu reliqui patres) *Ceolfridum intelligit & Benedictũ, quorum hic ad ripas VVirae duo monasteria ædificauit, eorumq; incolas, VViorenses fratres Alcuinus vocat.* Natus in territorio eiusdem monasterij, *inquit Beda de seipso, in fine hist. Angl.* cùm essem septem annorum, cura propinquorum datus sum educandus reuerendissimo Abbati Benedicto, ac deinde Ceolfrido.

fol. 54. v. 8. Adsuescant pueri) *m. s. ita legit:* Displicet enim Deo infidelis promissio. Discant pueri scripturas sacras, vt ætate perfecta veniente, alios docere possint. Qui non discit in pueritia, non docet in senectute. Recogitate nobilissimum nostri temporis magistrum Bedam. *Nos, quæ hic desunt, ex Malmesburiensi inseruimus, qui citat hanc ep.*

14. Bedam) *An Beda Præceptor Alcuini, vt Trithemius asserit, & hactenus vulgo dictum? Alcuini hæc verba vide:* Recogitate nobilissimum nostri temporis magistrum Bedam presbyterum. *vbi cur inuidisset Beda hanc laudem, & non potius appellasset suum, quàm sui temporis magistrum? Adde quòd ipse Beda in præf. hist. Angl. ait:* Auctor autem ante omnes atq; adiutor opusculi huius Albinus Abbas reuerendissimus, vir per omnia doctissimus extitit. *& paulo post Patrem Albinum nominat. Fuisse autem Egbertum, fratrem Egberti Regis Angl. præceptorem Alcuini iam diximus.*

IN

IN EPISTOL. XXIV.

AB Enbaldo) *An hic discipulus Alcuini? Epistolam citat Malmesburiens. lib. 1. de Regibus Anglorum cap. 3. & lib. 3. de Pontificib. Angl his verbis*: Huius *Egberti* successor senex substitutus est *Eanbaldus*, præfati Alcuini discipulus industrius: vnde in epistola ad eundem dixit: Laus & gloria Deo, qui dies meos in prosperitate bona conseruauit, vt in exaltatione filij mei charissimi gauderem, qui laboraret vice mea in *Ecclesia*, vbi ego nutritus & eruditus fuerã, & præesset thesauris sapientiæ, in quibus me magister meus dilectus Archiepiscopus *Egbertus* reliquit hæredem. Ipse est *Eanbaldus*, qui cum *Ethelardo* Archiepiscopo Cantuariensi multis probitatis officiis inuasionem, quam Offa Rex Merciorum super Cantuariensem *Ecclesiam* fecerat, ad nihilum redegit: quod Alcuinus significare videtur in epistola ad eundem Athelardum ita dicens: *Audiens* salutem & prosperitatem vestram & conuentum cum *Eboracensi Episcopo* filio meo *Eanbaldo*, satis mihi placuit, speranti ex vestræ colloquio sanctitatis vnitatem sanctæ *Ecclesiæ* recompaginari, quæ partim discissa est, non rationabili consideratione, sed quadam potestatis cupiditate. *Hæc apud Malmesbur.*

fol. 55. v. 27.

IN EPISTOL. XXV.

MOnachi S. Saluatoris) *Petrus Oldradus Archiepus Mediolanensis, in epistola ad Carolum Magnum de translatione S. Augustini Papiam anno 725. per Luitprandum Regem, ait*: Præcipue in palatio suo Oratorium in honorem Saluatoris mundi exstruxit, vbi & Sacerdotes & Clericos multos instituit, qui die noctuq; diuina officia exoluerẽt, attributis multis bonis vt honestis & alacrius Deo inseruire possent. *Hæc de Papien-*

fol. 58. v. 27.

si Ecclesia S. Saluatoris exeructa à Luitprando de qua an intelligendus hic Alcuinus? Non censeo. Nam licet Carolus M. an 774. Papiam Longobardorumq. regnum subiugarit, tamen illa verba (Tam nobilis Rex nobiles debet habere ministros) *magis aliò quam Ticinum ducunt.*

fol. 59. v. 5. Liudgardam) *Vxorem Caroli Magni, quæ anno* 800. *defuncta est; Carolus è Centulo per littus Oceani venit Rotomagum, indeq. per Sequanam ad Sepulchrum S. Martini orationis causa, vbi pridie Non. Iunij sepulta est, teste Egolismensi & Eginhardo.*

S. Capellæ) *Adrianus Papa in epist. ad Carolum M. vocat Engelbertum generum Caroli M.* ministrum Capellæ. *quod de hac nostra intelligo. De origine Capellæ Sangallensis de gestis Caroli Magni.*

IN EPISTOL. XXVI.

fol. 59. v. 23. IN prouincia Scotorum) *Ita corrigo. nam m. s. vitiosè*: Gothorum.

fol. 60. v. 8. Fertur) *Corrigo*: feruntur.

10. Confessionem) *De confessione auriculari meminit etiam epist.* 2. 23. 37. 47.

32. Non semper confessio pœnitentiam significat) *Eleganter de hoc S. Augustinus de verb. Dom. serm.* 8. Admonenda fuit charitas vestra, Confessionem non esse semper vocem peccatoris: quia mox vt hoc verbum sonuit Lectoris, secutus est etiam sonus tunsionis pectoris vestri. Audito scilicet, quod Dominus ait: Confiteor tibi Pater. In hoc ipso, quod sonuit, Confiteor, pectora vestra tutudistis. Tundere autem pectus quid est, nisi arguere, quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigare peccatum? Quare hoc fecistis, nisi quia audistis, Confiteor tibi pater? Confiteor, audistis: Quis est, qui confitetur, non attendistis.

fol. 61. v. 15. Si quis peccator est,) *Illud S. Iacobi* 5. Infirmatur quis in vo-

in vobis, *&c. ad animum peccatoris accommodatitio sensu refert eleganter.*

Sacramentario) *An S. Gregorij M. sacramentarium intelligit, in quo Reconciliationis orationes extant?* *fol. 62. v. 24.*

IN EPISTOL. XXVII.

LEoni) *Leoni III. qui Pontificatum inijt anno 795. mortuus anno 816.* *fol. 65.*

Poscentem pro filia viduam) *Ita ex coniectura corrigo, licet malim legere* p. p. filia Chananæam: *quæ an vidua fuerit, non constat. Codex m. s. ita habet:* poscentem pro filio viduæ, *vbi duo distincta miracula, nempe Luc. 12. & Matth. 15. videtur coniungere.* *fol. 67. v. 8.*

22 Engilpertus) *Abbas hic S. Richarij, qui & testamento Caroli M. interfuit, teste Eginbardo. Hunc Carolus M. debellatis Hunnis cum magna parte spoliorum anno 796. misit ad Leonem, vt Eginhardus & Egolismensis scribunt. Anno 792.* hæresis Feliciana (*habent Annales Franc. edit. Pith.*) ipso auctore eam abnegante, apud Reganesburg primum damnata est, qui etiam per Engilberthum Abbatem in præsentia Adriani Apostolici adductus denuo eam confessione facta damnauit. *Plura de hoc Engilberto epist. 49. 51. 56. 59.*

IN EPISTOL. XXVIII.

ADriano) *qui inijt Pontificatum anno 772.* Sepulchrum eius platona (id est, marmor) parieti infixa gesta bonorum eius aureis literis & versibus scripta, iubente Rege Carolo *inquit Rogerus de Houeden parte 1. Annal. & epithaphium à Carolo M. positum, vide tom. 9. Baron. ann. 795. quo mortuus.* *fol. 68.*

Mei Regis missus ille.) *Iam monuimus, pro incerto nomine consueuisse scribere,* Ille *an 773. Adrianus implorauit opem Caroli M. contra Longobardorū Regem: cui primæ legationi Adriani Carolus respondit per legatos suos Romam missos; inter quos Albinus.* *fol. 69. v. 23.*

 Anasta-

Anastasius Bibliothecarius: Georgius sanctissimus Episcopus; Gulfardus religiosus Abbas & Consiliarius, seu Albinus delitiosus ipsius Regis. *&c.* Quibus referens idem præcipuus Pontifex cuncta, quæ gesta erant, eos in Franciam absoluit remeandos, dirigens cum eis suos missos ad præfatum excellentissimum Francorum Regem. *Quid si hic nota hac, I L L. significaretur Engilbertus? de cuius legatione lege epist. Hadriani ad Carolum M ap. Baron. tom. 9 an. 794.*

fol. 70. v. 3. Domno Regi) *Quomodo Carolus Adrianum coluerit & amauerit, colligi potest ex Fœdere cum Offa Rege Merciorum*: Cognoscat quoq; dilectio vestra, quod aliquam benignitatem de dalmaticis nostris vel palliis ad singulas Sedes Episcopales regni vestri vel Ethelredi direximus in eleemosynam Domini Apostolici Adriani, deprecantes vt pro eo intercedi iubeatis, nullam habentes dubitationem, beatam illius animam in requie esse; sed vt fidem & dilectionem ostendamus in amicum nostrum charissimum.

IN EPISTOL. XXX.

fol 72. v. 1. REgis tardatio in Saxonia) *Alcuinus cum Carolo M. in Saxoniam profectus: quem quam auide itinerum suorum comitem habere desiderauerit, patet ex epist. 7. ad Carolum M. & Alcuinũ in conuersione Saxonum sedulo laborasse, qui ipsum Carolum ad boc opus vrgendum incitauit.* Antiqui Saxones, *inquit Alcuinus in epistola, quam citat VVillielm. Malmesbur. lib* 1. *Reg. Angl. cap.* 4. & omnes Fresonũ populi, instante Rege Carolo, alios præmijs & alios minis solicitante, ad fidem Christi conuersi sunt.

IN EPISTOL. XXXII.

fol 74. v. 8. TEnens) *forte*: tenentes.

16. Offæ Regi) *Omnino corrigendus m. s. qui habet*: Reginæ. *Offa Rex Merciorum Caroli Magni amicitiam ambiuit. Vide Continuat. Bedæ lib.* 1. *cap.* 14. 15. 16.

Et gen-

Et genti Anglorum nunquam infidelis fui) *Verissimè. Non immemor* compatriotarum, Imperatorem in amicitia eorum continere, *inquit VVillhelm. Malmesbur. lib. 1. Regum Angl cap. 3. qui Alcuini epistolam ad Offam citat*: Ego paratus eram cum muneribus Caroli Regis ad vos venire, & ad patriam reuerti; sed melius mihi visum est propter pacem gentis meæ in peregrinatione remanere. *Et paulo post citat aliam Alcuini epistolam ad Offam de nece Ethelredi*: Sciat veneranda dilectio vestra, quod Dominus Rex Carolus amabiliter & fideliter sæpe locutus est mecum de vobis, & in eo habetis fidelissimum amicum; ideo & vestræ dilectioni digna dirigit munera, & per Episcopales Sedes regni vestri. Similiter Ethelredo Regi & ad suas Episcoporum Sedes dona direxit. *Sparsa esse quædam dissensionum & odij semina inter Offam & Carolum M. quæ Alcuino imputata sint, quæ etiam hac epistola à se amolitur, colligo ex epistola ipsius, quam citat VVilhelm. Malmesbur. ibid. cap. 4.* Nescio, quid de nobis venturum sit; aliquid enim dissensionis diabolico fomento inflammante, nuper inter Regem Carolum & Regem Offam exortum est, ita vt vtrinq; nauigatio interdicta negotiantibus cesset. Sunt, qui dicant nos pro pace esse in illas partes mittendos. *Fœdus tamen cum Offa firmum Carolus sanctum seruauit, cuius fœderis exemplum lege apud Malmesbur. ibid. c. 4. in fine.*

IN EPISTOL. XXXIII.

IN m. s. non est nomen illius, ad quem hæc epistola scripta sit. At scimus esse ad Radonem Abbatem, cui vitam S. Vedasti Episcopi Alcuinus dedicauit, & hanc dedicatoriam præmisit: Quæ extat tom. 1. Surij. die 6. Februarij. Patet ergo ex hac epistola error eorum, qui vitam S. Vedasti scriptam à Beda putarunt, sicut & vulgo habetur in 6. tomo Bedæ; cum Alcuinus auctor sit. Nisi quis dicat ab Alcuino vitam S. Vedasti tantum emendatam esse, & à Beda scriptam: præ- fol. 75.

sertim

sertim cum dicat: Vitam S. Vedasti, &c. emendare studui. *In Surij editione talis est inscriptio:* Dulcissimo dilectionis filio Radoni Abbati, humilis Leuita Albinus salutem.

v. 14. Patris vestri) *Colligo ex his verbis Radonem Abbatem fuisse monasterij S. Vedasti: quod anno 937. adhuc floruisse Frodoardus in Chronico testatur.*

IN EPISTOL. XXXIV.

fol. 78. v. 12. PEtro Archiepiscopo) *Sed cuias hic Archiepiscopus? Mediolanensis. Quem Panuin. quinquagesimum: Borrom. quinquagesimum secundum, & Carolo Magno percharum fuisse ait. Extat huius Petri, qui & Oldradus dictus est, epistola elegantissima ad Carolum M. de translatione S. Augustini Papiam anno 725. facta.*

21. Altitudines alpium) *Alpium meminit, quod ea inter Galliã, vbi Albinus agebat, & Italiam sita.*

IN EPISTOL. XXXV.

fol. 80 GErmano) *Cuias hic Aquila Antistes? Iuuauensis. Ille idem quem epist. 20. ad Iuuauenses, germanum suum appellat:* Pio patri, Aquilæ, Pontifici, germano meo, pastori vestro.

IN EPISTOL. XXXVI.

fol. 82. FIlio meo Alta Petra) *Reperio in diuisione Ludouici & Caroli, Altam Petram, nomen loci, post S. Vrsum in Saledoro, & Grandiuallem.*

fol. 83. v. 4. Ad imalicium) *forte legendum:* ad iudicium.

IN EPISTOL. XXXVIII.

fol. 87. v. 15. POmparicis carnem induis vestimentis) *Eum, quem Alcuinus hic ob affectatum vestium splendorem, reprehendit, fuisse Clericum, patet ex his verbis:* Tu sacri altaris minister; tu summi honoris socius. *Audiamus Sidonium nitorem cultus in Ecclesiastico*

fiastico homine reprehendentem: Habitu cultuque conspicuo, *inquit libro* 4. *epistola* 13. non iuuenescit solum, sed quodammodo repuerascit. Enimuero vestis astricta, tensus cothurnus, crinis in rotæ specimen accisus, barba intra rugarum latebras mersis ad cutem secta forpicibus, &c. professione religionis arrepta, viribus potius resurgentis innocentiæ conualescat. *Vbi notandum est, veteres Francos adstrictis vestibus vsos. De quibus Sidonius carm.* 2.

Strictius assuetę vestes procera coërcent *al. assuta.*
Membra virûm.

Sicut & de Gothis Sidonius lib 4. *epist.* 20.

21. Longo fasciarum nexu ligari) *Scio Græcis & Romanis fuisse periscelides. Sed longè alia Francis in vsu: quæ quales fuerint, colligimus ex iis, quæ Sangallensis de gestis Caroli Magni:* Erat antiquorum ornatus vel paratura Francorum, calceamenta forinsecus aurata, corrigiis tricubitalibus insignita, fasciolæ crurales vermiculatæ, & subtus eas tibialia ac coxalia linea, quamuis ex eodem colore, tamen artificiosissimo opere variata, super quæ & fasciolas, in crucis modũ intrinsecus & extrinsecus, ante & retro, longissimæ illæ corrigiæ tendebantur. *Non ita Gothi, de quibus Sidonius lib.* 4. *epist.* 20. Genua, crura, suræq; sine tegmine. *Melius vsum fasciarum, quibus & plantas & crura inuoluebant Franci, intelligere poterimus ex Sidonio lib.* 8. *epist.* 11.

Perges sic melius volante saltu,
Si vestigia fasceata, nudi
Per summum digiti regant, citatis
Firmi ingressibus, atq; vinculorum
Concurrentibus ansulis reflexa
Ad crus, per cameram cathena surgat.

Quorum duos vltimos versus, nemo melius explicet, quàm idem Sidonius, qui Carm. 2. *quomodo in obstrigilo (ita enim hoc calceamen-*

ti genus vocari à Glossog. vet. m. s. testatur Sauaro) per cameram cathena surgat, eleganter ostendit:

Perpetuo stat planta solo, sed fascea primos
Sistitur ad digitos, retinacula bina cothurnis
Mittit in aduersum vincto de fornice pollex,
Quæ stringant crepidas: & concurrentibus ansis
Vinclorum pandas texant per crura catenas.

Meminit quoq; huiusmodi fascearum, historia S. Eugendi: Constrictus ocreis crura, fasciolisq; plantas.

IN EPISTOL. XLI.

fol. 90. v. 20. DAmœtæ) *Fuisse hunc virum illustrẽ, domi militiaq; strenuum, patet etiam ex epist. 47. vbi hunc in exercitu Caroli M. Saxones debellaturi Iuri dicundo fuisse præfectum, liquet ex his:* In diuersarum auditu causarum, iustitia semper resonet in ore.

25. Quot dentes) *Ne mireris, quod vir illustris Alcuino pectinem dono mittat. Certè Bonifacius Edelburgæ Reginæ* pectinem eburneum auratum *dono misit, vt patet ex epist. quam Henric. Huntindoniensis lib. 3. hist. citat.*

fol. 91. v. 1. Placare capillos) *in m. s. vitiosè.* placere. *Si quis occasione huius eburnei pectinis, dono missi à Damœta, velit colligere, temporibus Alcuini Clericos comam promisisse; huic quò minus assentiar, facit Sidonius: qui epist. 24. lib. 4. habitum Clerici describit:* Habitus viro, gradus, pudor, color, sermo religiosus. tum coma breuis, barba prolixa *Quod Alcuini ætate durasse credo. Sacerdotes comam non nutriuisse, patet ex Concilio Carthagin. 4. Can. 44.* Clericus neq; comam nutriat, neq; barbam radat. *Idem Eucherius hom. plurim. mart. ex decreto Aniceti Papæ 23. distinct. cap. prohibete. Isidorus l. 2. ca. 4. de offic. Ecclesiast. Epiphan. hæresi 80. & in Compendiario fidei Apostolicæ. Vide quæ notat Sauaro.*

5. In absentiæ longinquitate) *Eidem Damœtæ inscripta est subsequens epist. 47. & 51. in eodem itinere commoranti, vt apparet, dum scilicet Carolum Magnum in Saxones mouentem, comitatur.*

Valde

Valde solicitus sum, *inquit Alcuin. epist.* 47. de itinere profectionis in hostem, quia plurima solent in talibus euenire pericula rebus. *Et paulo post.* Damœta Saxoniam. *In fine Carolo M. victoriam precatur his verbis*: Dauid dilectum suum, & vos omnes victores cum gaudio reducat.

IN EPISTOL. XLIII.

Felici) *Hic est, ni fallor, Felix Hildebaldus Coloniensis Archiepiscopus*, cuius industria (*vt ait S Ludgerus in epist. cap.* 9. *de canonizatione S. Suiberti ann.* 804.) & pia instantia sanctus Leo VVerdam nauigauit, & sanctum Suuibertũ in Sanctos retulit, *præsente Carolo Magno.* *fol.* 93. *v.* 1.

IN EPISTOL. XLIV.

Videtur scripta ad Edilhardum, quem persecutus est Offa Rex Merciorum, sedem Archiepiscopatus, olim Cantuariæ fundatam, in Lichefeldã transferre conatus, *vt inquit VVilielm. Malmesbur. li.* 1. *Reg. Angl. cap* 4. *Sed Kenulphus Offæ successor Edilhardum* (*quem & legatum Romam misit*) *restituit. Extant apud Continuatorẽ Bedæ lib.* 1. *cap.* 12. *&* 13. *literæ hac de re Kenulphi & Leonis III.* *fol.* 94.

Quæ oĩa liquidè intelligi possunt ex epistolis Alcuini, quas Malmesbur. lib. 1. *de gestis Reg Angl. cap.* 3. *& lib.* 1. *de gestis Pontific. Angl. citat:*

Domino sanctissimo atque omni honore dignissimo Ethelardo Archiepiscopo.

Lectis prosperitatis vestræ literis & prosperitate itineris vestri & reuersionis in patriam; & qualiter Apostolica benignitate suscepti fuistis, toto cordis affectu, animoq; lætissimo gratias egi Domino Deo sempiterno, qui magno clementiæ dono viam vestræ peregrinationis prospero direxit itinere, & dedit vobis gratiam in conspectu Patris Apostolici, & legationis effectu, & voti compotem redire con-

cessit: & primi nostri Doctoris sanctissimam sedem ad pristinum culmen dignitatis per te iterum exaltare dignatus est: quæ cuiusdam dissensionis scissura, quorundam inuidiosa scissura ad horam discissa esse videbatur. Felix, qui vnitatem pacis fraterno amore conseruare studet; sed ille multo felicior, qui ab aliis disrupta charitatis viscera pio labore ad vnius compagem corporis reformare nititur. Igitur nunc gratia operante diuina, membrorum vnitas adhæret capiti proprio, sacerdotalis dignitas antiquo gratulatur honore, & germana pax inter summos Britanniæ Pontifices splendescit, & sub duabus Metropolitanorum ciuitatibus vna pietatis & concordiæ viget voluntas, sicut in literis vestræ beatitudinis lectum intellexi.

Item in alia epistola intercedit pro Merciorum Episcopo, vt viuens pallio non exuatur, his verbis:

Sanctarum Scripturarum lectio per tuam sanctissimam curam renouetur, & Ecclesiastica dignitas vbique exaltetur, & sancta Sedes, quæ prima fuit in fide, prima sit in sanctitate & honore, quæ partim discissa est, non rationabili consideratione, sed quadam pietatis cupiditate. Quod si fieri possit vt pacificè adunetur, & scissio resarciatur, bonum videtur esse cum consilio omnium sacerdotum Christi & Coëpiscopi vestri Eboracensis Ecclesiæ vt fiat; ita tamen vt pater pius diebus suis pallio non exuatur, licet ordinatio Episcoporũ ad sanctam & primam Sedem recurrat. Fuit igitur Ethelardus vnus, qui nobis non cunctando, sed satagendo restituit rem. Licet enim nobis mutuari dictum Ennij de Fabio. Ei non solum Cantia ingentis beneficij est obnoxia, quod eam ad pristinam dignitatem laboribus suis suscitauerit, verum etiam tota Anglia, quam degeneri Sedi substerni passus non fuerit. Vir post primos Doctores summis Pontificibus comparandus, & pænè dixerim

rim præferendus: atque haud ſcio ſi dicto delinquo; cum profectò excellentius videatur, reſtauraſſe dignitatem amiſſam, quàm conſeruare partam: quamuis & illud nonnullæ laudis habeatur. Quod ſi alicui in quæſtionē venerit, quantæ ſanctitatis & reuerentiæ fuerit, legat epiſtolam Leonis Papæ Kenulfo Regi miſſam, quæ in 1. libro geſtorum Regalium inuenitur: in qua vocat eum ſanctiſſimum, digniſſimum, chariſſimum, peritiſſimum. Quæ nimirum verba ſummus ille & ſanctus Papa non iteraret, niſi rata eſſe conſtaret. *Hæc ex Malmesbur.*

Patriâ gente tua) *Has ipſas perſecutiones Eccleſiarum deſcribit Malmesburienſis li.1.reg.Angl.c.4. & graui amaroq; ſtilo exprobrat genti Merciorum Alcuinus epiſtola ad Offam, citante Malmesbur.* Ego paratus eram cum muneribus Caroli Regis ad vos venire, & ad patriam reuerti, ſed melius mihi viſum eſt, propter pacem gentis meæ, in peregrinatione remanere; neſciens quid feciſſem inter eos, inter quos nullus ſecurus eſſe, vel in ſalubri conſilio proficere poteſt. Ecce loca ſancta à paganis vaſtata, altaria periuriis fœdata, monaſteria adulteriis violata, terra ſanguine dominorum & Principum fœdata. *Vbi quod de adulteriis Alcuinus mentionem facit, adde quæ S. Bonifacius epiſt. ad Ethelbaldum anteceſſorem Offæ:* Audiuimus, quod optimates pœne omnes gentis Merciorum, tuo exemplo, legitimas vxores deſerant, & adulteras & ſanctimoniales conſtuprent; quod quàm ſit peregrinum ab honeſtate, doceat vos gentis alienæ inſtitutio. Nam in antiqua Saxonia, vbi nulla eſt Chriſti cognitio, ſi virgo in paterna domo, vel maritata ſub coniuge fuerit adulterata, manu propria ſtrangulatam cremant; & ſupra foſſam ſepultæ corruptorem ſuſpendunt: aut cingulo tenus veſtibus abſciſſis flagellant eam caſtæ matronæ & cultellis pungunt; & de villa in villam miſſæ accurrunt nouæ flagellatrices, donec interimant.

fol. 94. v. 12.

23. Cui gregem Christi abiturus relinquis?) *Vel ex his verbis, quibus discessum dissuadet, certus sum, hanc scriptam epistolam ad Ethelhardum: de qua ausim asserere, esse illam ipsam, in qua Alcuinus fatetur se dissuasisse abitum. Citat Malmesbur. lib. 1. de Pontific. Angl.* Sanctissimo Patri & in membris Christi valde venerando Ethelardo Archiepiscopo, *&c.*

Suasi aliis literarum mearum apicibus, Sanctitatem vestram permanere in patria, nolens lumen Britanniæ extingui. Sed fiat, quod Deo placet, vt proficiat Christi Ecclesiis. Prosperum iter faciat vobis Deus, Angeloq; eius comitante, prosperè vos ducat atq; reducat dulcissime & amantissime pater. Maximè autem precor, vt apud sanctos Apostolos mei habeatis memoriam, sicut nos apud S. Martinum vestri habere dulce habemus.

28. Offanum) *Offanus idem, qui & Offa. de quo epist. 32. vbi citamus epistolas Alcuini ad Offam. Hac forma Beda, Bedanus nominatur à discipulo suo ep. de transitu Bedæ. Sic & S. Columbanus, Columba; & Theganus scriptor gestorum Ludouici vocatur Thega & Thegam.*

IN EPISTOL. XLVI.

fol. 26.

VIro Ill.) *Interpretor*, Viro Illustri *quia paulo post*: Vestra nobilitas. *Nomen huius quale fuerit, patet ex hac & subsequente 47. epistola; vbi, Homerum appellat. Sed eo modo, quo ipse Alcuin. se Flaccum; & Carolum M. Dauid nominat; familiari more illi æuo, varia nomina adsciscendi.* Hic me quondam (vt inter amicos ioca) Phœbum vocabat, *ait Sidon. Apoll. lib. 8. ep. 11.* ipse à nobis vatis Odrysij nomine accepto. *Hunc Homerum fuisse legatum à Carolo M. in Italiam missum, colligo ex ep. 47.* Ego quasi penè orbatus filiis remaneo domi. Damœta Saxoniam, Homerus Italiam, Candidus Britanniam recessit. *Forte nomine Homeri Engilbertum intelligit, quem Carolus M. misit in Italiam, vt patet ex ep. 27. 49. 51. 59.*

IN EPISTOL. XLVII.

ITer tuum confessione) *Hortatur militem, vt ante prælium Sacramentali confessione peccata expiet, laudato priscis militibus more: qui & apud Normannos; de quibus VVillielm. Malmesburiensis lib. 3. de gestis Regum Angl.* Tota nocte confessioni peccatorum vacantes, mane Dominico corpore communicarunt, pedites cum arcubus & sagittis.*&c.* *fol. 97. v. 24*

30. Damœta Saxoniam) *Vide, quæ notaui ad epist. 41. quæ eidem est inscripta.*

Martinus in vico) *m. s. vitiosè:* in vicos apud S. Iodicum. *Contulerat Carolus M. Alcuino præter Abbatiam S. Martini, cellam S. Iudoci, vt apparet ex epistola 11. Lupi Ferrar. ad Lotharium Regem.* *fol. 98. v. 2.*

6. Filia mea) *Quænã hæc, pro cuius valetudine tot preces, tot eleemosynæ, tanta solicitudo? Ausim affirmare esse Liutgardem Caroli M. vxorem, quam Alcuinus ep. 62. filiam suam vocat.* —

IN EPISTOL. XLVIII.

PVero Mauro) *In Bibliotheca Imperat. Viennæ extat Alcuini intercessio pro Mauro, manuscripta; tractans de mysticis quibusdam figuris.* *fol. 98.*

29. In poculo) *alludit, ni fallor, ad illum morẽ de quo supra ep. 22.*

IN EPISTOL. XLIX.

AGino Episcopo) *Scio Aginum (cuius mentio in fragmento hist. Aquitan. ed. Pithœi) seu Agennum esse caput Nitiobrigum, de quo Ptolomæus lib. 2. cap. 7. Hinc suspicor, hanc epistolam scriptam esse ad Aginnensem Episcopum; & legendum esse:* Agini Episcopo. *Nisi quis malit esse nomen proprium: quod, quale, mihi non constat. Quid si hic Constantiensis Episcopus Egino, qui teste nostro Hermanno, adiit Episcopatum anno 781. Blanditur quidem, sed sit, quod est, coniectura.* *fol. 99.*

IN

IN EPISTOL. LI.

fol. 100. v. 11. ANgilberto) *qui gener Caroli M. sanctitate clarus, Abbas postea monasterij S. Ricarij in Centulo, quod ipse construxit. De patre suo & matre Bertha filia Caroli M. Nithardus lib. 4. de dissensionib. filiorum Ludouici pij hac:* Angilbertus vir memorabilis Cẽtulo translatus, & anno post deceſſum eius XXVIII. corpore abſq; aromatibus indiſſoluto repertus eſt. Fuit hic vir ortus eo in tempore haud ignotæ familiæ. Madhelgaudus autem, Richardus, & hic ex vna progenie fuere. Et apud magnum Karolum merito magni habebantur. Qui ex eiuſdem magni Regis filia nomine Beretha Harnidum fratrem meum & me Nithardum genuit. Centulo opus mirificum in honore omnipotentis Dei ſanctiq; Ricarij conſtruxit. Familiam ſibi commiſſam mirificè rexit. Hinc vita cum omni felicitate defuncta Centulo in pace quieuit. 815. *Vide ep. 27. 49. 56. 59.*

13. Primicerio) *Multorum officiorũ primicerij erant, vt tribunorum, cubiculariorũ, mensorũ, lampadariorum, decanorũ, fabricensium, ſcriniorum, vtriusq; ærarij, palatinorum, aduocatorũ: & generaliter qualibet corpora, ſcholæ, collegia ſuum primicerium habent; quod primum ſonat. Hinc S. Auguſtinus S. Stephanum Martyrũ primicerium, & Baldricus Dolenſium Archiepiſcopus in hiſtoria Ieruſalem, S. Petrum Apoſtolorum primicerium vocat. Vide Alciatum in lib. 12. C. tit. 7. & Alcuini ep. 25.*

19. Pipinum) *filium Caroli M. Regem Italiæ, de quo ep. 9.*

IN EPISTOL. LIII.

fol. 101. v. 18. A Erico Duci) Ehericum *appellant Annales Francorum, anno 796. & 799. Ducem Foroiulienſem, qui priori anno Hunnos vicerit, poſteriori iuxta Tharſaticam Liburniæ ciuitatem, inſidiis oppidanorum, occiſus ſit. Egoliſmenſis monachus in vita Caroli M. vocat* Eenricum & Heiricum.

Pauli-

Paulinus) *Aquileienſis, ſeu vt Annales* Franc. *vocant, Foro-iulienſis Patriarcha; quem obiiſſe aiunt anno* 802. *Carolus M. mirifice coluit hunc. vide diploma donationis tom.* 9. *Baron. an.* 802. fol. 102. v. 5.

IN EPISTOL. LIV.

MAgenhario) *Scriptor vitæ Ludouici Pij incertus, Meginarium nominat;* virum ſapientem & ſtrenuum, gnarumq; vtilitatis & honeſtatis regiæ: *quem Carolus M. ad Ludouicum, vt eius conſilio vteretur, miſerit. Eginhardus nominat Meginher comitem, inter eos, qui Carolo Magno teſtamentum condenti adfuerunt.* fol. 102. v. 18

IN EPISTOL. LV.

CRux) *de S. Crucis imaginibus fuſe & diſerte doctiſſimus Iacobus Gretſerus tom.* 1 *lib.* 2. *de Cruce.* fol. 104. v. 25.

27. Lupi) *Intelligit ſine dubio Lupum Tricaßinum Epiſcopum, qui non eſt alius, ſed idem ipſe Lupus, de quo Sidonius in carm.* 16. *qui, inquam, in Lirinenſi cœnobio iuuenis fuit. Hic profectus in Britanniam, hæreſin Pelagianam expugnauit, vt ſcribit Henric. Huntindonienſis lib.* 2. *hiſtor. Extant ad eum epiſtolæ Sidonij lib.* 6. *ep.* 1. *& lib.* 9. *ep.* 11. *lib.* 8. *ep.* 14. *Vbi vide, quæ notat eruditè Sauaro.*

IN EPISTOL. LVI.

CAppa) *Interpretor fuiſſe ſimilem illi, quam VVitlaſius Rex Merciorum donans ait, in Donatione, quæ extat in hiſtoria Ingulphi:* Offero etiam ſecretario dicti monaſterij in miniſterium ſanctiſſimi altaris chlamydem coccineam, qua indutus eram in coronatione mea, ad cappam inde ſiue caſulam faciendam. fol. 105. v. 1.

17. Euæ) *m. ſ.* Auæ.

IN EPISTOL. LVII.

IN paruis literis) *m. ſ. vitioſe:* ſæpius ſi paucis literis tam parua officia ſalutationes dirigere. fol. 106. v. 4.

IN EPISTOL. LVIII.

fol. 107. IN m. s. quidem desideratur inscriptio: *Sed certum est, missam esse ad Paulinum Patriarcham Aquileiensem.*

fol. 108. v. 21. Scriptitans argumentationes) *De his Sidonius carm. 2.* ordine terno

Quæ vel Aristoteles partitus membra loquendi
Argumentosis dat retia syllogismis.

Fulgentius præfat. Mytholog. Platonis auratum eloquium, & Aristotelis syllogismaticum verbiloquium.

22. In mente calamum tinxisse) *Ita corrigo, quod in m. s.* in merente. *Hoc quod Alcuinus vocat Aristotelicum prouerbium, à Carolo M. auctore vsurpauit; si credimus Eckio, qui in caput 1. Peribermen. hæc habet*: Carolus Magnus ad Alcuinum inquit, Aristotelem calamum in mentem tinxisse, dum istum librum scripserit.

fol. 109. v. 16. Descendit) *m. s.* discernitur.

26. Faciem non visurum) *m. s.* non vidisse.

IN EPISTOL. LIX.

fol. 111. PAulino Patriarchæ) *Vbi Patriarcha fuerit, non exprimitur in m. s. Sed fuisse Aquileiensem certum est; qui Patriarchatum adiit anno 776. & sedit annos 25. Panuin. Præfuit synodo Altinensi anno 802. vt patet ex epistola synodali Paulini ad Carolum M.*

IN EPISTOL. LX.

fol. 112. v. 25. VEstrum libellum) *Scripsit Paulinus libellum contra Felicem Vrgelitanum & Eliphandum Toletanum hæreticos, qui extat tom. 3. Conciliorum & in bibliotheca P P.*

fol. 114. v. 6. Dumis Hispanici) *Intelligit Felicis hæresim repullulascentem,* quæ ipso auctore eam abnegante apud Reganespurg primum damnata est, *anno 792. vt habent annal. Franc ed. Pith. Mox Romæ coram Adriano Pontifice Felix secundò suam hæresim detestatus est. Sed* iterum antiquus serpens de dumis Hispanici ruris (*inquit verè Alcuinus; nam Româ* ad ciuitatem suam reuer-

reuersus est, *vt ait Astronomus Ludouici in chron. Vrgellam sciscet, quæ, eodem teste*, in Pyrenei montis iugo sita) & de speluncis venenatæ perfidiæ contritum non Herculea, sed Euangelica claua caput releuare conatur, *Verissime, inquam hæc Alcuinus: neq; enim aliorsum hæc traho. Propterea tertio damnari debuit, quod factum 794. in Synodo Francofurdensi præsente Carolo M. vt Annales Franc. & Astronomus Ludouici in chron. testantur.*

13. Vnam mersionem) *De trina mersione in Baptismo retinenda vide ep. 8. fol. 27.*

IN EPISTOL. LXI.

De Auarorum genere triumphatum) *m. s. vitiose*: de Varorum. *Auares seu Auari tum subacti sunt à Carolo Magno, teste Alcuino in epistola, quam citat VVillielm. Malmesbur. lib. 1. c. 4. de regno Merciorum.* Auares, quos nos Hunos dicimus, exarserunt in Italiam, & à ducibus præfati Regis Christianissimi, superati domum cum opprobrio reuersi sunt. Similiter & super Bauariā irruerunt, qui & ipsi ab exercitu Christiano superati & dispersi sunt. *Lege Rogerum de Houeden parte 1. Annal. anno 795.*

Æricum) *vide de hoc epist. 53.* *fol. 117. v. 26.*

IN EPISTOL. LXII.

Liudgarde) *Vxore Caroli Magni, de qua etiam epist. 25. & 47.* *fol. 118. v. 19.*

IN PROSPERVM.

Vbi res agitur coniecturis, ibi, meo iudicio, nemo tuto satis quicquam asserit. In præfatione Prosperi Chronicis præfixa, fuit coniectura nostra, Prosperum Eusebij historiam tantum continuasse. Quod vero Gennadius dicat, se Prosperi Chronicon legisse ab orbe condito vsq; ad captam à VVandalis Romam, id tantum respicere illum computum, quo in fine colligit numerū ab Adamo. Et hoc exem- *fol. 132.*

Victoris Tunnunensis probauimus. Vt vt sint hæc, si quis putet Prosperi Chronica, quæ extant, tantum membra esse amplioris illius, quod Prosper re vera ab orbe condito scripserit, næ ille meo animo non malam coniecturam habet. Nam emphasim præferre videntur Gennadiana: Chronica nominis illius prætitulata legi, continentia à primi hominis conditione iuxta diuinarum scripturarum fidem. *Tum me titulus etiam Vlriciani m. s. codicis mouet:* Incipit ex Chronicis Tironis Prosperi, Chronicorum Eusebij temporibus prætermissis. *Vbi particula* ex *indicio est, nō tota exscripta Chronica. Cætera ita accipio, ac si descriptor Lectorem velit monitum, se Prosperi illa prætermisisse, quæ cum Eusebij Chronico coinciderent. Et hanc sane causam suspicor, cur anteriora Prosperi, & si forte Victoris, interciderint. Considera autē mihi, quæso, (vt hoc obiter moneam) in Chronico Victoris initium:* A 18. consulatu Theodosij Iunioris, Victor, Episcopus Tunnunensis Ecclesiæ Africæ, historiam prosequitur, vbi *Prosper* reliquit. Igitur, &c. *Hæc, inquam, verba, si quis accuratius inspiciat, non videntur esse Victoris, sed addita ab aliquo, qui priora resecuit. Maximè mouet vocula:* Igitur. *Quæ quomodo initium integri Chronici? Confirmat me Isidorus lib. de viris illustr. cap. 25.* Victor Tunnunensis Ecclesiæ Africanæ Episcopus, à principio mundi vsq; ad primum Iustini Iunioris annum, breuem, &c. nobilissimam historiam promulgauit. *Hæc licet olim in præfatione Victori præfixa, ad collectionem annorum ab Adamo, quam in fine habet, traxerim; iam tamen malim diserte intelligi de ampliori Chronico: cuius illa pars à principio mundi vsq; ad 18 consulatum Theodosij Iunioris, ab exscriptoribus sit passim omissa, eò, quod iam ab aliis fuerit pertractata. Solent enim eiusdem argumenti scriptores alter alterius luminibus officere. Et plane durum est credere, Gennadium scripsisse, ea se Prosperi legisse, quæ nunquam viderit. Sed nec magni hæc disceptatio momenti, & in vtramq; partem disputari potest.*

IN VVEINGARTENSEM.

fol. 179. v. vlt. IRosihgardi) *Hæc ab eodem VVeingartensi in Chronico fol.* 219. *vocatur Irmingarda.* Salo-

Salomon Abbas & Episcopus Constantiensis. Vngari Italiam vastant. *Hunc aio fuisse Salomonem eius nominis tertium, illum ipsum, cuius carmen infra damus, quo hanc ipsam Vngarorum in Italiam irruptionem deplorat.* Instant Italides spoliatæ ciuibus vrbes, *&c.* f. 219. v penul

Ludevvicus regnauit annis 12.) *Verius vmbra Regis, quàm Rex: qui septennis puerulus regnum adijt. Vide quæ notamus in Salomonem Constant. qui orbitatem Germaniæ, quasi sine Rege fuisset, deplorat.* fol. 220. v. 1.

IN STERONEM ET EBERHARDVM.

VNum hc moneo, vt constet de bona fide. Ea, quæ ab anno 1152. Steronis nomine dedimus, m. s. sine vllo interuallo & sine auctoris nomine coniuncta sunt iis, quæ ab anno primo Rud. Habspurgij se collegisse testatur Eberhardus. Vnde suspicio est, omnia Eberhardi esse; præsertim cùm Vrstisius testetur, Eberhardum annales suos ab anno 1152. inchoasse. Neq; obstat, omnia ferè ad verbum (nisi, quod noster codex in multis sit auctior) conuenire cum Sterone vsque ad Habspurgium. Nam etiam ab Habspurgio, quæ Eberhardus sua esse testatur, ea conueniunt ad verbum in quamplurimis cum Sterone, qui etiam ab Habspurgio pergit annales pertexere. Notum enim est quàm sæpe auctores illius æui alios transcribendo suos fecerint. Hic tamen præter coniecturam nil statuo. Et donec m. s. litem decidat, ea, quæ certo sunt Eberhardi, illi diserte tribuimus: antecedentia verò, quæ nullum nomen præferunt, & cum Sterone ferè conueniunt, ea Steronis nomine damus.

IN SANGALLENSEM SCRIPTOREM VITÆ CAROLI M.

CIrculos nisi V I. in eos) *Prope liquere pronuncio corrigendum m. s. & legendum,* vimineos. *Sepes enim describit.* fol. 396. v. 23

Petente filio suo, Trogoni Metensi Episcopo) *Ita quidem claris literis m. s sed vitiosè: restituendum;* filio suo Trogone. *fuit enim Trogo seu Drogo Caroli filius.* fol. 369. v. 29.

fol. 414. *Notatiunculam ad oram vereor me non posse admittere. Ita fit: cogitantibus alia succedunt.* Duram *enim ibi sine vlla dubitatione pro flumine accipio, à quo Durgouia appellata est: etiam hodie nomen retinet. Habet historiolam siue fabellā verius, quæ ibi narratur, Auentinus pag. 353. Ingolstad. edit. qui vnde giganti Ænothero nomē fecerit, nescio. Certe eum Sangallensem nostrū legisse, non ex isto solum loco, sed ex pag. etiam 322. 333. &c. constat.*

fol. 419. *Notandus locus de causa diuortij inter Carolum M. & filiam Desiderij. Ea enim, quantum ego scio, à nullo alio veterum prodita est. Baronius an. 771 se eā ignorare ingenue fatetur.* Clinina & ad propagandam prolem inhabilis. *eodem sensu interpretor, quo Baronius in epistola, quam alij Gregorio II I. ipse I I. tribuit an. 726.* Si mulier infirmitate correpta, non valuerit debitum viro reddere. *&c.*

IN HERMANNVM.

Διατύπωσις *stirpis Veringensium Comitū extat apud Vrstisium.*

	VVolferadus obijt 1069. Hiltrud vxor, ⊖ 1052.	*Lutpoldus, infans extinctus. Hermannus Contractus, monachus. VVolferadus Comes, ⊖ 1065.*
VVolferadus Comes in Veringen. Bertha vxor.	*Manegold. ⊖ 1104. Leuthildis vxor, ⊖ 1106. Fundatores cœnobij Isnensis.*	*VValtherus perijt in bello ad Idungsheimiū 1109. VVolferadus.*
	Irmingardis Comitissa de Veringen	*Manegoldus.*

Anno 1357. vixêre Mangoldus Comes à Veringen, & Eberhardus filius eius.

Vbi tamen noster Hermannus audiendus potius, qui anno 1009. hæc habet: VVolferadus Comes Hildrudem, Piligrim & Bernardi filiam vxorem duxit, ex qua postea me Hermanno annumerato 15. liberos produxit. *pergit Hermannus:*

Anno

An. 1010. Senior VVolferadus Comes, patern' auus, &c. 4. Non. Martij iam senex moritur.

Anno 1013. Hermannus ego 15. Cal. Aug. natus sum.

Anno 1020. Ego Hermannus literis traditus sum 17. Calend. Octobr.

Anno 1021. VVerinharius frater meus Calend. Nouembr. nascitur.

Anno 1032. Bertha auia mea femina satis religiosa 23. viduitatis anno 11. Calend. Ian. decessit.

Vel ex his patet quàm bonæ notæ sit noster Hermanni codex, cum ista in aliis desint.

IN SALOMONEM EPISCOP.

I Neo iam sum vt mihi liquere pronunciem, quod suspicabar, Salomonis versus fol. 21. quibus orbitatem regni Germanici deplorat, Ludouicum Arnolfi filium respicere. Obiit Arnolf. anno 900. pro quo Ludovvicus puer in regnum cōstitutus est, *ait noster Herman. & quidem septennis, vt est apud Marianum, Regis verius vmbra. Nec enim regnum eiusmodi ab interregno quicquam distat: quod hæc verba volunt fol. 21. v. 28.* Principe destituit multo nos tempore languor infantilis adhuc perfungens nomine Regis. *Antea dixerat fol. 18. v. 16.* Hostibus ecce, Dei qui censebamur amici, tradimur in prædam, *&c. Hungarorum irruptiones designat, quas illi crudelissimas exercuere annis* 901. 903. 904. *& sequentibus, vt est à Reginone, Sigeberto, aliisq́ue proditum. Et nescio an non fabulam de Hunnis, quos plerique eosdem Hungaros putauere, spectent sequentia fol. 18. v. 21.* Fetre capis pretium templo lex prisca refutat, nunc canis ipse domum Chirsti spurcissimus intrat, *&c. Disertè autem Italiæ calamitates deplorat fol. 18. v. vltimo:* Instant Italides spoliatæ ciuibus vrbes. *Vbi quàm incredibiliter debacchati Hungari, vide Annal. Fuldens. F. an. 900. Simul ciuilia Lamberti, Berengarij, & Ludouici Bosonis filij bella notat fo. 19. v. 10.* Intestina loqui populorū prælia possent, *&c.*

At;

Atque hæc quidem ætati Salomonis III. Constantiensium Episcopi planissime omnia conueniunt.

IN VVALDRAMMVM.

S*Vspicor Baltrannum esse, qui Argentoratensis Episcopus; quem Regino scribit obiisse an 905. Bruschius Baldramum vocat; Chronicon Alsatiæ Germanicum Baldramum siue VValdramum. Verum hæc ariolatio affirmari non debet; neq; tamen omitti. Scio quàm in hoc genere coniecturæ blandiantur, & quàm blandè quoq; fallant. Velim nil nisi certissimum affirmari.*

De Dadone nihil adhuc eruo.

IN METELLVM.

fol. 91. v. 13.

ARnaldus) *Arnolfum ducem Baioariæ intelligit, de quo Otto Frising. lib. 6. cap. 18. similia.*

vers. 23.

Non capulatus) *Hæc visio S. Vdalrici describitur cap 3. vitæ S. Vdalrici ab auctore illi æquæuo: qui, sicut & Siffridus presbyter epitom. lib. 1. & Ditmarus lib. 1. gladio non capulato putant denotari Imp. Henricum Aucupem, qui Episcopalem vnctionis benedictionem neglexit accipere. Noster verò Metellus, & Gebhardus Episcopus in vita S. Vdalrici & Otto Frising. lib. 6. cap. 18. existimant, ipsum Arnolfum ducem significatum.*

APPENDIX AD *TOMVM I.* ANTIQVÆ LECTIONIS.

S. Columbani *Salomonis Episcopi Constantiensis* *VValdrammi* *Metelli Tegernseensis Quirinalia*	*Carmina.*

CAR-

CARMEN MONO-STICHON,

BEATI COLVM-BANI ABBATIS,

EX CODICE MANVSCRIPTO FRISINGENSI NVNC PRIMVM SVO auctori restitutum & editum.

AD

AD LECTOREM.

SAnctus Columbanus vixit circa annū 614. Sigebertus de illustrib. scriptorib. cap. 60. ait, cū multa scripsisse vel ad cauendū digna, vel ad docendū vtilia. Carmē eius cōtra auaritiā ad Hunaldū extat in Biblioth. SS. PP. vbi hi duo versus: (*Viue Deo fidens, Christi præcepta secutus. Sint tibi diuitiæ diuinæ dogmata legis.*) in nostro hoc monosticho secundo & tertio loco positi inueniuntur. Et hæc causa fuit, quare breue illud carmen etiam huic subiungerem. Sane pietatis plena sunt hæc monosticha. Quæ dum prælo adornantur, ecce tibi adsunt poëmata nonnulla S. Aldhelmi hoc ipso anno 1601. à R. P. Martino Delrio Societatis IESV notis illustrata; qui & hæc ipsa monosticha simul edidit, ex membranis m. s. Abbatiæ S. Laurentij Leodicensis; hoc titulo: INCERTI AVCTORIS MONOSTICHA. Delrius incerti auctoris nomen sagaci coniectura indagans, putat esse S. Althelmi Occidentalium Saxonum Episcopi, qui obiit anno Domini 709. Coniecturam hanc ducit ex versu 21.

Octenas studeas vitiorum vincere turmas.

Cæteri scriptores, *Septenas*, potius dicerent. S. Althelmo *peculiare est*, inquit Delrius, *octo vitia recensere castitati noxia, quorum pugnam cum octenis virtutibus descripsit in carmine de virginitate Sanctorum.* Aitq; se carmē S. Althelmi de laude virginum & octeno calculo vitiorum reperisse in m. s. subiunctum huic carmini monosticho. De hac coniectura liceat cuiq; mea pace quod volet sentire. Ego donec quid certius habeam, tribuo hoc carmen suo auctori, S. Columbano; & quidem ex fide m. s. codicis Frisingensis: vbi iste titulus: INCIPIT LIBELLVS CVIVSDAM SAPIENTIS ET VT FERTVR BEATI COLVMBANI. In quo interea conquiesco. Neq; me mouet ille versus: *Octenas studeas*, &c. Quo non ab octo vitiis sigillatim castitati oppositis, sed ab octo principalibus mortiferis peccatis deterret. Et licet fere ab auctoribus numerentur septem principalia vitia, tamen veteres octo numerarunt. testis Theodulphus Episc. Aurelianēsis in Epistola ad Clerū, quam ex m. s. Baron. tom. 9. an. 835. edidit vbi hæc: *Confessiones dandæ sunt de omnib. peccatis, quæ siue in opere, siue in cogitatione perpetrantur. Octo sunt principalia vitia, sine quib. vix vllus inueniri potest. Est enim gastrimargia, hoc est, ventris ingluuies: Secundo fornicatio: tertio accidia siue tristitia: quarto auaritia: quinto vana gloria: sexto inuidia: septimo ira: octauo superbia, &c. Debet ei etiam iniungi, vt de octo principalibus vitiis faciat suam confessionem.* Ita etiam octo principalia vitia recensent Euagrius ad Anatolium lib. de octo vitiosis cogitationib. & S. Nilus lib. de octo vitiosis affectionibus. De his ergo dicit S. Columbanus: *Octenas studeas vitiorum vincere turmas.*

Si videas discrepare collocationem nostram ab editione Delrij præsertim à versu 101. vsq; ad 140. scito me ex fide m. s. codicis Frisingensis dedisse.

MO-

MONOSTICHON CARMEN

BEATI COLVMBANI.

HÆC præcepta legat deuotus,[a] & impleat actu,
Virtutum titulis vitam qui quærit honestam,
Vel homines inter cupiat præclarus haberi,
Vel morum meritis cælestia regna mereri,
Atque DEO Christo socius sine fine videri.

a L. vt

Impleat ipse DEI, qui vult sua vota venire.
** Viue DEO fidens Christi præcepta sequutus.*
** Sint tibi diuitiæ diuina dogmata legis.*
[b] Diuitias, Domini faciet benedictio claras.
Corporis exsuperat vires prudentia mentis.
Omnibus est mundi melior sapientia gazis.
Semper amanda quidem est rerum doctrina bonarum.
Optimus est animus Christi vestitus amore.
Dæmonas aduersus magna est oratio Virtus.
Vt moneas carum noli desistere amicum.
Morbi causa mali nimia est quæcunque voluptas.
[c] Tu dare ne claudas palmas, & prendere pandas.
Semper in ore tuo resonent bona verba salutis.
Ne rogo vindictam tua mens meditetur amaram.
Sint tibi pacifici magna dulcedine mores.
Ne tua pœniteat, caueas victoria temet.

b non est in L. & repetitur 93.

c L. In dare ne c p. & prendere pergas.

Fet

d hic versus abest in L.

e L. cogites.

f & hic repetitur infra versu 105.

g L. triumphis.

h L. fit in.

i L. ne forte meretur?

k L. S. a. frueris quàm voce salutis.

l L. largiri. forte largita.

m L. derideat.

n L. sapientia.

[d] Fer patris imperium, dum verbis exit in iras.
Quisque dies vitæ est velut vltimus ecce putandus.
Quod dare non [e] possis, noli promittere verbis.
[f] Qui prodesse potest, non est fugiendus amicus.
Octenas studeas vitiorum vincere turmas.
Te ferat ad cælum quadriga repleta [g] salutis.
Lingua suos habeat frenos in corde ligatos.
Vir bonus esse nequit, nisi qui [h] fiet omnibus æquus.
Qui scelera abscondit, veniam non [i] forte meretur.
Qui bona desuescit, mox hic consuescit iniqua.
Non tu quæso iocis lædas nec carmine quenquam.
[k] Sæpius auditu instrueris, quàm voce fruaris.
Sit seruus mentis Venter; sit serua libido.
Non perdit pietas quidquid [l] largire videtur.
Non opibus bona fama datur, sed moribus almis.
Fac ne te meritò verbis [m] irrideat alter.
Pro misero miserans lacrymas effunde sodali.
Eripe, si valeas, non suggere tela furenti.
Sæpe nocet puero miseratio blanda magistri.
Ignotum noto nunquam præponis amico.
Omnia quæ dicunt homines tu credere noli.
Non sibi quis viuat, Christo sed viuat vbique.
Non tua, sed Christi quæras, qui diligis illum.
Non te, non mundum, Christum sed dilige solum.
Cum sapiente loquens perpaucis vtere verbis.
Nil oculi prosunt, quibus est mens cæca videndi.
Diuitis opprobrium gemitus est pauperis ingens.
Plurima discenti semper sapientia crescit.
Iudicium restat cunctis certissimè factis.
Adueniet Iudex cunctis qui iusta rependat.
Inclyta perpetuam præstat [n] patientia vitam.
Te feritate magis faciet moderatio clarum.

Egre-

Egregios faciet mentis constantia mores.
Consilio facias, rogo, sit tibi quidquid agendum.
Omnis quippe ætas aliquo sub fasce laborat.
Vera quidem veterum iuuenis paradigmata rere.
Felix qui causam loquitur prudentis in aurem.
Tantum verba valent, quantum mens sentiat illa.
Omnibus est locuples qui rebus abundat [o] *honestis.*
Non erit antiquo nouus anteferendus amicus.
Difficile inuenies verum fortaßis amicum.
Moribus egregiis facias tibi nomen honestum.
Nemo quidem plures habuit, quàm [p] *perdit amicos.*
Cui prodest, socio qui non prodesse probatur?
Sola fides fidei dono [q] *ditabitur almo.*
[r] *Leuis non animam torquentis cura fatiget.*
Res [s] *seuera quidem semper declarat honestè.*
Quid peius, quàm se vt iungat habitator iniquus?
Actibus, aut verbis noli tu adsuescere prauis.
Est non esse quidem satius quàm viuere prauè.
Mens bona thesauros præcellit munere cunctos.
Vitam quippe tuam tota virtute tuere.
Omnia pro vita sunt amittenda tuenda.
Præmeditata quidem leuius sufferre valebunt.
Quæ subitò adueniunt multò grauiora videntur.
Gaudia sunt populi rector pius atque benignus.
Mors aliena monet propriæ nos mortis vbique.
Felix alterius [t] *cuius documenta flagella.*
Præmia non capiet, ingrato qui bona præstat.
Sit tibi carus homo, vt frater; DEVS vt pater almus.
Omnis paulatim letho nos applicat hora.
Ante diem mortis nullus laudabilis exstat.
Quælibet ex [u] *fructu proprio cognoscitur arbor.*
Doctor erit magnus, factis qui quod docet implet.

[o] L. amicis.

[p] L. expedit.

[q] L. probabitur.

[r] L. Leuia non animi torquentis cura fatiget.

[s] L. te vera.

[t] L. cui sunt.

[u] L. f cognoscitur arbor in orbe.

Quod tibi vis fieri, hoc alij præstare memento.
Pauperibus iustis cælestis gloria restat.
Quod tibi non optes, alij ne feceris vlli.
Æquum pondus habe, teneas & statera[x] iustum.

x L. iusta.

Non tibi sit modius duplex, nec statera dupla.
Corripe prudentem: reddetur gratia verbis.
Si tu recta facis, ne cures verba malorum.
Vtile consilium dominus ne despice serui.
Inter conuiuas fac sis sermone modestus.
Cum quid peccaris, castiga te ipse subinde.
Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris.
Diuitias Domini faciet benedictio claras.
Æternam tribuit felix clementia vitam.
Vtere quæsitis opibus, fuge nomen auari.
Disce, sed à doctis; indoctos ipse doceto.
Contra verbosos noli contendere verbis.
Sermo datur multis, animi sapientia paucis.
Non læta extollant animum, non tristia frangant.
Proximus esto bonis, si non potes optimus esse.
Quanto maior eris, tanto tu cautior esto.
Cumque alium causes, propriam prior inspice vitam.
Plus tua, quàm alterius damnabis crimina iudex.
Sis bonus atque bonis; læsus nec læde nocentem.
Qui prodesse potest, non est fugiendus amicus.
Cum fueris fælix, quæ sunt aduersa caueto.
Quæ culpare soles, hæc tu ne feceris ipse.
Vita aliena tuæ tibi sit[y] cathagita vitæ.

y L. cathegita, id est doctrix, magistra.

Ira odium generat, concordia nutrit amorem.
Sit sale iam Sophiæ sermo tibi conditus omnis.
Magna quidem virtus nostra est moderatio linguæ.
Crede DEO, & proprios tunc tu tibi dirige gressus.
Lux, timor est Domini, cordis: hunc dilige semper.

In Domino sperans nullus confunditur vnquam.
Vir prudens animo est melior, quam fortis in armis.
Corporis excellit vires sapientia mentis.
Diuitias animo iniustas attendere noli.
Verbum dulce quidem tibi multiplicabit amicos.
Conuerti ad Dominum ne tardes tramite recto.
Doctrinis etiam variis non flexilis esto.
Te via nam Domini teneat firmissima semper.
Iustitiæ & pacis placeant tibi verba loquendo.
Pax precor alma tuo placeat tibi semper in ore.
Semper in ore tuo resonent pia verba salutis.
Rex sapiens populum melius defendit ab hoste.
Insipiens rector populum dispersit omnem.
Gloria magna quidem regi est sapientia iusta.
Iniuriasq́ tuas in fratrem vlciscere noli.
Semper auarus amat mendacia, furta, rapinas.
Sufficiat rerum dederat tibi quod DEVS ipse.
Quid terrenus homo, puluis & terra superbit?
Principium sceleris proh dira superbia constat.
Sit tibi cura tuæ, tota virtute. salutis.
Vna dies, quales fuerint, ostendit amicos.
Peccasti solus, ignoscere tu tibi noli.
Quod tacitum cupias. tacito committe sodali.
Inuidiam nimio cultu vitare memento.
Inuidiæ maculat famam mala pestis honestam.
Nil sine consilio facias, sic facta probantur.
Qui Domino credit, seruat mandata salutis.
Semper enim sapiens metuit sibi iudicis iram.
Instanter facias, sors quæ tibi tradat agenda.
Cum homine iniusto nolito manere frequenter.
Nec redit vnda fluens, nostrum nec tempus in annis.
Omnia finis edax deuastat gaudia mundi,

Qui pius & clemens, Dominus miserebitur illi.
Infer nullatenus benefactis mente querelas.
Improperes nunquam, dederis munuscula si qua.
Omnis pertractet primum mens verba loquela.
Corporis auxilium medico permitte fideli.
Dum poteris, benefac caro tu semper amico.
Sic nouus atq; nouum vinum veterascat amicus.
Rebus in aduersis numquam dimittis amicum.
z L. vbique. *Semper amicus amat, duratq; fidelis* [z] *amicus.*
Alma dies noctem sequitur; sic dona labores.
Tempora dum variant, animus sit semper honestus.
Consilio mentis quodque imminet antè videto.
Dum tibi vita viget, lacrymis mala crimina purges.
Noli iterare scelus, lacrymis dum diluis illud.
Luxuriis animo noli seruire malignis.
Qui modica spernit, minuit maiora per horas.
Tollitur ex numero sanctorum perfidus omnis.
Oderit insipiens sapientis verba magistri.
Excitat in risus fratres verbosus amaros.
Nil illo peius, sceleri qui gaudet iniquo.
Cui secreta quidem credas cautissimè cernas.
Corripe peccantem; noli & dimittere amicum.
a Abest in m. s. Frising. [a] *Corripere est melius notum quam perdere amicum.*
Qui fratri ignoscit, ignoscit Christus & illi.
b L. more. *Obseruat sapiens sibi tempus* [b] *in ore loquendi.*
Insipiens loquitur spretum sine tempore verbum.
Multiloquax animam meritis denudat honestis.
Gloria quippe DEVM Dominumq; est magna timere.
c L. cum mēte. *Radix est Sophiæ Dominum* [c] *de mente timere.*
Aurum flamma probat; homines tentatio iustos.
Sperate in domino, & veniet miseratio vobis.
Dilige, qui cupias cæli bona gaudia, Christum.

Feli-

Felices faciet natos benedictio patris.
Pauperis & miseri mentem ne affixeris unquam.
[d] *Diligit in Sophia se semper Christus amantem.*
Ne citus in lingua fueris, nec segnis in actu.
[e] *Non erit innocuus falsus per famina testis.*
Diuitias addit Domini benedictio plures.
[f] *Iam magnum reddas modico tu munus amico.*
Semper amicus amat: amor est preciosior auro.
Diues erit, durè semper qui operatur in agro.
Otia qui sequitur, veniet huic semper egestas.
Omnibus est opibus melior vir mente fidelis.
[g] *Exsuperat numerus iustorum regna potentum.*
Ecce timens Dominum viuet felicibus annis.
Exspectat lætus cœlestia gaudia iustus.
Impius horrendas spectat pro crimine pœnas.
Corruit in præceps populus rectore nefando.
Præparat æternam mitis clementia vitam.
Qui bona sectatur, prima bene surgit in hora.
Multorum profert sapientis lingua salutem.
Hostibus in bello dominatur dextera fortis.
Seruiet & segnis duro sub fasce laborum.
Lingua placata sibi multos acquirit amicos.
Pone tuis verbis vectes serasque loquelis.
Qui præcepta DEI *metuit, in pace moratur.*
Nam bona perpetuam tribuet doctrina salutem.
Diligit hic natum, virga qui corrigit illum.

d L. Diligit omnipotens Sophiā sibi semper amantem.
e Abest in m. s. Fris.
f L. Iam magno reddas modio tu munus amici.
g L. Exaltat numerus iustorū regna potētes.

F I N I S.

S. COLVMBANI ABBATIS EPISTOLA,

IN QVA DETESTATVR AVARITIAM.

COLVMBANVS HYBERNVS Hunaldo discipulo.

SVscipe Hunalde libens, & perlege mente serena
Dicta Columbani, fida te voce monentis:
Quæ licet ornatu careant Sermonis honesti,
Vota tamen mentisq; piæ testantur amorem.
* Viue Deo fidens, Christi præcepta sequendo,
Dum modò vita manet, dum tempora certa salutis;
Tempus & illa volat, momentis labitur ætas.
Despice, quæ pereunt, fugitiuæ gaudia vitæ.
Non fragiles secteris opes & inania lucra,
Nec te sollicitet circumflua copia rerum.
* Sint tibi diuitiæ diuinæ dogmata legis,
Sanctorumq; patrum castæ moderamina vitæ,
Omnia quæ dociles scripserunt ante magistri,
Vel quæ doctiloqui cecinerunt carmina vates:
Has cape diuitias: semper contemne caducas:
In mentemq; tibi veniat tremebunda senectus,
Quam gelidæ tandem sequitur violentia mortis.
Vltima iam sapiens meditatur tempora vitæ,
Torpentes senio vires morbosq; frequentes,
Incertumq; diem lethi certosq; dolores.

* Iste in monosticho est secũdus.

* Iste in monosticho est versus 3.

Multa senem fragilis vexant incommoda carnis:
Nam macie turpi tabescunt languida membra,
Tunc genuum iunctura riget, venasq́ per omnes
Illius in toto frigescit corpore sanguis.
Sic baculo nitens artus sustentat inertes.
Quid tristes memorem gemitus, quid tædia mentis?
Somnus abest oculis, illum sonus excitet omnis.
Quid tunc argenti fului quid proderit auri
Improba congeries, multos collecta per annos?
Munera quid procerum? ditis quid prandia mensæ?
Quid meminisse iuuat transactæ gaudia vitæ,
Venerit extremi tandem cùm terminus æui?
Hæc, dum vita volat, vigili qui mente retractat,
Spernit auaritiam, vanosq́ refutat honores.
Quid modò terrenis mentes intendere curis
Mortales cupiunt? quid turpia lucra sequuntur?
Semper auarus eget, nec habet quod habere videtur,
Ille domi solus nummos abscondit in arca,
Diuitias cumulans, dum sese nescit amare,
Plus amat hæredem, seruat cui cuncta fidelis.
O nimium felix, parcus cui sufficit vsus,
Corporis vt curam moderamine temperet æquo,
Non misera capitur cæcaq́ cupidine rerum,
Nec maiora cupit, quàm quæ natura reposcit;
Non lucri cupidus nummis marsupia replet,
Nec molles cumulat tinearum ad pabula vestes,
Pascere non pingui procurat fruge caballos,
Nec trepido tales doluit sub pectore curas, Fvoluit.
Ne subitis pereat collecta pecunia flammis.
Aut fracta nummos rapiat fur improbus arca.
Viuitur argento sine, iam sine viuitur auro;
Nudi nascuntur, nudos quos terra receptat.

Diuitibus nigri reserantur limina ditis,
Pauperibusq; piis cœlestia regna patescunt.
Temnere diuitias monuit Saluator auaros.
Quisquis amat Christum, sequitur vestigia Christi:
Nam breuis & fragilis moritura gloria carnis
Quicquid habet, rapidi velox fuga temporis aufert.
Pulchrè veridici cecinit vox talia vatis,
Tempora dinumerans æui vitæq; caducæ.
Omnia tempus agit, cum tempore cuncta trahuntur:
Alternant alimenta vices & tempora mutant.
Accipiunt alimenta dies noctesq; vicissim.
Tempora sunt florum, retinet sua tempora messis,
Sic iterum spisso vestitur gramine campus.
Tempora gaudendi, sunt tempora certa dolendi:
Tempora sunt vitæ; sunt tristia tempora mortis.
Omnia dat, tollit, minuitq; volatile tempus.
Ver, æstas, autumnus, hyems, redit annus in annum.
Omnia cùm redeant, homini sua non redit ætas:
Hanc sapiens omni semper reminiscitur horam,
Atque domum luctus epulis præponit opimis.

F I N I S.

CARMINA
SALOMONIS
EPISCOPI,

AD
DADONEM EPISCOPVM.

AD LECTOREM.

VIDENDVM an Salomon Episcopus Constantiensis, eius nominis tertius, qui ab Isone Sangallensi monacho eruditus, multa scripsit, quę Bruschius in Sangallensi & Cōstantiensi bibliothecis superesse testatur. Adiit Episcopatum anno 891. obiit anno 919.

In m. s. Frisingensi hic titulus est. *Versus VValdrammi ad Dadonem Episcopum à Salomone Episcopo missi.* Sed hunc titulum non huic sed alteri, quod quarto loco sequitur, carmini præponēdum esse patet manifestè, vbi Salomon quatuor distichis præfatur, se VValdrammi versus ad Dadonem mittere. & mox alio disticho prężfationis loco adiecto, aliud VValdrammi carmen eidem mittit. Porro hoc primum & tertium carmen esse ab ipso Salomone conscriptum liquet vel ex illo: *Has accipe Dado salutes, conscriptas tristi à Salomone tibi.*

VER-

VERSUS

SALOMONIS EPISCOPI, AD

DADONEM EPISCOPUM.

Incipit prologus sequentis operis.

SImplex Trine DEUS, Genitor, Sate, Spiritus alme,
Quem trinum simplè, quem simplum regula trinè
Credendum monstrat, fideiq; expostulat ordo:
In quo Personæ triplant, substantia simplat,
Da votum cordi, sermonibus instrue linguam;
Cymbala labrorum concede vt recta loquantur:
Fac me velle bonum iusteq; implere cupitum:
Imbue corda fide, spem dona, confer amorem;
Quæ tria cui dederis, nil habet hic non probitatis:
Sed quod postremum ponit catalogus horum,
Hoc maius reliquis testatur Apostolus esse; — 1. Cor. 13.
Vt pote qua cassus non participauerit vllus
Cænam, quam nato regi rex fecit opimam; — Luc. 14.
Et qua multimodi sceleris commissa teguntur; — 1. Petri 4.
Qua sine vel largitor opum, vel passio si quem — 1. Cor. 13.
Insignem reddit frustratus merce carebit.
Adstipulatur huic Christi sententia verbo,
Qua de mandato scribæ dans dogmata primo:
Si præcepti, inquit, magni vis pondera nosse, — Matth. 22.
Affectu toto Dominum deuotus amato.
Viribus ex cunctis, animaq; hunc dilige tota.

Dilige

Dilige cognatum procurans temet, vt ipsum.
Iußio quæ compar cognoſcitur eſſe priori.
His in mandatis pendet lex, atque prophetæ.
En ratione DEI *nihil eſt quod ſit par amori.*
Et pia virtutes dilectio poßidet omnes.
Quid plus? poßidet omne bonum poſſeſſor amoris.
Nec locus eſt meriti, ſi deeſt dilectio cordi.
Dicere iamq; decet, quod prologus iſta figuret,
Qui nunc claudatur; quia plura loquenda ſequuntur.

VERSVS SALOMONIS EPISCOPI.

D*ADO pater celebris, ſpeculum, via, lumen & orbis,*
Diſcrete antiſtes, venerande vicarie Chriſti,
Nauta, gubernator, populorum paſtio, paſtor,
Qui mihi cauſa manes, huiuſque occaſio ſcripti;
Per quem cœpit opus, cuius dulcedine ductus,
Virtutum ſpecies, & nomina trina notaui.
Cuius amore quidem præfatio lactat amorem;
Bina parum tangens, plus concionabar amorem.
Nec contentus eram ſemel hoc iterare vocamen,
Crebrius id libuit vinclo conſtringere verſus.
Vt quod mortales aptat, iungitq; tonanti,
Alterutrum ſociet ſyncero fœdere noſmet.
Iunge tuum cor, ſancte, mihi, mentemq; ſacerdos.
Quod cupiam, precor, ipſe velis, mea concipe vota;
Corpore ſi nondum, ſenſu coëamus in vnum.
Quanquam ſi fieret, ſi ſe . . . . . hora poteſtas,
Vtque à me facies nebulas tua . . . .
Credo quidem, nec vana fides, cùm complice vultu
Nos contemplamur, cùm mutua famina famur,
Plurima pars æſtus, quæ cor obnubilat intus,
Exturbata fugit, mentiq; aurora reſurgit.

Paren-

Parenthesis vt hæc subito surrepserit orsa.
Crede meis . . . . . non hoc incuria gessit,
Sed diuisa tui causa est sententia frater.
Namque pedem refero: quæ cœpi dicere, dico.
Si nos omnipotens aliquando acciret in vnum.
Sæpe quod optaui, nunc opto, optauero certè.
Dulcius hoc cunctis argenti, auriq; talentis,
Bombice, & gemma, blattis, eboriq; fuisset;
Vt solareris, varia est cui causa doloris.
Et quæ literulis virtutum nomina finxi
Edoctus de te possem cognoscere planè,
Qualiter alta Fides valeat diuellere montes,
Atque maris medio, pelagiq; immittere fundo:
Quid diuina velit, vel quod dilectio fratris,
Qua spe suspensus semper cœlestia sperem,
Casibus in mundi quæ me patientia firmet:
Libra qua pendam, veniant si prospera forsan.
Quisquis tecta sui conciuis viderit vri,
Ipse modo simili credat sua posse cremari.
Est opus, est inquam cautè perpendere causam.
Si Domini, depicta domo, primordia sumpsit,
Litera Tau, nobis impingens signa salutis;
Nec desit fronti quod nos ô subtrahat hosti:
Linea quem cingunt, medium pertransiit vrbis Ezech. 9.
Hierusalem, dans signa gementi, siue dolenti,
Qui gemit atque dolet, Domino signatus adhæret.
Sic in monte sedens Saluator dixerat ipse:
Felices qui nunc lugent; quia gaudia luctum Matth. 5.
Qui citius transit, post hæc æterna sequentur.
Si risus fletu mercandus creditur esse,
Est nobis flendi nimium concessa facultas.
Hinc atque inde satis subrepunt aspera nobis:

Nec simplex mortis facies, nec singula damna,
Sap. 5. Sed sicut Sapiens, seseq; sequentia cernens,
Contra insensatos orbem pugnare fatetur,
Doctor Gregorius quod tangit taliter orsus:
Corda prius hominum turbantur, post, elementa.
Iure igitur restat, nos vt simul omnia cædant,
Quæ malè sunt vitiis nostris seruire coacta.
Iustè pro Domino vitiatus dimicat orbis,
Vt peccando homines quia se læsêre priores,
Vlciscens semet contra illos ipse duellet.
Cælum, lympha, solum, nec non & cetera rerum
Ordine cum proprio temerata lege recedunt,
Pro Domino pugnant, qui nos hoc more flagellat.
An non peccatis, Paganæ natio gentis,
Quæ mundus fecit, vastans mortalia, vincit?
Hostibus, ecce, Dei qui censebamur amici,
Tradimur in prædam: Ioseph fera pessima mandit,
Israël Allophylus, Iacobos gens Ethnica mactat,
Ingenuos maledicta cohors Chananæa triumphat,
Libertos olim seruilis factio cædit.
Deut. 23. Ferre canis precium templo lex prisca refutat:
Nunc canis ipse domum Christi spurcissimus intrat;
Dat necibus plebem, vulgo res, ignibus ædem;
At Mensam Domini sacram manus impia scindit;
Tractat pollutus Sanctorum pignora tactus;
Ecclesiæq; pecus peregrè transducit abactum;
Non miseret patris, nulla est miseratio matris.
Transfigit natum feritas ante ora parentum.
Nec natam redimit, quod mater funera plangit.
Iunior, atque senex, lactens puer, atque puella,
Alter in alterius moribundi cæde volutant.
Instant Italides spoliata ciuibus vrbes,

Ac desolati demtis cultoribus agri,
Campi cæsorum siccatis ossibus albent.
Iam puto tot viui non sunt, quot morte peremti.
Illorum vatis dicamus congrua verbis,
Ante quidem summa de re statuisse Latinos,
Si vellent, fuerat melius non tempore tali Virg. 11. Æn.
Cogere concilium, cum muros obsidet hostis:
En quò perduxit miseros discordia ciues!
Sæpe malum hoc illis, si mens non læua fuisset,
Intestina loqui populorum prælia possent.
Viuunt quippe sues sese mordere solentes,
Ad se mordendum dentes excire luporum.
Pascua nunc gregibus vix porrigit inclyta tellus,
Lasciuire prius de cuius & vbere pauper
Consueuit, sano dum res stetit integra regno.
Nouimus electum vas Christi scribere Paulum, Gal. 5.
Mandere delectat, vel si mordere vicissim,
Alterutrum vobis ne fors consumtio sitis.
Corporis intuitu, tunc mentis cernite visu.
Claret Apostolicis Laurentum sermo ruinis:
Inter se primum ciuili lite furentes,
Barbarico obiectis soluunt commissa furori.
Omne quidem regnum contra se schismate scissum Matth. 12.
Destruitur, domusq; domus superimminet vltrò.
Cælum terra meant, sed firma hæc famina perstant.
Dic frater, dic Antistes, dic sancte sacerdos:
Si constare nequit regnum per dissona se par,
Quæ sint diuisis metuenda pericula nobis?
Vnanimes habitare domum Psalmista notauit; Psal. 131.
Sed te SVLPITI (ne GALLVS id audiat) affor:
Rari sunt nostrum, quorum mens tendat in vnum.
Discordant omnes, Praesul, Comes, atque phalanges;

Pugnant inter se conciues, contribulesque:
Vrbica turba strepit, machinantur & oppida bellum.
Quid? non cognatos etiam discordia pungit?
Prouocat in Martem frater, concurrere fratrem
Infremitat, sæuitq́ animis ignobile vulgus.
Omnia, legirupis certant mortalia pugnis:
Maiores aliis faciunt nil rectius illis,
Qui defensores patriæ populiq́ fuisse
Debebant, aliis constant occasio litis.
Nam quorum patres sedabant seditiones,
Horum posteritas acuens exaggerat iras,
Vnius populi cum sit dissectio talis,
Num sic diuisum credis consistere regnum?
Reddimus æternas indulgentissime rector
Grates Christe tibi, meritosq́ sacramus honores,
Quod non, vt meruit, voluisti perdere mundum.
Olim quippe reis deberes sumere pœnam,
Sed nos portando, vis ad meliora reuerti,
Atque vt pœniteat, quæ quis peccata patrarat.
Namque diu, res si qua diu mortalibus vlla est,
Viximus, atque datum mirè transegimus æuum.
Contigit anne vnquam, vel hoc contingere quisquam
Audierat? num tale aliquid aut fama susurrat?
Vt totidem populi, tam multæ denique gentes,
Lustrorum multis tot discurrentibus annis,
Immunes regis, habuissent tempora pacis.
Israël vna tribus, quam triuit fusca Canopus,
Cum pes lacte solum manans, & melle teneret,
Vndique per girum ducens ex hoste trophæum,
Illos occidens, ast illos censibus vrgens,
Postquam diuinæ contemsit fœdera legis,
Irritatq́ Deum, manuum per facta suarum,

Acci-

Accidit interdum, Domino plectente reatum,
Vt rex defuerit, dux illi nemo fuisset.
Nec mora; quos vincens subiecerat ante * tribunis,*
Vincitur ex illis, seruiuit & ipsa tributis.
Tunc Ammon, Madian, Moab, Amalechita, Philistim,
Illius audaces culpa, vel crimine fortes,
Cedentes cædunt, spoliantes exspoliarunt.
Insuper & dextra ..... stirps vulnere Iudam
Fulminat hinc Iudas: Beniamin fortiter instans,
Fratribus excisis, dum trudit flumina sanguis.
Non mirere Pater, si conuiciamur acerbis
Litibus & pugnis, si motus ferueat orbis;
Sed magè mira putes, quod non sint funditus omnes,
Et tribus & populi funesto Marte peremti,
Ah, cùm non habeant, qui Fac, vel, Desine, dicat.
Regia si turmis esset prælata potestas,
Non adeò temerè fluctaret mobilis ordo,
Discola nec tantum struxisset factio cladis,
Nec mala conantes eadem, factisq; replentes,
Præmia siue thronum sinerentur adire proborum.
Plura quid his dicam? Desunt vbicunque regentes,
Disciplina cadit: huic & contraria surgit,
Absque timore quidem nihil esse, loquuntur, honorem.
Barbaries quæsita domi, censuq; coacta,
Christicolûm populis, cum rex mandauerit illis,
Cœtus Catholicos quia rex non dirigit ipsos,
Infra tecta capit, censumq; cruore reposcit.
Principe destituit multo nos tempore languor
** Infantilis adhuc persungens nomine regis.*
Ætas nec pugnæ est habilis, nec legibus apta,
Cui Deus indulget regnis sceptroque potiri;
Sed tenerum corpus, set æq; ad fortia vires

* tributis fortè.

* Intelligit forte Ludouicum regem quieirca ann. 911. adolescens mortuus, Ratisponæ sepultus.

Despectum propriis generant, atque hostibus ausum.
Quam vereor, quam sæpe reuoluo .....
Ecclef. 10. *Illius eulogium, qui, væ portendere genti,*
Supra quam iuuenis staret dominatio regis,
Asseruit: quod summa Salus auertat ab illa
Gente, salutari quæ fonte renascitur illi,
Qui Rex, & Dominus, qui scitur & esse Sacerdos,
Qui nec principium, nec finem percipit vllum,
Cuius regna chao, præcellunt iura diebus:
Si non absurdum cuiquam, vel fortè molestum
Esset, in hoc lapido vellem sermone morari,
Et nouus interpres quiddam mœrore leuando,
Quod nusquam legi de me proferre legenti.
Omnis in antiquum qui credit ..... dierum:
Subditur haud iuueni talis deuotio regi.
At verò gentes stultè simulacra colentes,
Cum sibi constituunt alicuius imaginis icon,
Subdunt se iuueni per inania figmina regi.
Regem .... nouiter sic constituentis
Nobis per iuuenem veniat benedictio regem.
Hæc ego commentus, scriptis non derogo sacris:
Sit rata, quam sapiens prodit narratio, codex
Exemplum nobis, authentica scriptio ponit;
Monstrans non nimium iuuenili ætate dolendum.
4. Reg. 22. *Strenuus annorum Iosias rex fuit octo,*
Cum primùm regno fungi cœpisset auito:
Firmatus verò sensu solidatus, & æuo,
Indeptus plenis maturum robur ab annis,
Zelo feruenti studuit seruire Tonanti,
Instaurat templum, comitiq; ornatibus ipsum,
Ordinat officium, diuinatione dicatum,
Lege monet populum, instigat flere reatum,

Scan-

Scandala dimouit, lucos excindere iussit,
Dauid iter vadit, Domino constanter adhaesit.
En quò profecit, qui pusio regna capessit!
Quis rogo nunc iuueni debet diffidere regi?
Dummodo cuncta regens rex regem dirigat ipse.
Syncerus certè Samuel, Danielq́ propheta,
Essent aetatis pueri cum fortè minoris, 1. Reg. 3. Dan. 13.
Iudicium senibus decernunt, iusq́ gerontis.
Quaedam verba metu posui, solamine quaedam,
Vt quem sollicitet formido, spes animaret.
Aestus hi tales, quos profert pagina praesens,
Turboq́ commiscens diuersis casibus omnes,
Ossa mihi siccant, sensum maerentis obumbrant.
Accidit & crebrò, stupidus cùm talia tracto,
Vt sicut Nonnus scripsit, felixq́ sacerdos, Nonnus.
Hieronymus noster, sanctus, sapiensq́ Magister, Hieronymus.
*Interdum proprium fiat mihi nomen * oboltum,*
Et mens fusa foras, ipsum me deserat intus:
Tunc postliminio deserta cubilia longo
Regrediens .... proprij noua dogmatis hospes.
Quid tu? panis abest, aquè nec pocula praestò,
Nec focus ardet ibi, nec lectus sternitur aegrae,
Esurit, atque sitit, suffert & nudula frigus:
Quid faciat? quò se vertat? quis pauset egenam?
Flet gemit, & lacrymat, singultit, mussat, & haeret.
Omnia tentanti compunctio subuenit ipsi,
Tali suggestu compellans sana dolentem:
Nocte fores media tandem pulsentur amici,
Si sit dormitum, vox pernix excitet illum, Luc. 11.
Vt lassus terno recreetur pane viator.
Nec tibi, crede, negat, tantum prex sedula poscat,
Insuper & lympham largus tibi porrigit vltrò,

Qua quis potata sitiens non sitiet vltrà. Ioan. 4.
Hic facis, vt tantum formides frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.
Nec petit argentum, precium nec postulat vllum.
Qui dare sponte docet, gratis, quod poscitur, offert.
Hæc pia mens tristis librans consulta sororis,
Mel super, atque fauum hunc talem retur amicum,
Et pulsare fores, aditus iam quærere feruet,
Eius & eloquiis aures aperire fruendis.
Eià agè rumpe moras, delectat pergere dicit,
Sed quia non proprio satis est confisa paratu,
Adstruit ecce palam sese ductoris egenam,
Pergere nec quoquam per semet posse fatetur.
Ergò viæ ignaram sustenta, Præsul, alumnam,
Lapsantique manum ductricem porrige quæso.
Teste loquor Domino, potis est quem fallere nemo.
Quod non pictoris ludo, nec more poëtæ,
Fuco fallendi quorum lex traditur vni.
Alter habet iuris poësim componere mendis:
Sed quod verba notant, illud præcordia clamant;
Scribit quodq; manus, scriptum mens obtinet intus.
Questibus internis suffragia quærito Patris,
Pandens quanta premunt, manifestans quanta lacessunt,
Vt, pondus proprium quem lassans mergit in imum,
Erectum statuat, cui standi robur abundat.
Cælipeta insonuit sancto quod Apostolus ore, Rom. 14.
De me profiteor: Reuera nescius error
Obnubit mentem, crebro fallitq; videntem.
Nonné videns fallor? cernens & visibus orbor?
Pauli voce loquor, quid agam non sentio planè, Rom. 7.
Ignorans operor, quod non intelligo factor.
Verser vt in mundo fragili, nunc vtile duco. Philip. 1.

Vt quiddam sedem, quod fessum concutit orbem;
Cogit & officium me iungi plebibus almum,
Et fratrum propriam curis postponere curam,
At plerunque subit, quæ sic intentio dicit:
Mundum linque, vaca Domino, sectare quietem,
Tecum disce habites, inimicas desere lites;
Nutat enim mundus, fallax & labitur orbis.
Si tu mundanas vis sustentare ruinas,
Inuoluent rapidis fors te ruinosa ruinis.
Nititur in vacuum qui perdit ad vltima nisum.
Ambo saluari si tu, mundusq́ nequitis,
Erue vel temet: nam solum euadere refert,
Quàm periisse duos æquè discrimina passos.
Huc ades Antistes, his interponere iudex.
Hæc est summa quidem, quod cœpi scribere pridem:
Pontifices, Regem, quamuis populosq́ dolerem,
Acrior hæc memet semper mea cura remordet.
Nam me plus æquum, quàm quemlibet arbitror horum,
Vulnera plura gerens, medicinas expeto plures,
Otia sectari, strepitumq́ relinquere mundi,
Me lex illa monet, laribus quæ mentis inhæret;
Hanc contra pugnat, quæ membris indita constat.
Heu mihi quàm duro solet hæc superare triumpho; Rom. 7.
Captiuans miserum peccati lege ligatum.
Inualidæ legi sis ô patrone fauori.
Per te deuincat, per se quæ victa laborat.
Et simul ambiguum de binis effice certum,
Consilium vt sapiens dubitans Susanna capessens
Euadat mortem iam libera per Danielem. Dan. 13.
Vis, potes, & nosti conseruis auxiliari;
Cui pater ille domus peregrè frumenta profectus Matth. 18.
Dispensanda dedit, nec gazas condere iussit,

Vbertim binis quas contulit ipse talentis.
Diuide, dispensa, profer, largire, ministra,
Quod tibi diuina corban descendit ab aula.
Hoc heros mandat, data dans dare dapsilis optat.
Quantò plus dederis, tantò plus danda mereris.
Arca cluit dando, vacuatur & ipsa negando.
Qui sua deriuat, soli sibi flumina seruat.
Hæc exhortando, non te sunt dicta docendo;
Quippe theoreticè quem Spiritus imbuit arte.
Aruum iam sitiens, de te desiderat imbres,
Eloquij pluuia squalentia complue rura.
Disciplina patris mihi sis, compaßio matris.

.... OR.

M*Athitæ fido præsens didascalus esto,*
Annuat omnipotens, qui cæli sustinet axes,
Atque grauem vasta terram sustentat abysso,
Ipse tua vt suppar virtute diutius vtar,
Viuere sitq; meum, quod te scio viuere sanum.
Funde preces Domino pro me, mi frater, id oro,
Et plebi totæ sit prex tua fultio vitæ.
Dum fruor hac vita, vitali vescor & aura,
Dum sensus sapiunt, dum linguam .... manebunt,
Te meditor semper, te rumino voce frequenter,
Iugibus & votis, habitare palatia lucis
Te, tibi me iuncto, IESVM precor esse. Valeto.
Hic in calce rogo claudens hoc .... sigillo,
Vt vinclo fidei, quo vos me stringere noui,
Nostrum Hathonem, vestrumq; ligetis eôdem,
Et qualem vobis me corde valere velitis,
Talis ei sitis, & plus, quia plura valetis;
Quos vobis fidos, & quos habeatis amicos.

Ad nostram oro fidem per vos ducantur iidem.
Nos vobis equidem ritu faciemus eodem
Nobis concordes, ad vos conuertimur omnes,
Seruantes legem fidei nihilominus ipsi.

CARMINA SALOMONIS EPISCOPI AD DADONEM EPISCOPVM.

In m. s. non est titulus.

EXimie Antistes, has accipe, Dado, salutes,
Conscriptas tristi à Salomone tibi.
Sicut lætorum fueras pars antè meorum,
Sic nunc tristitiæ pars, Pater, esto meæ.
Gaudenti congaudere, & cum flente dolere
Scriptio quam dictat, Tarsigena imperitat.

Rom. 12.

Tempore transacto damnum generale querendo
Quædam conscripsi, Præsul amande, tibi.
Obliqua dolui mundum vertigine ferri,
Mixtim diuersa explicuique mala.
Poscens consilium de te, mi care, malorum,
Singula disserui, quæ fuerant oneri.
Casus multorum sed me nunc obsidet vnum,
Et diuersorum me puto fasce premi.
Dum frater vixit, quidquid me durius vrsit,
Insinuans illi hoc leuius habui.
Hic mihi portus erat, mens huc mea se referebat,
Cùm mare iactaret, meq; salum quateret.
Hic baculus lasso, fuit hic medicamen & ægro.
Istic dum viguit, nil mihi triste fuit.
Esto, iam fuerit; sed cum fuit ille, subegit:
Cum perpessus eram: nil patiens fueram.
Quis dat aquam capiti, cui præstò est causa dolendi?
Cui plorare quidem, multaq; flere libet.

Dicite queis lacrymis dolitum sit funus Abelis,
Cum protoplasti hunc gemuêre mori.
Quos luctus Adam, vel quam das Eua querelam,
Cum qui plus placuit fratre necatus obit?
Amplius ipse quidem defunctum lugeo fratrem:
Nam vice suscipitis progeniem sobolis.
Gen. 4. *Seth vobis veniens fletus deterserat omnes;*
At semel amissus non venit ille meus.
Gen. 37. *Ipse Iacob luxit, quod Ioseph obisse putauit,*
Quamlibet vndena stirpe cluat genitor.
Ast mihi queis lacrymis est flenda ereptio fratris,
Beniamin nullus cui superest alius?
Ierem. 31. Matth. 2. *Rachel docta doce mea me contraria flere,*
Quæ consolantes spernere mœsta soles.
Eligo lege tua solamina sumere nulla:
Hoc vlulatu omnem continuare diem.
2. Reg. 19. *Rex Dauid planxit, pulcher quia natus obiuit;*
Seque insectantem flet genitor sobolem.
Hic nisi quod libuit nunquam mihi funditus egit,
Et quamuis bini, mansimus vnus homo.
Quæ volui, voluit; quæ non, hæc ipse reiecit.
Quo mihi huic similis inueniendus erit?
Si pater hunc flesti, qui sceptrum tollere regni,
Cum vita tibimet sæpe ferox cupiit:
Istum quo planctum dignè quo perstrepo luctum,
Qui planè omne suum maluit esse meum?
Pro me sponte suam qui vellet ponere vitam,
Se morti tradens, me superesse volens.
Ezech. 1. *Vt legitur literis animalibus esse beatis,*
Si starent oculi ante, retroque mihi;
Tot non sufficerent, quantum mihi flere liberet,
Quamlibet intra me flumen & esset aquæ.

His-

Hieremiæ sancti me deploratio libri
Corde tenus tangit, utque propheta gemit.
Ecce querelosis sit fas mihi dicere verbis,
Dixit ut arctatus, Christe, Sophista tuus.
De me magnificos tuleras sanctissime cunctos, Thren. 1. 15.
Et teris electos cum ditione meos.
Ipse ideo plorans lacrymarum duxero lymphas,
Solator longè quòd mihi factus abest.
Sum vir ego certè, qui iam contemplor abunde,
Cernens ærumnam pauperiemque meam.
Hic volo, quem scribit, quemque ipse Theologus addit,
Ad me solandum ponere versiculum.
O tua sancta satis Domine est miseratio grandis, Apoc. 14.
Quod non consumti falce metente sumus.
Rhetoris eximij sed fabor voce Seueri: Sulpitius Seuerus.
Imperitare mihi quin doleam nequeo.
Hæc eadem posuit prædictus famina scriptor,
Martini sacrum commemorans obitum.
Discipuli Paulum narrantur plangere viuum,
Ex his disiunctus cum petiit pelagus. Act. 20.
Plangitur annè magis disiunctus vortice mortis,
Qui pelagus petiit, quo . . . . non rediit?
Qui reuocare valet te, pro te, Lazare, deflet. Ioan. 11.
Ergóne iure gemit, qui reuocare nequit?
Turba beatorum Meßiæ discipulorum, Ioan. 16.
Cum se prædixit vadere, mœsta fuit.
Hæc, inquit, dicens: scio vos existere tristes:
Sed vobis multum proderit ire meum.
Si sic discipuli IESV sunt mœstificati,
Cum sibi profuerat hic quòd ad alta meat:
Cui multum periit, quod frater carus abiuit,
Creditur has lacrymis posse carere genas?

Iam solare pater me, te precor, indigus, æger.
Lassum vt sustentes, vox iubet alma tibi.

Esai. 50.
II. Reg. 30.

In sortem cecidit tibimet plaga climatis austri,
Debes, qui fugiet, pane cibare tuo.
Ad te confugio, pastum partire misello;
Panis egestate ne moriatur inops.
Causa mihi restat, quæ... cor turbine sanat,
Funere fraterno, qua releuabor ego.
Illud cum recolens ... animæquior exsto.
Quod, cùm migrarat, Pontifices aderant;
Cum quibus ipse suum pertractans sæpe recessum,
Res discessuri ordinat ipse sibi.
In mundum vt venit, sic nudus pæne recessit,
Qui præ se misit omne, quod hîc habuit.
Cumque diuturno coquerentur membra camino,
Vltima vix tenuis hæserat osse cutis.
Tunc igitur veterem deponens martyr homonem,
Cælo reddiderat, quod DEVS *inde dabat.*
Hanc dixi causam mœsti lenire querelam,
Quam me fraternus cogit habere obitus.
Insuper hoc certè, quod Patres constituêre,
Quos Dominus iunxit, quando beatus iit.
Denique commoti tractare pericula mundi,
Casu quem cernunt, cautius incipiunt.
Tunc sanxêre diem fieret quæ SEPTIMA *fratris*
Omnes perficere cum prece si Agape.*

fort. cum precibus Agapen.

Sic cum veniret quæ lux TRICENA *maneret,*
Ritu consimili hanc statuere coli.
Annuus vtque diem circus reuocabit eundem,
Rursus agunt precibus hoc pietatis opus.
Præsul cum reliquis & tu reminiscere fratris.
Cui viuens fidit, fisus & ille fuit.

Pecto-

Pectore ſyncero nos temet amauimus ambo,
Vnicè confiſi exſtitimusq; tibi.
Ambo germani te poſcimus auxiliari.
Hoc mihi ſuccurris, ſi memor eius eris.

SALOMONIS EPISCOPI TETRASTICHON, QVO CARMEN VValdrammi mittit ad Dadonem Epiſcopum.

In m. ſ. non eſt titulus.

HIc tibi ſcripturam Præſul ſubiungo legendam,
*Quidam * ſuſpirans qua mea damna gemat.*
Qui, cùm mærorem ferret mihi plaga recentem,
Primum condoluit, cumque gemente ſtrepit.
Poſthac humana proponens debita vitæ,
Me ſufferre monet, quæ toleranda manent.
Tu quoque ſic facito, mihi par per vtrumque maneto.
Poſt fletum tandem me, rogo, fac hilarem.

* VValdrammũ intelligit.

VERSVS VVALDRAMMI AD SALOMONEM EPISCOPVM, QVOS Salomon ad Dadonem mittit.

Huc pertinet iſte titulus, qui in m. ſ. perperam primo carmini additus eſt: Verſus VValdrammi ad Dadonem Epiſcopum à Salomone miſſi.

PLanctus Rachelis plebs mecum lugeat omnis,
Et velut ob Ioſeph, Iſraël ipſe dolet.
In campo Magedon fuerat ceu luctus Adremmon.
Ioſias migrat. ſic modo flere iuuat.
Conuenit ecce mihi cuiuſdam voce profari,
Cui dolor, anxietas, mæror & intus erat.
Carmina qui quondam ſtudio florente peregi,
Flebilis heu mæſtos cogor inire modos.
Ecce mihi laceræ dictant ſcribenda Camœnæ;
Et veris elegi fletibus ora rigant.
Quis, rogo, non luget? quis ſe plangore coërcet?
Cùm qui lætitiam amplificabat abeſt.

Ierem. 31.
Gen. 37.
Zach. 12.
Adadremmon
2. Paralip. 35.
Ouid.

Qui

Qui faciem placidam reminisci quiuerit illam,
Non lacrymas fundens, nonque dolore madens?
Nobilis, ingenuus, primas, mediocris, egenus,
Luctu communi, hunc flet ab orbe rapi.
Vera manent certè quæ scribit canna poëta,
Qui cùm perspexit acria mortis, ait:
Aspera conditio, & sors irreuocabilis horæ,
Quam generi humano tristis origo tulit.
Cuius quod sequitur lauta ratione politum,
Vt relegas Domine, hic libet inserere.
Ecce hoc triste nefas nobis genuêre parentes,
Cœperat vnde prius, hinc ruit omne genus.
Primus Abel cecidit miserando vulnere cæsus,
Ac fraterna sibi ....
Post quoque Seth obiit, sub Abel vice redditus isdem,
Et quamuis rediit, non sine fine fuit.
Quid Noë memorem laudatum voce Tonantis?
Quem grauis arca tulit, nunc grauis arca premit.
Sic quoque Sem, & Iaphet iustissima proles,
Sancta & progenies, tale cucurrit iter.
Quid patriarcha Abraham, vel Isac, Iacob quoque dignos?
Cùm de lege necis nemo solutus adest.
Melchisedech etiam Domini sacer ore sacerdos,
Iob quoque, seu geniti sic abiêre sui.
Legifer ipse iacet Moses, Aaronq́ sacerdos,
Alloquioq́ DEI dignus amicus obit.
Successorq́ suus, populi dux inclytus Iesus,
Quos legitis libris occubuêre patres.
Quid Gedeon, Samson, vel quisquis in ordine Iudex,
Mortem sub Domino iudice nemo tulit.
Israëlita potens Dauid Rex, atque propheta,
Est situs in tumulo cum Salomone suo.

Esaias, Daniel, Samuel, Ionasq; beatus,
Viuens sub pelago, stat, modò pressus humo.
Princeps claue Petrus, primus quoque dogmate Paulus,
Quamuis celsæ animæ, corpora terra tegit.
Semine ab humano cui nullus maior habetur
Vir Baptista potens, ipse Ioannes obit.
Enoch, Heliasq; hoc adhuc spectat vterque,
Qui satus ex homine est, & moriturus erit.
Ipse creator ouans cito surgens Christus ab vmbris;
Hic quia natus homo est, carne sepultus humo,
Quis rogo non moritur, mortem gustante salute?
Dum pro me voluit sic, mea Vita, mori.
Ergò quid hinc facimus, quod declinare nequimus,
Cum nihil auxilij possumus esse rei?
Ploramus, gemimus, sed nec prodesse valemus,
Luctus adest oculis, est neque fructus opis.
Viscera torquentur, lacerantur corda tumultu:
Sunt cari exstincti, flendo cadunt oculi.
Ecce vocatur amor, nec iam reuocatur amator,
Nos neque iam repetit, quem petra mersa tegit.
Ibimus ergò omnes alia regione locandi,
Ibimus ad patriam, quos peregrina tenent.
Ne reuerende Pater, ne casu ... esto, ...
Non hunc flere decet, quem paradisus habet.
Quod iubet omnipotens, non possumus esse rebelles,
Fortè DEVM *contra est, illius acta dolens.*
Illius ecce sumus figmentum, & spiritus inde est:
Cùm iubet hinc imus, qui sumus eius opus. Ioan. 16.
Accipe solamen, quod scis spondere creantem:
In me qui credit, non morietur ait. Ioan. 8.
Spondet adhuc etiam, nullus cui detrahat vnquam:
Quæ duo deposcant, vt sibi danda sciant.

Matth. 18. *Si duo de vobis votis concordibus, aiens,*
Implorant aliquid, hoc pater ipse dabit.
Si possint rari Domino præstante mereri,
Quæ precibus poscunt; quid numerosa queunt?
Turba sacerdotum, monachorum corpus inerme,
Nonnæ cum viduis, pauper, inopsq; phalanx,
Clerus cum vulgo, vilis cum diuite summo,
Cum maiore minor, cum puero senior.
Commendant animam IESV cum questibus ipsam
Fratris germani, Domne beate, tui.

DISTICHON SALOMONIS, QVO SEQVENS CARMEN AD DADOnem mittit.

Rursus, sancte pater, tua me dilectio cogit
Scribere doctiloqui verba perita viri.

VERSVS VVALDRAMMI AD SALOMONEM, QVOS SALOMON ad Dadonem misit.

Esto virile decus, patienter vince dolores,
Quod non vitatur, vel toleretur onus.
Talis erit populus, qualem te viderit esse,
Deq; tua facie plebs sua vota metit.
Deniq; Iob natos septem vno triste sub ictu
Amittens, laudes rettulit ore DEO.
Femina bis felix pia mater Maccabeorum,
Natos septem vno funere læta tulit.
Dauid Psalmigraphus cum natum amisit amatum,
Mox tumulo posuit, prandia festa dedit.
Hæc girata manu, nec non percensita censu,
Fors mærore tuum, domne, leuant animum.

ME-

METELLI

TEGERSEENSIS QVIRINALIA.

IN

LAVDEM S. QVIRINI MARTYRIS,

NVNC PRIMVM EX CODICE MANV ſcripto Monaſterij Tegerſeenſis edita.

AD LECTOREM.

METELLI apographum ex codice manu ſcripto Tegerſeenſi habuimus beneficio Nobilis & Ampliſsimi viri Marci Velſeri Duumuiri Auguſtani. Quis Metellus hic fuerit, nobis non conſtat aliud, quàm monachum Tegerenſem ſeu Tegerſeenſem fuiſſe, & vixiſſe circa annum Domini Milleſimum ſexageſimum. Auctor ipſa antiquitate ſe commendat. Et quibus hactenus ne nomen quidem Metelli huius Boicorum poëtarum, quod ſciam, antiquiſsimi, notum fuit, iis Metellus tantò gratior erit, quantò inexpectatior.

INCIPIVNT QVIRINALIA METELLI IN LAVDIBVS BEATI QVIRINI GLORIOSI MARTYris, ad instar Odarum Flacci Horatij diuerso metri genere contexta.

Ita Apographū ex m. s.

QVOD PATRE CÆSARE EDITVS SÆCVLVM REGNIQVE *decus spreuerit.*

ODE MONOCOLOS TETRASTROphos, metrum Asclepiadeum.

O FLOS purpureus, tu rosa nobilis,
Martyr conspicuus, testis idoneus,
Stirpis Cæsareæ germen amabile,
Aulæ sydereæ clarus in ordine.
Pro Christi positis nomine fascibus,
Regni delitias ac diademata
Spernens, diuitias cunctaq; terrea,
Regnum perpetuum sanguine possides.
Felix qui superi munera luminis,
Æterniq; boni iura perennia
Nancisci potuit, merce solubili,
Lucrans astra solo, carcere regiam.
Fortis qui rigidas spernere cuspides,
Instantem gladium temnere quiuerat
Acer, cui solij gloria sorduit,
Et ius imperij pro nihilo fuit.

Præpollens animis, celsius acumine,
Secreuit placidus fluxa manentibus,
Hæc ex arbitrij culmine despicit,
*Hæc quærens auido pectore * suscipit.*

*fort. suspicit.

Margarita nitens & pretio bona,
Spreuit patricij munia nominis,
Vix prætexta togæ serica cesserat,
Loricam fidei mox tener induit.
Ad bellum properat, quod malè suscitat
Indignata piis ira tyrannica;
Regnant orbe furor atque malignitas,
Virtus, iustitia, sunt quasi crimina.
Stat lex, culpa sedet, arbiter est reus,
Plectit pœna probos debita noxiis,
Vt collisa magis clarius emicet
Iustorum bonitas & patientia,
Auri more, rudis rudera quod scrobis
Aut limus madidis contribulant vadis,
Lectum diluitur de patriis aquis,
Si quid sordis inest, Mulciber excoquet;
Insignes animas sic Deus, erutas
Dira barbarie splendificat fide:
Gentili rabie cum pius erudit,
Labis terrigenæ fætibus eluit:
Hinc ophirotico, purius obrizo
Mundans, supplicij dedicat ignibus,
Gemmatas meritis ornat berilibus,
Cunctis vnde micat gratia præpotens.
Nunc alto residens æthere fulgidus,
Laudis vota tuæ magne pater iuua,
Vires ingenio sancte Quirine da,
Aptum pande stylum, carmina dirige,

Vt iucunda canat plebs tibi cantica,
Quæ spem subsidij certa gerit tui,
Donis supplicibus concilians sibi
Olim nota tuæ munera gratiæ.
Regum corda regas, clarifica duces,
Primates doceas iustitiam sequi,
Pacem des populo, dirige præsules,
Firmes Ecclesiam, schismata dirue,
Indulge precibus, crimina dilue,
Languentes releua, solue pericula,
Annonas tribue, pelle nocentia,
Laudemus dominum te duce perpetim.

Quod anno Romanæ vrbis Millesimo, Philippus primus Christianus Imperator cum filio Philippo regnauerit. Et de ludis triduanis in campo Martio.

ODE DICOLOS TETRASTROPHOS *metrum Sapphicum,*

Iam satis terris, ratione verbi,
Qua Deus dignans habitare terris,
Corporis nostri sibi membra iunxit,
Virgine matre,
Grandinis duræ pater ille misit,
Cuius excedens vtero perenni
Perstat Æmeis glacies ruinis
Irresoluta.
Dexteram cælo validus rubentem
Extulit, cornu crucis explicatam,
Et micans hasta bene fulgurante,
Perculit orbem,

Terruit

Terruit gentes, graue ne periret
Saeculum, Paulus noua iura monstrans,
Creditum Petrus pecus egit agnos,
Ardua pasci.
Credulum ligno genus inde piscis
Haeserat diuae requies columbae,
Et sacris lymphis animae natare
Purificandae.
Tempus annum millesimum rotabat,
Roma quo se cana caput coronat,
Laeta plenum conditionis aeuum
Percelebrando.
Verticem regina Deo superbum
Fronte matura reuerenda flexit,
Principis cedente domo Philippi
Subiuga Christi.
Nec tamen liquere manus beriles
Regios gestus habitus prioris,
Curiae flos officiosa membra
Compserat aulae.

CAPL.

EXit in pompam gradus omnis vrbis,
Consules & patricij, senatus,
Militaris ordo, tribunus & plebs,
Verna satelles,
Circulatores, pugiles, equestres,
Curruum certamen, agon, palestrae,
Belluarum pugna, genus ferarum
Vndique rarum.
Terna lux & nox podium tenebat,
Peruigil coetus . . . . immemor sit,

Multa

Multa ludorum nouitas stuporem
Mentibus infert.
Et nec auditu satiatur auris,
Parua nec pupilla repletur vnquam
Visibus, nec mens agilis nouorum
Tædia nouit.
Hic luto fictos homines reludit,
Hic aquis sub Deucalione mersos,
Saxeos hic aruicolas reformat
Auspice Pyrrha.
Iste Lædeo memorans ab ouo,
Ilium bello capit, ille Thebas
Mutua fratrum simulat duorum
Cæde cadentes.
Fabulæ viuunt & agunt, loquuntur;
Quidquid vnquam vixit, ibi resurgit,
Insuper quæ nulla fuere, frustra
Viuere cogunt.
Actibus iussis agitata ludunt,
Bruta sentiscunt & habent loquelas,
Astus humanus facie ferina
Degenerat se.
Instruit scenas imitando gesta
Horrido persona tremenda vultu,
Acta verbis verbaq́ discit actis
Consimilare.
Hic tragœdias licuit videre
Omnium de tempore sæculorum,
Si quid admirabile bella seu pax
Egit in orbe.
Arbiter sedit populo Quiritum
Exhibens spectacula digna Cæsar,

f *Filio*

Filio conſorte throni, paternum
Nomen habente.

Quòd vrbs in ſummo tunc flore fuerit, & quanta munificentia princeps currus,equos & elephantos ſtrenasque dederit ac beſtias.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. PRIMVS verſus GLYCONIVS, *ſecundus Aſclipiadeus.*

SIc te Roma potens Tibri,
Sic patres gemini lucis Apoſtoli,
*Rectorq́ue * regat pater,*
Sic cunctis alijs iura ferat pia
Clauis, qua tibi creditis
Debes Eccleſijs æthera pandere,
Sic ſedem videas tuam
Aulæ ſyderea limina claudere,
Vt nunquam ſimilis tibi
Poſthac imperij gloria ceſſerit,
** Quod ſi canicies mera*
Exin luſtra ſeni ter duodena dat,
Iam cælo licet alteras
Ducas milleſias, par nihil afferas.
Primis extima viceras,
Regni flos abijt non reuocabilis.
Quænam rite canat lyra
Auguſtalis honos quale dedit decus?
Quanta munificentia
Impleris theatrum gaudia principis?
Qui quò religioſior
Exiſtebat, eò magnificentior

* In autographo hoc ſcholium oræ aſcriptum erat Regnantibus Philippis, iuxta Euſebium & Iſidorum & Aug. de Ciu. Dei. milleſim⁹ annus Romanæ vrbis impletus eſt. Primo autem anno Philippi nat⁹ eſt beat⁹ Quirinus, XXVII. ætatis anno paſ-

Appa-

Apparebat in omnibus,
Aptus mente DEO, corpore sæculo.
Sanè sic & oportuit,
Vt cælestis apex irradians solo,
Arcis Romuleæ caput,
Solis perpetui lumine viuido,
Festiuo diademate,
Lætis principibus plebeq; Martia,
Præsignaret apertius
Æternæ patriæ gaudia lucida.
Disponens DEVS omnia,
Factorum modulis quæ faciet parat.
Vrbi dans celebres dies,
Orbis Catholici lætitiam notat;
Qua sanctæ fidei simul
Omnes Ecclesiæ symbola concinunt,
Per carmen vetus & nouum,
Ac mundi dominam gratificans sibi,
Sponsalis fidei dedit
Et dotis nitidæ pignora splendida.
Quam cæli fore compotem,
Diuino statuens ordine principem,
Æternis ditionibus
Celsam præcipuo munere sanxerat;
Sceptris ante potentibus
Mundi regna manu claudere censuit.

sus est sub Claudio. Romæ sepultus quieuit annis CCCC. octoginta duobus. Translatus in Noricũ requieuit hactenus ann. CCC. septem. Qui cõputati cum superioribus fiunt octingenti sedecim. Quibus vt alter millenarius Romanæ ætatis & vrbis impleatur CLXXXIIII. anni restãt, qui ter duodecies hoc est, XXX. sex vicibus habẽt in selustrũ, lustrũ n. quinquennium dicitur, quia post tot an. vrbs lustrabatur Vndedic. Quod si &c Ponit autẽ synecdochicôs pro toto numero partem maiorem, nam supersunt IIII. anni vltra quinatium.

Metrum quod supra.

IBant in theatrum data
Auro largiflui munera Cæsaris,
Carrucas ibi gemmeas
Thraces Regis equi abripiunt feri,

It cælo populi fremor,
Solem nube tegit puluis Olympicus,
Sudant cornipedes citi,
*Ardent * are rotæ pondere stridulæ.*
Turmas belligeras vehit
Turri dispositas Indica bellua,
Castris mobilibus, fuit
Innox pugna diu, percita bestiis,
Quas cursus vice præpetes
Certarunt pedites vincere velites:
Illæ sed celeres ruunt,
Acres horridulo gutture barriunt,
Hostes ore truci petunt,
Et proboscidibus proxima verberant.
Quîs nomen vetus hoc erat,
Lucas nosse boues plebs auet vrbica.
Hos Lucania primitus
Vrbi victa dedit sub duce nobili.
Tandem Græcia subdita
Nomen dans, animal fert elephanteum.
Strenæ præterea nitent
Plures aureolæ, munere regio,
Olim principibus probis
Iani principiis auspicio datæ,
Fausto temporis omine,
Vt ferret ducibus strenua strenuis
Annus gesta recentior.
Illas nobilitas Cæsaribus piis,
Rex dignis procerum dabat
Vrbi quas Latiæ tum iuueni dedit
Rex Titus Tatius prior,
Festas accipiens paupere munere

* fort. ire: vel ære.

Ver-

Verbenas studio patrum,
Solers posteritas quas creat aureas,
Seruant dona tamen notam
A luco veteri nomine Strenuæ.
Præbent applicitas quoque
Ludi sorte feras lona plurimas,
Quæ donaria publica
Nomen ducta trahunt Ionio mari.
Pantheræ, tigrides, leo,
Campos innumeri sanguine Martiòs
Pardi, Linx, Aper imbuunt.
Insumunt hominum prælia bestiæ,
Id perpes faceret dies,
Ludi parturiunt omne genus suum,
Totis rebus & artibus
*Vrbs annum senij * celebrat sui.*

* Concelebrat.

De pace Ecclesiis data per Philippum Imperatorem. Et quod Origenes litteras dedit ad ipsum. Et quòd à Decio occisus est.

ODE DICOLOS DISTROPHOS, PRIMVS versus Archilochius tetrameter, heroico & tribus trochæis constat, secundus penthemimere iambica & tribus trochæis.

Soluitur acris hiems tersa niue persecutionis,
Trahunt abundas præsules cateruas.
Ac iam nec gladiis lictor micat, vstulator igni,
Nec martyrum flos marcet his pruinis.
*Sacra chorea deum laudat * piæ gratulata pace*
Refertque carmen læta Trinitati,

* fort. pia.

Quæ fons est vitæ, triplex vbi vena gratiarum,
Duplo repensat simpla dona nostra
Principis inuicti pietate gaudet omnis orbis,
Quieuerant hinc mortis officinæ.
Criminibus demptis ergastula neminem tenebant,
Bonis studebant qui malis carebant.
Cæsaris exemplo cunctis data norma præualebat,
Profana demum iure deserenda,
Et sanctæ fidei gratè documenta consequenda.
Nec dum DEO *se subdidit senatus;*
Attamen edoctus scriptis pius Imperator almis,
Viri per omnes Græcias celebris
Origenis, adest cui copia prædicationis,
Vbique cautos instruens fideles,
Se fidei sanctæ cum prole domoq; subdit omni.
Probatur * *isdem litteras dedisse*

* idem.

Doctor ad hunc Regem, regniq; comparem Seueram,
Recepta nomen cui fides nouarit.
Mitius, indulgens illi Genouefa nuncupari:
Opinio quod credit absque noxa.
Sed noscatur eodem nomine virgo Gallicana,
Nec vllus inter segreges oberret.
Septies hic anno felice monarchiam gubernans,
Coronat vrbem fascibus salutis,
Dum canos eius Christo venerabiles dicauit,
Superna regna pignorans eidem.
Clarior Augusti successibus idem Iulijq;,
Vterque quorum quæsiere terras
Viribus armorum totis, nece ciuium piorum,
Cruenta terris & mari trophæa,
Sub cælo tantum tristi tenuere signa prona,
Supra nil ausi, præter inclytam spem:

Iste

Iste triumphales aquilas super astra primus effert,
Herilis ausus incruentus auctor.
Gentibus excisis illi regionibus potiti,
Dedere iura, quo darent tributa:
Hic libertati dat perpetuæ iugo solutos,
Deum fateri quos docet perennem.

CAPL.

O Regum fortunatißime, ter quaterq́ fauste,
Polum tenes iam septies beate,
Ius cæleste recepisti, tibi debet vrbs honorem
In omne tempus laude sempiterna.
Cælis extulerat Reges sub opinione famæ
Adaucta quorum creuerat triumphis:
Quid dignum poterit tandem tibi gratiæ referre,
Nouæ dabit quam dignitatis arcem?
Tu regni fines super æthera victor extulisti,
Reiq́ tantum publicæ dedisti,
Quod prius in terris reptans, super astra verticem fert,
Prius per arua lata, nunc in altum crescit,
Robore deuincens omnes nisi se, peremerat se,
Tuo ducatu fit valentior se,
Quæ princeps pacis sine sanguine nouit imperare,
Vt ante terræ, nunc potens polorum.
Quo feror, heu migrat quo gloria principalis illa!
Fugit caducis & petit perennes.
Inuidiam virtus diram comitem perosa liquit,
Et æmulæ cor perforans abiuit.
Aspernata polo super euolat ad patrem supremum,
Sedet quieta nec memor malorum.
Decius excellente viri probitate vulneratus,
Tyrrannicam vim colligit perarmans,

Ac maieſtatis caput imperiale merſit vmbris.
Deum fidelis ſpii itu reuiſit.
Vrbs Verona patrem, cæſum manibus feri latronis
Remiſit aſtris, cælitus beandum.
Nominis & regni par, filius eius vrbe Roma,
Sinu parentis ſcilicet peremptus,
Martyrij celſa comis ſequitur patrem corona.
Vterque palmam ſic adeptus almam,
Vrbi quæſitos firmat patriæ lares ſuperna,
Habet perenni luce manſionem,
Et titulum proprio de ſanguine purpurante ſcriptum,
Ibi reuelat curiæ beatæ,
Quem Regi regum nunc pro populi ſalute pandit,
Periclisq; conſulit ſuorum.
Ciuibus æquis teſtamenta ſuo labore parta
Perennis æui non ſinunt reſolui.
Horum ſceptrigera de ſtirpe reſedit aureus flos
QVIRINVS, infans ſeptimum ſub annum
Ætatis creſcens, & congenitus throno paterno,
Sibi recondit hunc Deus puſillum,
Seruans tutamen patriæ, miſeris dedit leuamen,
QVIRITIBVS qui dux fidei fuiſſet,
Nobilium Romana tribus ſequeretur vt propinquos,
Fidesq; digno teſte vera firmet.

De magna Decij tyrañide; Et quomodo B. QVIRINVS ſeptennis, in morte patris fratrisq;. Imperatorum, XX. annis poſtea ſub ſex regibus vixerit.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS.
Primi duo verſus Aſclepiadei ſunt, tertius, Pherecratius conſtans ſpondeo, dactylo, ſpondeo, quartus
GLYCONIVS.

Quis

QVis tutat gracilis te puer vt rosa?
Seclusum nitidis seruat honoribus?
Casu mira sub arcto,
Plane dextra potens DEI.
Seruarat placitum quem dedit atruci,
Regis Saul odio dum ferus imminet,
Septo millibus antro,
Parcit cui pius æmulus.
Fusis irruerant Allophili globis,
Vt prædas agerent in regionibus
Cogunt ciue relicto,
Sisti prælia publica.
Sic testem DEVS hunc continuit suum,
Dum vir sanguineus cædibus imperat,
Plures vndiq; motus,
Tunc Respublica pertulit.
Feruet belligeris seditionibus,
Hostili grauiter subdita principi,
Qui dum nobilitat se:
Vexat Cæsareum genus,
Primores odijs fulminat igneis.
Fœdo more ferox inuidet omnibus,
Præferri sibi posse
Quos formidat, eos premit.
Natus Pannoniæ finibus vltimis
Ciuis Dalmatici limitis hic erat:
Romanam pietatem
Nescit barbarus insolens.
Multis oppositus namq; potentibus,
Dum per magna furit, paruulus effugit
Qui credens adolescit
Clara nobilis indole.

Quid proportio donet,
Quid sesqui altera copulet,
Quid Regum series nomine serias
Personas tribuens, regnaq́ quatuor,
Verbi plena boni sunt.
Horum singula nil vacat:
Quæ quis ritè queat carmine dicere?
Quis sensum Domini nouerit assequi,
Ni præcelsa Sophia
Se nosci dabit & sua?
Quæ cunctis dominans, suauiter imperat,
Mensura, numero, pondere condidit,
Quicquid rus, mare, cælum
In se continet, aut creat.
Lux septena diem dat requiescere:
Felices animæ sabbatha nunc agunt.
Vultum septicipem fert,
Factorem similans homo.

Numerus septenarius.

Lux septena refert tempora seculo.
Septem dona locant Ecclesias DEO.
Septem nixa columnis
Est ædes sapientiæ.
Parricida Cain plectitur heptade.
Mortem vitat Enoch septimus ex Adam.
Septem clara planetis
Cælis æthra moras agit.
Bis septena Noë munda recondidit:
Septenoq́ die missa renuncia
Defert ore columba
Frondis paciferæ decus.
Septenas Abraham teste locans oues,
Fontem Bersabee iure suum probat,

Septem Sara diebus
Diuo funere plangitur.
Agnum septima lux bis rediens edit,
Sternens primigenos Israel educat,
Cui rubrum mare fundens,
Hostem fluctibus obruit.
Caudex aureolus sex calamos habens,
Primis lege sacris per Moysen datus,
Septem compta lucernis,
Attollit capitellula.
Septenis Salomon frugibus annuis,
Templum perficiens dedicat vltimo,
Bis septena dierum
Dans Encænia plebibus.
Septenas hiemes Rex fera pertulit.
Tres fornax refouet feruida septies.
Septenæ Danielem
Dat luci Leo septimus.
Machabæa tribus, aspera gentibus,
Septenis micuit splendida fratribus
Sacra lege per arma,
Obtenta magis inclita.
Dum septena virum fæmina prēndidit,
Septenos oculos fert petra Cannea
Qua vera fidei lux,
Cunctis Ecclesijs patet.
Septennis lauacrum pusio regius
Tantis mysterijs nobile suscipit,
Demum matre volente,
Primo tunc ea credidit.
Olim barbarico more Seuerior *
Vt nomen tenuit Ethnica manserat,

* Quia Seuera vocabatur.

Sed

Sed cum pignore dulci
Christum serior induit.

De diuersis rationibus septenarij & vicenarij numeri, quibus ætas B. QVIRINI computatur, de numero Regum.

ODE DICOLOS TETRASTROPHOS.

Tres versus Asclepiadei sunt, quartus GLYCONIVS.

Scriberis varia sorte poëmatum.
Martyr digne cani Mæonia lyra.
Quarecunq; ferox ira satellitis,
Te miles bone torserit:
Nos in laude tua sollicitos iuua,
Infantile decus, dum tibi nectimus,
Cantu florigero serta nitentia,
Felix hæc puer accipe.
Virtutes animi præticulat tibi
Annorum series in numero mare:
Quo primæuus adhuc imbueris fide.
Et Christo patre nasceris.
Tres ac bis gemini te superadditi
Præsignant fidei morigerum sacræ;
Implet trina dies, bis duo moribus
Quadrandus modulum ferunt.
Maiestas, * *sapiens,* * *& pia* * *creditur;*
Prudens iustaq; mens robur agens modo
Informare virum nobiliter solet
Tutum casibus asperis.
Sed vis mente triplex est, scit amat quoq;
Quo falli poterit nec Academicus

* Pater, * Filius, * Spiritus Sanctus.

Qui per cuncta refert, quid nisi falleris,
Nam qui fallitur est tamen.
Si fibras animæ carnis originem,
Scrutemur pariter, claret apertius,
Nostri materies intus & aforis
Septeno numero data.
Tres vires animæ Conditor indidit
*Intellectus agit per * Mathematicam,*
Discernit ratio singula cognita,
Quæ mox vis memor accipit.
Cellas officijs his cerebrum gerit,
Intellecta fores sincipitis terit,
Quæ iudex ratio vertice digerit
Et sic occipiti dabit.
Pandens hæc eadem iura forinsecus,
Corpus viuificat, sensificat regit,
Hac de fruge sua nil homini negans
Cui nec debilitas neget.
Iungens corpus agit vis Elementica,
Viuax igne calet; spirat ab aëre:
Lymphis irriguum terra parens fouet,
Constans his alitur quoq́.
Flos vernans pueris, iunior æstuat,
Autumnando senes, decrepidos niue
Candentes hyemat singula singulis
Rebus tempora concinunt.
Anni quinque quater, bis duo quinquies
Qui septena super tempora prodeunt
Nil nunc significant vtilis ominis
Consultis rationibus.
Impar meat pari, par meat impari,
Stringunt alterutris se sibi brachijs,

*Spiritualiter.

Laus quaternarij.

In

Insemet redeunt quisq; per alterum,
Arithmetica quod probat.
Quæ præstante viro digna connexio,
Pandit per pariles vnanimem pijs,
Præcelsum meritis denotat impare
Summis rebus humillimum,
Qui virtute quadra præditus arduæ
Mentis quinq; fores ordine rexerat,
Iustè disposito cardine sensuum
Clauim consilij tenens.
Carnem quadrigenæ strinxit originis
Gratè quina DEI vulnera sic pati
Vt cor, crura, manus, lex premeret Crucis,
Et sanctus Domini timor.
Ætas martyrij plaudit honoribus,
Quæ membris paribus flexa per imparem,
In formam cubicam surgit acutior,
Ter ternos ter habens sinus.
Quo terras liquidis ignibus aëra
Describunt numero conuenientia,
Dum par tardus humum, impar agit polum
Binis quæ medijs ligant.
Microcosmus in his se numeris vides
Conuenisse simul corpore spiritu,
Et totaliter & particulariter
Par imparq; patens sibi.
Membris par numerus stat resolubilis
Quem nutans homo fert carne solubili,
Ast impar numerus non resolubilis
Æternas animas tenet,
Tum si vera fides corpora suscitat,
Quæ semper maneant æthre vel inferis,

Ac cum spiritibus debita propriis
Exsoluant bona vel mala.
Quis carnem dubitet nunc resolubilem
Æternam fieri nec resolubilem?
Nunc par proposita tunc ouat impare
Hic fini data nec ibi.
Sic solas animas impare vel pari
Æquè compositas sacra fides probat
Quas mutabilitas nunc variat sua
Tunc fert perpetualitas.
In quocunq; statu sors meriti locat
Ipsas iudicij fine sub vltimi,
Cum tandem reduces corpora sumpserint
Mansuras benè seu malè.
Constant ergo pari nunc variabiles,
Stabunt impare tunc inuariabiles,
Ad præsens videant vt bona diligant,
Hîc mutent, ibi non licet.
*Sex Regum * series tempora continens,*
Athletæ domini nobilis illius
Mundi primigenam reddit imaginem,
Quem lux sena peregerat.
Regno bis gemino sex tamen imperant,
Vt plenè replicent inclita quatuor
Secli regna senis, quæ Babylon tulit
Medus, Græcia, Romaq;.
Hic regno genitus pignus amabile,
Viuens & moriens fulsit honor Deo,
Cælis imperium quem dedit obsidem,
Vitæ præsidio suæ.
Cuius vita breui tempore prænotat,
Regnorum capiti regna cadentia

* Scilicet Decij, Galli, Volusiani, Valeriani, Galieni & Claudij.

Vt-

Vrbem cum patria sanguine dedicat,
Cæli regna parans ei.

De CLAVDIO, qui post triumphum Romæ donatus aurea statua, persecutionem mouit, & religionem Catholicam exterminauit. Qui QVIRINVM captum facultate sua nudatum in custodia Transtyberina posuit.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. PRIOR versus Heroicus, sequens vltimus tetrapoda Heroici constat, qui Phaliscus appellatur.

LAudabunt alij clarum genus, at mihi lene
Christe iugum dat verba Camœnæ.
Quid tulit hic spreto cum regni culmine sceptro
Martyrio pompas benè mutans?
Quas primatus habet, de se spectacula præbet
Romano placitura tyranno.
Claudius.......... in hoste requisiuit regiones
Quas diræ tulerant legiones
Barbaricæ gentis passim Romana trahentis
Iura sub ingratum famulatum.
Per tria lustra pius dum regnabat Galienus
Pace fruens bellis alienis;
Victori postquam laudem perfecerat æquam
Stans auro triuialis imago.
Præditus ille solo commouit prælia cælo,
Sanctos vndiq; pressit iniquè,
Syderea patriæ ciues abolere studebat,
Per quos pacem rebus habebat.
Obsidibusq; salutis ab vrbis sede repulsis

Aut victis & carcere clausis,
Indemnis quibus in regnis putat esse perennis,
Gessit vix diadema perennis.
Morte dedit pœnas reus ob pia funera dignas,
Quæ flebat Respublica ciues.
Vrbs vbi luminibus miserè cæcatur ademptis,
Est tenebris obsessa vetustis.
Rara viam vitæ pars ibat gente Quirite;
Omnes antiquus tenet error:
Sanctæ relligionis honos extinguitur omnis.
Fit cinis elanguens sacer ignis.
Viuebat scintilla tâmen frigente fauilla,
Tandem mota procul micat illa,
Dans vrbi lumen, virtutis herile cacumen,
Ex signorum diuite turba.
482. *Quingentenis ter sex minus emicat annis,*
Romanis adeò veneratis
Obsequijs summis & amore virum speciali,
Vt studio nil par generali,
Huic nisi Petre larem seu Paule tuum reputarem,
Plurima sacra licet numerarem.
Martyribus nitido surgentia marmore templa,
Vberiori gratia fonte.
Omnibus excurrebat ab hoc quicunq; petebant,
Quos dolor aut ærumna premebat.

CAPIT.

R*Oma caput mundi, dum regni sceptra tenebat,*
Hic carbunculus vrbe nitebat.
Romuleum ferrum post aurea Græcia mittat.
Exin iam Respublica nutat.

Iran-

Francigenos Reges tutores Ægra popoſcit
Quod nunc ſtirps Carolaſtria noſcit.
Auguſtalis......capiens diademа coronæ,
Mox vbi regna manent, ibi gemma
Regalis translata locatur honorificanda,
Immò ſi ſint vera probanda,
Regna magis.... ..... migrando ſuêre ſecuta,
Norica rura prior petit illa.
Victrices adamando manus exoſa remiſſas,
Tranſiit Alpes arce relicta.
Fibula quam chlamydis quaſi comptior imperialis
Fert locus imperij ſpecialis.
Teutonicas. Latiasq́ tenens medioximus oras,
Regni binas ſcilicet alas.
Claudius inſigni ſatiandus cæde QVIRINI
Hunc quæri iubet atq́ teneri.
Facturus procerum cœtu ſeu plebe timorem,
Damnat vinctum nobiliorem.
Ille catenatus Regis ſtetit ante tribunal,
IESVM confeſſus manifeſtè
Natiua ſibi libertate fidem decorabat,
Vnde minus firmos ſolidabat.
Poſſeſſis nudatur agris, cenſu ſpoliatur,
Omnis abit res quam tenet hæres
Iuris materni prænobilis atq́ paterni:
Innocuo nam crimen opes ſunt.
Rex primo blanditur, hic in Domino ſtabilitur,
Nec facili leuitate mouetur.
Rex prædira minatur, hic optat quo patiatur,
Nec tanto terrore grauatur.
Aulam ....habens in petra robore ſtructam,
Fert tuto vim pectore cunctam.

Ventorum, pluuiæ, niuis, imbris, grandinis, auræ,
Nullo prorsus turbine motus,
Ingenuè perstabat eumq́ negare negabat,
Quem certis didicit documentis.
Non flexum verbis, mox verbera conficiebant,
Dimissum crebrò repetebant.
Cæsum postremo dum posset vincere nemo,
Intra castra domo latet atra.
Trans Tyberim ductus numeroso milite tutus,
Temporibus multis ibi clausus.

Quod nunc Paganismo dedita, olim per Apostolos fidem receperit Persida. Ex qua nobiles Marius & Martha cum filijs suis beatum QVIRINVM in carcere visitarunt, eiq; deseruierunt.

ODE DICOLOS DISTROPHOS, METRVM Choriambicum. Primus versus constat Choriambo & Bacchio vel Amphibracho, secundus Epitrito secundo, duobus Choriambis & Bacchio.

LYdica regna quondam,
Persidæ cum principibus progenieq́ Regum
Se fidei dederunt;
Primitiuis Ecclesiæ temporibus subacta.
Rebus Apostolorum,
Strenuè gestis Domini iura libens recepit
Cælica totus orbis.
Indiæ de finibus ortus dat vbi diem Sol, Thomas in India.
Quæ tenet arua Thomas
Vsq́ Spanos occidui syderis axe clausos.

Quos

Quos Iacobus docebat
Scytharum frigoribus perpetuis in æuum
Quæ tulerat Philippus,
Ad perustæ proxima quadrantificat nigellos
Æthiopes Matthæus,
Mundus omnis dogmata iam resciuerat salutis,
Barbarie relicta,
Disciplinam Catholicæ religionis hausit.
Contigit ergo Persas
Regiæ stirpis tunc proceres ad loca sancta voto
Implicitos venire.
Scilicet patrem geminis pignoribus secutis,
Matremq; filiorum,
Audifax illis Abacuc nomina sors ferebat,
Arbitrio parentum
Nuncupatos, quos Marium nouimus atq; Martham,
Vt retulêre gesta:
Hi precum dum munia soluunt, eleemosynas dant,
Ecclesias frequentant,
Martyrum tumbas cumulant muneribus sacrumq;
Limen Apostolorum,
Vrbe tota carceribus depositos fideles
Sollicitè requirunt,
Quos fouebant obsequij sedulitate multa.
Sumptibus adiuuantes,
Ex facultatis propriæ præbitione prompta:
Trans Tyberina castra
Exeuntes inueniunt egregium QVIRINVM
Carcere vinculatum.
Procidentes in faciem martyris os salutant,
Illachrimant ouantes,
Osculantur vincula passim pia membra mulcent,

Iacobus in Hispania.
Philippus apud Scythas.
Matthæus in Æthyopia.

Officio fideli.

Abluere ritè pedes pro Domino ligatos,

Eluuieq́; sacra

Se beandos vertice, nec non vultibus, imbuere:

Inde dies per octo

Sumptibus largis lacerum verbere corpus almum

Continuè refotant,

Intimis affectibus hoc exeo luere semper,

Quem fidei tenore

Nouerant indigna pati nobilitatis altæ:

Inuidia tonante

Ac habenas imperij præcipitante peßum

Mortibus innocentum,

Quæ thronum raptis opibus constabilire tendit,

Ingenuis peremptis,

Cædibus se nobilitans opprimit eminentes,

Degenerat plus se.

Insolens hostis furia notior acriore

Quos premit insequendo,

Clariores efficit & notitiæ......

Corde tenus coaptat.

Inclitos qui nequitiæ restiterint potenti.

Metrum quod supra.

INterea tyrannus,

Sanguinis iusti sitiens consilio feroci

Dat titulos per orbem

Absq́; responso sine iuris ratione captos,

Voce DEVM fatentes

Mox inauditos perimi, iudicio negato,

Ne mora saluet vllum.

Istud edictum procul euulgat vbi satelles

Vrbe foroq; toto,
Bis decem tredecies 260. Catholici trahuntur *
Ante diu metallis
Mancipati, pro fidei robore fortiori
Porta salariæ, qua *
Transeuntes vrbe foras euehit ad metalla.
Præter eos tenentes,
Plurimi quos theatro dispositos sagittis
Enecuere cunctos.
Concremandis corporibus ligna superstruentes,
Igne fero perarmant,
Insecuta nocte pij diripuere per se
Corpora sacra flammis.
Et Ioannem presbyterum sollicitè vocantes
Exequias agebant.
De suo sanctis precioso satis apparatu
Lintea sericasq;
Tinxerat pallas sanie purpurea sacrandas
Nec saraballa chara
Abstinebant obsequio relligionis huius.
Sic tumulant beatos,
In sinu criptæ positos cui iuga montis instant:
Plena cucurbitarum
Sobrio luctu celebrant funera digna dignè:
Claudius at cruentus
Præcauens ac præmetuens ne si causa quæuis
Eriperet QVIRINVM
Quem sciebat nobiliori Cæsareaq; stirpe
Clarius enitentem
Curiæ earum studijs & veneratione
Omnibus esse primum.
Ne fauorem forte senatus adipisceretur.

* Al. 271.
* Pro vbi

Iure

Iure propinquitatis
Aut amor communis eum praualeat tueri.
Iudicij patentis
Vitat hunc examine rursum dare proferendum
Se...................nocte
Clanculo mandans iugulandum Tyberiq; mergi
Ah scelus, imperata
Lictor implet barbarus, & de carcere noctis hora
Eijcit innocentem,
Ac supra ripam fluuij decapitat latenter;
Abstulit vnda Tybris
Dulce corpus topaceo nobilius monili,
Ad Lycaoniæ rus,
Insulæ Christo duce manans retinetur illic,
Vltima iura donec
In sepultura si tamen piè redderentur,
Summa dies ei stat
Quinquies dum quinta subit reddita Martio lux, *

* 25 die Martij quæ est 8. Cal. Aprilis.

De hoc quod die passionis eius, omnia salutis humanę mysteria & veteri & nouo testamento, initiata sint, & de sepultura eius, ac nece Claudij, fratrisque sui QVINTILII.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS.

Duo versus Diiambo & syllaba, duobus Dactylis, Tertius Dimeter Iambicus Hypercatalecticus duobus Diiambis & syllaba. Quartus Pindaricus, duobus Dactylis & totidem Trochæis constat.

VIdes vt alta stes vice martyrum
QVIRINE, nec iam sustineas onus

Vita

Vitæ laborantis geluq;
Flumina transierint soluto.
Dissolue frigus pectoris, vt loco
Sacro reponam digna tibi patri,
Ode canens lætus pedestri,
Carmina laude tua referta,
Bibes in æuum vitæ Sorech merum
*Quadro crucis prælo *supereffluens;*
Conuiua IESV *proximus tu*
Perpetua frueris diæta.
DEO *pius des omnia nunc tua*
Qui strauit æquor turbinibus graue,
Vt pace te prompti serena,
Magnificent famuli patronum.
Tui decus palam meriti patet
Die suprema, qua petis æthera,
Primordiali dignitate,
*Quæ nitet * omnibus anteferenda festis,*
Maria Christum concipit hac die,
DEVS *Cruci suspenditur hac die,*
Inferna vicit, strauit hostem,
Israel à Pharaone soluit.
DEO *pater natum piè victimat*
Die sub ista, qua simul omnia,
Priscæ salutis & nouæ sunt
Mystica primitus inchoata.
Polos petis testis sacer hac die,
Reliqueras qui terrea mente regna,
In curia cæli receptus
Officio frueris superno.
Sedes ibi fautor pius omnium
Bona fide tu vota ferentium,

* Id est torculari.

* Delenda videtur vox, omnibus.

Afflictiones & labores
Aspiciens releuensq; plebis.
Memento nostri te memorantium,
Salute dona laude pios tuos,
Largire pacem, solue nexus
Atq; DEO iunge tuos per æuum.

CAPITVLVM.

R*Egressus vrbem cum socijs fidelis*
Vir ille Persarum MARIVS supremus
Quæsiuit in castris relictum
Carcere trans Tyberim QVIRINVM.
Gemebat, ac tristis doluit nimis,
Quod vt prius non huic valet obsequi,
Cui presbyter Pastor vocatus
Omnia gesta refert patenter;
Videlicet noctu iugulata membra
Rapi fluentis in Lycaoniam:
Festinus illò Persa tendit
Presbyter, it simul ipse Pastor;
Amabilem prædam rapiunt citi:
Carina gratum fert onus ad locum,
Qui Pontiani tunc Cymitron
Dicitur. exequias vocabat.
Sepultus illic martyr honestius
Apud DEVM se viuere prodidit
Cunctis opem præbens salutis
Qualibet improbitate captis.
Ibi peregrè tempora plurima
Iubar medela mirificum procul,
Genti togatæ dans corusca,

Cu-

Ausonia venerandus omni,
Quatercenties Sol verterat orbitam
Euntis anni bisq; quadragies
Super means cælo biennis, 412.
Dum sacer hic Latio refulsit.
Tyrannus autem Claudius impius,
Breui secuto tempore decidit,
In Syrmio cæsus tumultu
Morte luit furias potentes.
Senatus cuius fratre superstite
Vt imperaret QVINTILIO * *leuato*
Laudaverat Regem creari,
Cui nocuit memor ira fratris.
Decem dies septemq; superfuit,
Et vrbs eum fatis Aquileia dat
Casum pari sternens tenore,
Ne qua tyrannica vena surgat.

Qualiter regnum à Roma in Græciam, & inde ad Teutonicos translatum sit per Pipinum, sub quo beatus QVIRINVS in Noricum demigravit; & de viris illustribus Adelberto & Occario.

ODE MONOCOLOS, METRVM CHORIambicum, constans spondeo, tribus Choriambis, & Pyrrichio.

TVne quæsieris scire, nefas, arbitrium DEI,
Lector sine breui cur voluit soluere martyrem,
Nocturnis tenebris invidiæ fraude perimi sinens,
Nec tanto pugili lucta patens campus apertior
Partam præstiterit promeriti nomine gloriam.
Cur quem nobilitas imperij spreta dedit DEO,
Et quem post tumulum magnificè mirificat DEVS,

Furtiuo patitur sic adigi carnificis dolo.
Nouit cuncta DEVS, *quo faciat tempore seu modo,*
Nouit post glaciem Sole piam temperiem dare,
Nouit post rabiem barbaricam tempora gloriæ:
Auri vasa quibus pura suis stent in honoribus
Multis igne prius fumiuomo cocta laboribus.
Ætas præterijt longa sub hæc tempora perdita
Fluxit barbaries, Ecclesiæ Catholicæ nitent,
Christo Roma suam subdiderat credula gloriam,
Petro tradiderat sede sub hac imperij thronum,
Constantinopolim tunc statuens Cæsaribus domum;
Quæ dum ferre globis Græcigenis regna minus valet,
Solis decidui barbaricis obuia gentibus,
Rhenum transabijt Teutonicis imperium datum,
Longobardus atrox dum Latium depopulans diu
Regnandi tenuit victor ibi iura tyrannica,
Donec Pontificis Romulei multimoda prece
Pipinus valida prograediens castra capit manu.
Astulphum superat cum rabida gente sua simul,
Reddens Ecclesijs pacis opem, subruit hostica.
Huius temporibus gemma potens exul abijt procul,
Cui gemmis vigor est & species clarior omnibus,
Summis digna viris, quam redimant diuitijs suis,
Et cui se pariter, resq; suas dignius offerant,
Quorum gesta prius, sic opus est, commemorabimus
Personas * *martyris officijs stirpeq; nobiles.*
Vt t.............veteres notitiæ carmine pandimus.
Diua progenie par geminum prodierat decus
Fratrum bellipotens ac locuples diuitijs bonos,
Pipinum quibus & fama refert stemmate proximum
Insignis Caroli, qui validus regna tulit, patrem:
Adelbertus eis nomina sunt Occarius quoq;,

Alter

Alter Baiarici iure Comes præcipuus soli,
Burgundis alius belligero robore Dux probus,
Quem gens illa canens prisca vocat nunc Osigerium.
Primates procerum consilij clauibus intimis
Aulam corde tenent, sed manibus prælia digerunt
Coram Rege Duci: nempe tener filius extitit,
Vrbanosq; sales intra genus tum puer imbibit.
Huic ludo tabulæ Regis erat filius obuius
Donec doctior hic obtinuit promptius aleam.
Rixam victus agit corde patris forte potentius
Et Rocho iaculans mortiferè.....adegerat:
Sublatum puerum consequitur mors properantior,
Clam funus tegitur, res studio multiplici latet,
Missis continuo pro Duce seu fratre suo viris,
Ac.....retinent vrbe super rem tamen occulit.
Tractatus triduo protrahitur nec datur his diu
Suspensis ratio concilij quid mora posceret,
Tandem tracta diu sic dubiis causa resoluitur.
Respondere Ducem iure suo Rex iubet ac Ducis.
Quid dent iudicij iura rei, quæ refici nequit,
Dux diiudicat hoc quicquid erit prorsus om....
Quæ sententia dum præcipuis principibus placet,
Assensu celebri firma stetit nec replicabilis.
Tunc balista velut tensa foret damnifica manu,
Telum subijciunt corde patris de nece filij;
Quod sic iudicij chorda recens pellat ad intima,
Vt prolis doleat morte, tamen nil super hoc agat.
Rex casum pueri notificat cum patruo patri,
Nullas inde moras attribuens, expetit vt sibi
Sacramentum daret quo nihil hac re graue præparet,
Et legis propriæ iudicium legifer impleat,
Formidanda manus regibus hac tunc adeò fuit,

Tàm robusta ducis quàm comitis lata potentia,
Vt non ante loco prodierint Rex, Proceres quoq;
Quàm Dux atq; Comes ritè fidem principibus darent,
Ob cladem pueri nil odij vindicis exeri;
Sed crimen veniæ contribui regis honoribus,
Et regni Procerum ne subeant bella nepotibus.
Soluunt concilium pace data militiæ globi
Rebus dispositis accelerant in sua principes.

Apologia scribentis, quod non ambitione vel adulatione, sed virtutis amore virorum illustrium gesta carminibus inflorauerit.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. METRVM Hipponacticum Hypercatalecticum. Prior versus tribus Trochais & syllaba, vel Amphimacro, & duobus Iambis. Secundus trimeter Iambicus, claudus; Constat Diiambis tribus vna minor syllaba, vel V. Iambis & syllaba.

NON eburna sella me,
Nec annulus remunerauit aureus;
Vt Poëta prodeam
Heros DEO probabiles canendo.
Quo viris potentibus
Meo stilo placere sim professus;
Aut eis fruentibus
Beatitudinis perennitate
Quippiam superfluo
Minore laude nitar addidisse.
Hospes introiueram
Amabilis sacram domum QVIRINI
Regiamq; gratiæ,
Salus frequens vbi datur petenti

Conditoribus loci
Latus laris sepulchra continebat
Sciscitans docebar hic.
Patrum beata gesta non tacenda
Nemo derogauerit.
Nec ædes Pariæ nisi columna
Fronte gemmea nitent,
Nec arcus vnione colligatur
Nec trabes cypressea,
Bonos mea casa fert odores
At fides valentior,
Amorq; veritatis approbanda,
Strenuis fauet viris,
Et optimè DEO ferentibus se
Læta laude succinit
Pios & inclitos ouans recenset,
In quibus probabilem
Libens imaginem videt salutis.

Qualiter prælibati Proceres DEO se, & omnia sua offerre disponentes Romam ierint, ob patrocinia sanctorum conquirenda.

METRVM QVOD VT SVPRA.

Regiâ vident Heri
Vbi propinquitate se grauari:
Dignitas dolebat hinc
Honoris æstimatione læsa.
Quod molestiam tulit
Nec obuiare talione fas est
Principi fide data.
Manet dolor malè citò remissi.
Arma præferentibus

Cautro

Locisq; plurimis DEO *dicandas.*
Cum suis ob hoc viris
Parant piam citi profectionem,
Qua iacent Apostoli
Meant ad vrbium potenter vrbem,
Vnde congruos petant
Ferantq; nobiles sibi patronos.

Qualiter Romam peruenientes deprædatam à Barbaris transmarinis vrbem & patriam vlti sunt, hostibus deuictis & spolijs ereptis.

ODE MONOCOLOS TETRASTROPHOS, metrum Sotadicum, tres versus constant tribus, quartus quatuor Ionicis minoribus.

MIserandi mala semper cupientes
Operandi mala causas capiunt hic,
In Auerno luituri malè gesta;
Ita iustos bona semper cupientes operari,
Operandi bona causæ comitantur,
Quibus illis bonus actus cumuletur,
Piè quicquid cupiebant geminetur,
Et in æuũ sibi laudis decus extet, meritumq;.
Eadem sors beat almos proceres hos;
Vbi Romam peregrini venientes
Adiere, spoliatam reperere
Furibundis cuneis indomitæ barbariei.
Domibus nam neq; templis regionis,
Sed & vrbis locus vllus sine clade
Remanebat, sacra paßim temerata
Tulit hostis truculentus mare tranans Latiale.

Spolijs iam grauis æquor repetebat,
Sua claßis rate multa tegit vndas,
Ibi prædam simul omnem coaceruat,
Reduces dũ socij conueniant capta reseruat.
Latiæ tunc pater vrbis Zacharias
Vice Petri regit orbem sacer omnem,
Recitantur super hac re sua scriptæ,
Data quondam tibi Præsul Bonifaci pie martyr.
Ea nostram quoq; firmant rationem,
Nisi nomen procerum nil tacuerunt,
Breuiter rem quoq; totam manifestant,
Spoliatam regionem peregrinos reparasse.
Legiones Latiis de patriis tunc
Ad eosdem superandos inimicos
Sociatæ, duce digno caruere,
Acies Catholicas, ceu decuit, nobilitante.
Nec erat qui super hostes ita fortes
Potuisset fieri dux animosus,
Timidis Ausoniæ principibus sic
Hebefactus vt adustus timet incendia cattus.
Peregrini venerantes loca sancta
Adierunt prece Papam reuerenter,
Humiles tùm pauimento cecidere,
Benedici cupientes ab eodem patre summo.
Pretiosis sibi donis placuerunt,
Quod ab illo cupiebant retulerunt,
Et id omni studio seruitioq;
Petiêrũt, sacra quo pignora dono mereantur.
Magis instans sibi damnum dolet ille,
Queritur quod regio sit populata,
Nec ab vrbis procul absit dominatu
Ferus hostis nisi tutor DEVS adsit properanter.

Proceres

*Proceres * referebant generosi,*
Memorantes vetus hoc veridicumq;
Nimis aiunt residet qui Lare deses,
Inimicos tolerabit venientes nihil obstans.
Stupet heros citò reddi rationem,
Quod inermes ibi ciues titubarent,
Et iners gens foret, hosti vigor ingens,
Videt altæ probitatis nitidũ par & herile.
Homines qui cor Achillis referebant,
Metuendis faciebus reuerendis,
Habitudo grauis illis stabilisq;,
Vigor & mens satis acris dat Vlyssem sapientem.
Rogat ipsos prece blanda pater isdem:
Ad honorem Deitatis dare dextram,
Ob amorem quoq; Petri specialem,
Super hostes aliquod ferre iuuamen sibi tandem.
Nec eis quicquid ob hanc rem voluisset
Precij, quamlibet Apostolum retinendum,
Sibi post hac nihil vnquam quid agendum
Ab ea sede petissent penitus iure negandũ.
Hilares hinc proceres tunc abierunt,
Et ad vrbis regionisq; potentes
Patriæ consilium ritè tuendæ
Tribuerunt peregrini patriotis pauefactis
Sociis Teutonicis conglomeratis
Comitantur proceres agmina primi;
Aquilas Romuleas Noricus ensis
Regit, ac ducit in omnes penetratorius hostes.
Quod & olim scierat Iulius ingens,
Neq; primum subigendis metuens his
Populis, obuia Roma sibi bella,
Nec adeptis dubitans exuperare simul orbẽ.

De fuga & cæde hostium, ac reditu triumphantium.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. Prior versus Heroicus. Alter secunda constat Penthemimere Elegiaca.

DIffugere graues spolijs hostes, vbi naues
Applicuere suæ.
Quos peregrina cohors insectando benè concors
Attinet absq; mora.
Oppositis animis coëunt, decernitur armis
Margine littoreo,
Ludibrio mortis sæuit congreßio fortis
Barbarie misera.
Quæ certans malè rapta tenere, perit laniata
Vulnifico chalybe.
Teutonibus propriè scißæ turmæ patuere;
Ense viam faciunt.
Atq; cruces animo perrumpunt turbine primo
Vt segetes acies,
Sternuntur latè turmæ paßim superatæ,
Nec spolij memores
Ad naues rapuere fugam; sed non potuere
Terga negare viris
Belligeris actis cursuq; nihil remoratis
Quin feriant refugas.
Insiliere rates dilapsos exanimantes
Fluctibus aut gladijs.
Tingit Mars vndas, tellure mariq; triumphans,
Gens mala cæsa ruit.
Cæde rates redolent, quas mille cadauera complent,
Transtra rubent sanie:
Sentinam plenè sensere cruore carinæ:
Corpora trunca natant.

Purpu-

Purpureo comptus mutat sua cærula Pontus
Clara trophæa gerens:
Hostilis propè cuncta manus ruit vndiq; victa,
Fugerat extima pars,
Solo barcarum nitens cursu vacuarum
Spernit opum cumulos,
Omneq; prædarum dimittit onus variarum
In ratibus positum,
Quod Latiæ terræ mox victores retulêre,
Cuiq; suum patriæ:
Vis peregrinorum dispar patet alterutrorum
Exul vterq; fuit,
Hunc mare fert Australe, solum dedit hunc Boreale,
Viribus ambo valent;
Ille freto pugnax, hic in terra magis audax
Post elementa meat;
Robur eis impar multum planè, nisi fallar,
Seu leue seu solidum.
Hos licet Omnipotens palam prostrauerit hostes,
Qui sacra diruerant
Belligeratoresq; suos dignè meliores
Iusserit his fieri.
Tunc reparatores (vt erat casu sub eo res)
Vrbis & Ecclesiæ,
Postq; creatores (vt habet se clara modo res)
Orbe suæ patriæ
Pluribus almarum regionibus Ecclesiarum
Quas honor altus habet.

CAPITVLVM.

V*ictrices Aquilæ renouant decus vrbis herile,*
Quæ nituêre procul

Ciuibus ereptam prædam pandendo receptam
Lætitia celebri
Pontificem comitata ruit plebs conglomerata
Obuia principibus:
Clerus præterea recinit cum laude trophæa
Suscipiens proceres
Debellandorum saluatores populorum
Atq; patres patriæ.
Quos acies plenè circumuisuntur amœna,
Nullus abest numero,
Dum cuneis totis propè deciderit ferus hostis,
Nemo sub his periit
Militiæ ducibus non armatus neq; nudus,
Nemo pedes vel eques,
Oblectat ciues laudum victoria diues,
Quæ dabat incolumes
Victores cum re capta sine clade redire
Auspice sorte ducum.
Quapropter lætus numerat cum Præsule cœtus
Præmia summa viris.
Iura tenenda senatus eis tribuit dominatus
Omnibus in spoliis.
Id sibi dum laudat sententia publica mandat,
Vt piè suscipiant.
Qui contra responsa dederunt religiosa
Digna probis ducibus:
Non terrenarum propter lucra diuitiarum,
Sed neq; pro spoliis.
Sponte domos liquisse suas peregrina petisse:
Res homine sq; suos
Non dubiæ voluisse viæ facilè tribuisse.
Deciduas ob opes;

Cùm patria tellure peramplo prædia rure
Plurima possideant.
Sed quibus esset honos sibi perquisisse patronos,
Quos & adhuc cupiant.
Hæredesq́; suarum poscant diuitiarum
Perpetuò fieri.
Præsul vt hæc audit promissis promptior addit
Munus honorificum.
Libera tumbarum datur optio grata sacrarum
Præter Apostolicas.
Tandem secreto Præsul iubet ore faceto,
Quem cupiant referant.
Hi super insigni passim virtute QVIRINI
Sæpius audierant.
Gratior hic turbæ quia nec celebratior vrbe
Romulea fuerit,
Nec sanandorum maior medicus miserorum
Mira frequens ageret,
Iudicibus sæcli qui sunt duo lumina cæli
Contiguus merito,
Et præstans maiore potentatu vel honore
Martyribus reliquis,
In releuandorum virtute pia miserorum
Fortis vtraq́; manu.
Siue piis dexter, seu duris corde sinister
Debuerit fieri.
Ergo sacrum petiêre quid, & notum tenuere
Corpus herile viri.
Cœperat Antistes vultus demittere tristes
Obstupuitq́; nimis,
Dum cælis dignum pauida sapit aure QVIRINVM,
Verba modesta dedit.

Non

Non potuisse pati ciues tàm tristia tanti
Damna patrocinij.
Illi perstabant eadem simul ingeminabant,
Assiduis precibus.
Præsul ait rursus, Nobis sit inutile prorsus
Si dabo quæ petitis.
Ciuibus inuitis qua non impunè feretis
In patriam reduces,
Consilijs parere meis si vultis in hac re
Quod petitis faciam.
Quæ liceat nobis ad præsens tradere vobis
Plurima suscipite
Pignora sanctorum quos continet vrbs aliorum;
Sicq; redite domum.
Et mihi legatos huc inde remittite cautos
Qui sacra dona ferant.
Interea conabor & hoc solers operabor
Vnde satisfaciam.
Tunc vestris precibus per pignora martyris huius
Si DEVS *annuerit.*
Parent primates dictis, consulta probantes,
Accelerant reditum.
Munere sanctarum felices diuitiarum
Pro quibus exierant.
Nam margaritas deportauere petitas
Egregias pretio
Queis loca fundorum post instituere suorum,
In sacra iura DEI.
Norica fert horum prouincia trina locorum
Quæ prius ediderat
Nomine primorum procerum sub Apostolicorum
Laude QVIRINE *tua.*

Arsa-

Arsacium cleri thermis statuêre foueri,
Peruigili studio.
Hippolytumq́; choris illustrauere canoris
Quos modo clerus agit;
Non ita fundatos, sed in hoc quondam renouatos,
Vt veteres memorant.
Hustia virgineæ me fugerat aula choreæ, Husiia,
Rhenicolis propior,
Qua bibitur scypho viuis signis anaglypho,
Vnde medela patet;
Rebus ibi noto pro plumigenis data voto
Sospes vt abstineat
In laudem Domini surgens virtute QVIRINI
Cuius erat patera.
Argento commissa fides vt fert ibi prisca
Indigenæq́; loci.
Verum nobiliore nitens Burgundia flore,
Eximijsq́; locis,
Ac prius hos experta duces fert carmina certa
Principibus propriis.
Qui semet fæliciter & sua cuncta potenter
Attribuêre DEO
Cumq́; parant sanctis habitacula terrea gratis
Præbitione pia,
Sede poli gaudere per hos ipsi meruere
Lumine perpetuo.

De reditu Procerum in patriam ab vrbe Roma, & euectione B. QVIRINI per maritima. Et de his qui sigillum Apostolici temerantes corpus martyris inspicere voluerunt, diuino igne peremptis.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. METRVM Iambicum. Primo versu trimetrum per duplices. Senarium per simplices; Secundo versu Dimetrum vel Tetrametrum.

EVnt ab vrbe principes pij domum,
Sacrata dona deferunt.
Salute patrias perenniter beant
Sacris dicatas oßibus.
Parant, relicta Romæ gemma nobilis
Et alteris micantior
Vt afferatur ocyus fideliter:
Quod hoc modo peregerant.
Erat sibi Clero nitens sororius
*Vocatus * Audon, hunc cient*
Et ad sacerdotem citato dirigunt.
Celer nihil moratur is,
Mandata principum precesq; Præsuli
Refert Petri vicario.
Memor sit ille sponsionis ardua
Viris potentibus data.
Parauerat ferenda membra vase iam,
Quod arte textili fuit
Vbiq; palmeis connexum spatulis
Sagaci diligentia;
Subinde cautus aduocatis nuntiis
Viris honestioribus
Præsentat imminente canticinio
In veste palmea latens
Corpus sacrum suo super signaculo
Præmuniens sarcophagum.

* Vdo.

Per

Per alteram viam redire nuntios
Iubet pater pijßimus.
Timens ab insequentibus ne ciuibus
Votiua dona perderent;
Monetq́ ne qua curiositas eis,
Sigilla lædat indita.
Vale pium Præsul refert euntibus:
Illi sibi grates agunt.
Onus sacrum leuant ab vrbe, promouent
Iter petendo tutius.
Via reflexa eis marina deligunt
Vbi pateret exitus
In æquor exules fuga procul vehens,
Necesse si foret tamen.
Sed hac graues beatiore sarcina
Nihil morando transeunt.
Vt alpium superna transmeauerant,
Quiete se remiserant,
Timoris immunes ab æmulis suis,
Quos ante formidauerant.
Ibi patere cœperat potentius
Honos vigorq́ martyris.
Sodalium pars vna peruicacior,
Baccho soluta liberè,
Audet ioco demens furente dicere,
Sic sciscitans ab inuicem:
Putasne Pontifex sigilla cur dedit
Nec amouenda iusserit?
Vt inscij quid afferamus abditi,
Romulidis lusui erimus:
Iram grauem nobis domi fecerimus,
Vbi nihil producimus.

Hac loquendo martyris impotens simul:
Vt ora sic manus agunt,
Sigilla furia rotante quæsitant
Velum prius sarcophagi
Leuare dum nituntur improba manu,
Potente sat miraculo
Reuerberantur illicò diuinitus
Cadunt ab igne vindici.
Ex...... areæ sacræ qui fulminant
Eos repente perculit;
Neci iacent omnes miserrimæ dati
Quos hæc rapit malignitas;
Eo stupore nempe qui remanserant,
Castris ruere præpetes.
Ad huius euentum grauem miraculi
Vident reos fusos solo.
Sigilla salua peruident Antistitis:
Cucurrit omne vulgus huc.
Vbiq; villulis ab adiacentibus
Auet videre martyrem.
Tumba sua velut throno potentiæ
Procacibus pœnas dare,
Timore baiuli sacrati corporis,
Viæ moras breues agunt.
DEI domo recondidêre martyrem,
Fida satis custodia:
Gestæ rei misêre nuntios heris,
Qui cuncta panderent eis.

De aduentu B. QVIRINI in Noricum, & de fonte salubri, qui sub vehiculo emanauit. De ædificatione templi, & dedicatione. De particula à Scapulis martyris elapsa.

ODE

ODE DICOLOS DISTROPHOS. PRImus versus vt supra Iambicus senarius. Alter secunda parte Elegiaci, & Dimet. constat Iambico.

LECti student pro rebus internuncij
Accelerare vias, amore patriæ ruunt,
Et ocyus primoribus causas ferunt,
Martyris eximij quibus vigor refulserit.
Mirantur hi, virosq́ mittunt inclitos
Egregios meritis vt alma dona deferant.
Illi petunt sacræ locum custodiæ,
Obsequij studio digno leuant onus pium:
Ad Noricas citant iter prouincias,
Hic adeundo sacro dicata corpori loca.
Noctu remiserant solo sarcophagum
Tegrineiq́ lacus ripa quietem ceperant,
Vbi salubris vena fontis exijt,
Sub loculo scatebris clarè fluens perennibus,
Ægris salus fit ista lympha crebrius,
Quos etiam tumulo redisse contigit graues.
Fons hic petentibus diatim martyrem
Conditur; ædicula leuamen est fessis via
Corpus beatum destinato iam loco
Ecclesiâ statuunt IESV dicata quæ manet.
In hac enim stetit patronus inclitus,
Dum sibi construitur domus decore debito.
Eam subinde principes vt explicant,
Innumerus populus fidelium concurrerat.
Prouinciales tres Episcopos eô
Magnifico Proceres honore conuocauerant.

Abbis prius sacratur aula nobilis
Principibus geminis Apostolorum maximis,
Quorum beata gratijs sic prænitet,
Credere si liceat nec inuidendum sit sacris,
Vt præter vrbem verius nusquam loci
Inueniantur, vbi promiserint se tantidem.
Peracta dedicatio refulserat
Lætitia celebri per plurima cum gloria.
Cruces dehinc vexilla sublevauerant,
Thure vapor redolet; nitent lucerna clarius;
Solemniter corpus tulere præsules,
Ecclesia modica signis procul sonantibus,
Triumphus altius leuatur martyris,
Plebisonis modulis sequente pompa principum;
Parata nempè tumba de petra fuit,
Corporis ad requiem muro coacta firmiter;
Qua dum reponi debuit Martyr sacer,
Palmicia tunica tectum leuant sarcophago.
Pedum leui de fine fert Episcopus,
Presbyter à scapulis & parte ponderis sequens;
Intra manus gemmam tulêre pendulam,
Depositis pedibus tumbam super Præsul stetit.
Adhuc tamen pectus tenebat Presbyter,
Cui cadit in manibus pars vna corporis sacri,
Per palmeæ sportæ foramen exiens,
Sanguine sic roseo recente purpurantior,
Velut die peremptus hac ipsa foret.
Cantica clara sonant stupore plena gaudij,
Grates aguntur omnium patri DEO,
Quod dedit hos hilares sui redire muneris.
Dotale pignus hinc fit Ilimensibus,
Id tamen hoc merito quod Audon his pater foret,*

*Vide.

Cuius

Cuius labore flos adeptus hic erat,
Et locus ipse suis auunculis subiectior
Chirographus sacræ tumbæ cobæserit
Martyrii eximij, Ducis sub vsq; tempora.
Qui detrahens cœnobijs fundos suos,
Funereis manibus dedit necem ducatui.

De tumba Martyris & Crypta sub ea, & de possessionibus collatis loco à fundatoribus. Et de Duce Arnaldo, qui Ecclesias spoliauit, ac de fine eius.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. METRUM primo versu Heroicum: altero reciprocatum, prioris Odæ secundi versus metrum habens, ex Dimetro Iambico, & vltima Penthemimere Elegiaca.

MArtyr sanctorum medius circumpositorum,
Conclusus est in saxeo deniq; mausoleo,
Margaritarum quasi centrum bis geminarum
Ardens tenet Carbunculus quintus in arce micans,
Ambitur sacris in gyrum quattuor arcis,
Quicquid reconditum gerant, qui sciat ipse canat.
Hoc tamen hac de re vetus audet rumor habere,
Primarijs viris, locus quos colit iste patres,
Dum Romanorum prædas retulêre sacrorum
Et optio dabatur his sumere quæ cuperent,
Non sine maiorum preciosa parte sacrorum,
Victoriæ seu gloriæ præmia digna data.
Nec tanti minimum spolij tulerant sibi primum:
Diuisor est enim sibi promptior ipse leo.
Crypta sub his tumbis sacra continet abdita, turbis
Riui fluunt hinc gratiæ, Martyre propitio.

Et

Et.......deducta tyrannis vltio iusta,
Vibrat diu plagam minans, sine ferit grauius.
Perfert iure pari plerumq; suos tribulari,
Quorum preces audit tamen, mox releuans humiles.
At consummatis tumbis & consolidatis,
Ouant ibi perampla plebs ac procerum numerus,
Tunc fundatores scriptas tribuere loco res,
Centum minus quæ tunc erant & quater vndecimo
Infra millenos mansius serie duodenos,
Nihil sui reliquerant Batarica patria
Quod non diuino testi tribuere QVIRINO
Determinatum finibus indubiis penitus;
Centenos præter mansus quibus & reuerenter
Altevsium nouo loco subsidium dederant.
Sic gladios aræ fratris simul imposuere,
Gemitibus nimiis suis seq; DEO *tribuunt.*
Hinc trabeas chlamydemq; libens deponit vterq;,
Et ad DEI *laudem capit monachicos habitus,*
Quinquagenorum trina vice grex monachorum
Manebat institutus hoc cœnobio sub eis:
Qui præscriptorum nihil amisere bonorum,
Sed plurimis annis prius detinuere diu,
Vltra centenos ac septena vice denos,
Nec senserant iniuriam iura priora loci.
Cum tandem magnus spoliauit templa tyrannus,
Regni Monarchiam volens præripuisse sibi,
Prædia cunctorum tunc Norica *cœnobiorum*
Decreuerat primatibus tradere rapta locis,
Quo sibi fauissent quæcunq; geri placuisset
Aduersus aulæ Principes, Ecclesiasq; DEI:
Huius ab hoc dimota loci possessio tota,
Ditat per omne Noricum progeniem procerum,

Per

Per quæ fundatus locus omnibus est spoliatus,
Nihil remansit ex eis, conditus in quibus est,
Bis nisi septeni mansus deciesq; deceni:
Honore continet tamen se nihil imminuens,
Duntaxat floris diuina laude prioris,
Parendo regibus, dabit sumptibus obsequium.
Procinctum de iure negat rapto sibi rure,
Regalibus stipendiis quod prius obtinuit.
Fonte salinarum loca viginti patinarum,
Duobus additis, simul sustulit ille furor.
Conuentum fratrum post hanc prædam reparatum,
Fidelium sequentium dona patenter alunt.
Dux tamen Arnaldus sine laude diu memorandus,
Sensit citò plagam DEI, *morte cadens cleri:*
Dum Ratispona curtim parat ex regione,
Primoribus lectis, vt hæc, quæ studuit peragat:
Nuntius hunc Christi terrens afflamine tristi,
Vlricus Antistes necem præcinit indubiam,
Ni reparet gratis spoliata sacraria sanctis,
Et altera die refert nil dubitans obitum.
Commemorans itidem super hoc sibi cognita pridem
In visione quæ duos prodiderat gladios,
Vnus vbi capulatus & alter non capulatus,
Ducis tyrannidem *ferim denotat acephalam.*
Princeps despexit monitus, nec cepta reflexit;
Sed vrbe cum primatibus consilium tenuit.
Curia perstabat, proceres iam mensa vocabat.
Sedes petunt satellites quisq; suo domino,
Oppositum Dux ipse sibi fertur posuisse
Episcopum, prendensq; iam fercula mittit ei.
Vt conuiuarum primo summoq; suorum,
Et curialitate se viuere mandat adhuc.

M *Cui*

Cui Præsul reddit, noctem quod adusq; dies fit;
Refert vt ista nuntius, verba dolor sequitur:
Dux improuisi finis subita paralysi
Correptus effertur domum; nec mora vita fugit.
Mortuus occultatur vt allodium capiatur,
Quod singulis promiserat principibus tribui
Exspoliatarum de fundis Ecclesiarum:
Erectus in sponda tamen ponitur exanimis.
Palmas frigentes sibi composuere clientes,
A mortua mortem manu suscipiunt proceres.
Crimen viuentis libant tactu morientis,
Quod cuiq; complacet rapit de manibus rigidis.
Fert Emmerammi domus ipsius ossa tyranni
Arcu notat pictum super distichon eximium.
VIVVS POLLEBAM FACIENS QVÆCVNQVE VOLEBAM,
INNIHILOR SVB HVMO, SIC ERIT OMNIS HOMO.

Epilogus. De gestis B. Martyris iam descriptis, & de miraculis eius adhuc describendis.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. Prior versus Heroicus, alter Iambicus Dimeter.

Iam mihi signorum via lata, QVIRINE, tuorum
Patet tuis in laudibus,
*Per tua gesta vehor, * vastum quasi mergor in æquor,* (* Al. Vasti.)
Multis vbi natatibus
Disiunctas terras & celsas transeo petras,
Per summa nunc per ima nunc,
Aut clarus pergo vel rursus in abdita mergo,
Sententia meatibus;

Scilicet

Scilicet adnitens dignos deducere testes
Authenticis scriptoribus,
In commendandis causis per nos memorandis,
Ne fluctuans opus ruat,
Ex veterum multis extraxi carmina scriptis
Incognitis & cognitis;
Huic serto flores quæsiui nobiliores
Per prata siue per nemus.
At nunc complanata datur mihi regia strata,
Præsente carminis via,
Qua nisi vel scriptum, vel teste superstite dictum,
Versu nihil reponitur.

De cæco nato ad eius tumbam sacram illuminato.

METRVM QVOD SVPRA.

Vrbs præclara patet, quam dignè Iulius optet
Cæsar, iuuamen vt foret,
Aut obex omni rebus dubiis regioni,
Cui nomen est Iuuauium: *
Huic olim digno voluit clarescere signo
QVIRINVS in DEO potens:
Hinc delegatum tradit sine lumine natum
Ad Martyris domum pij,
Illeque ieiunus lucis perquirere munus
Fideliter deuouerat.
Iam ripas ENI fluuij trangressus amœni
Ibat vias per inuias,
Nunc cælos scandens, nunc vallibus infera tangens,
Deserta permeauerat.
Ductor matura monet hunc vt prandeat hora:
Voti memor se continet.

* Id est, Salisburgum,

Post modicum rursus, non se procedere prorsus,
Ait Comes, ni prandeat.
Perstitit immoti fortis custodia voti,
Nec audit improbum ducem:
Ille relinquebat miserum villamq́ petebat,
Esum sibi quærens ibi.
At desolatus miseros leuat iste precatus,
DEI rogans clementiam,
Quò testis digni merito mediante QVIRINI,
Ei daret solatium,
Vt bona quæ sperat, directo tramite quærat.
Postquam fide perorat hæc,
Propitium numen dat eum sentiscere lumen,
Nec dum tamen plenariè.
Sed peragendarum noscendo calle viarum,
Ducis vicem præbens sibi,
Cum peruenisset supplex & procubuisset,
Fundens preces ad Martyrem,
Clarius agnouit lumen tenebrasq́ remouit;
Ouans reuertitur domum,
Enarrans cunctis præconia digna salutis,
Sibi datæ per Martyrem.

De contracta directa.

ODE DICOLOS DISTROPHOS.
Metrum primo versu Heroicum, altero
Iambicum senarium.

QVædam contractis ad nates clinica plantis,
Prima die Nouembris à parentibus
Ad tumbam delata ruit supplex, ita nata,
Vt se suis nusquam referret greßibus.

Hæc post Missarum munus solemne sacrarum,
Remota plebs vbi locum dedit sibi,
Dum repens orat, gressus dispendia plorat,
Propinquior sacro iacet sarcophago.
Qua satis intentè sua vota DEO *tribuente,*
Fusas ab intimis preces præcordijs,
Complet venarum resolutio mira suarum,
Sensimq́ dirigi videt neruos sibi:
Gressus discebat, quos non à matre sciebat.
Reuersa plebs grates refert DEO *canens;*
Et gauisorum cecinere chori monachorum,
Mouendo signa quæ dedit Campania.

De miraculo circa Aran Episcopum, qui cum Abbate Megilone, reliquias B. QVIRINI apud Ilminam tollere nitens, sensum visumq́; perdidit.

ODE MONOCOLOS, METRVM IAMbicum, senarium continuum.

LAtè frequens ..... fama Martyris
E Franciæ terris trahebat exteris
Aran Episcopum, videret vt locum.
Abbas habebat cognitum prius virum,
Ob hoc eum reuiserat libentius,
Amicus alter alterum sciens quat.
Antistes ossa Martyris dari rogat:
Abbas ait, Mausoleo reclusa sunt,
Nec deforis quicquam remansit vspiam;
Si partiendum quippiam resederit,
In Ilmina Cœnobio videbimus,
Vbi tenetur portio recondita,

Ex Martyris delapsa sola corpore,
Ne desoret pignus suis fidelibus.
Hæc dixerant vterq; : nec moras agunt,
Ad Ilminæ locum citi se transferunt:
Æuo graues requisiêre clericos,
Vbi foret pignus sacrum reconditum,
Quod vnicum Martyr reliquit integer;
Illi sibi sacram dedere capsulam,
Cum qua secus tumbam sedent Arsacij,
Qui præminet patronus ipsius loci.
Dum panderent capsam, breuemq; tollerent
Ibi reconditæ salutis indicem,
Vix nomen illic Martyris relegerant,
Et mens eos, lumenq; visuum fugit:
Tantum remansit virium sibi vel sensuum,
Vt obditam capsam citò reponerent:
Solo ruunt iacentq; supplices diu,
Fletu petendo gratiam reatibus,
Placant DEVM *diutinis precatibus.*
Tandem prior redit vigor cum visibus.
Auferre venerant loco sacro decus,
Gratum tenent, quod non sibi perit salus.
Vbiq; Martyrem regreßi prædicant,
Potentia qui præminens & gratia
Audaciam premit leuatq; supplices.

De muliere, quæ brachio debili, panem sanguescentem detulit, & sanata est.

ODE MONOCOLOS. METRVM SApphicum continuum.

BRachio languens mulier fidelis,
A sua poscit domina licere,

Vt

Vt comes vadat populo meanti
Ad sepulchrum Martyris ob medelam:
Denegabatur sibi quod petebat,
Et minis compellitur ad laborem;
Altera quæ luce rogando perstat,
Impeditam se referens dolore
Brachij, nil posse laboris vsu;
Idq́ persuasum sibi spe medelæ,
Quòd DEI *Martyr det opem precanti.*
Circulum de pane creauerat tum,
Quem volebat, scilicet offerendum,
Debili circundare brachio post;
Hunc manu gestans dominam rogabat,
Gratiæ ne claudat iter petendæ:
Ira demum maior heram subibat,
Ac iubet discedere sæua vernam,
De fidem culpans operis remissi.
Circulum voti rapit efferata,
Quem videt frangens madidum cruore,
Et stupens cedit precibus petentis.
Vota portat fœmina iam cruenta.
Fama velox mira vehit peracta;
Turba pagis proruit ex propinquis,
Quæ viam præter numerum frequentans,
Ducit ægram præuia vel secuta.
Ad sacram tumbam volat ante rumor,
Inde rumoris venit ipsa causa,
Intrat ædem fœmina gratiosam,
Vota contestata DEO *volente,*
Ponit aræ sanguinolenta dona.
Brachium cui debile conualescit.
Hinc DEO *laudes resonant cateruæ,*

Gaudio

Gaudio dulci lachrymando paßim,
Panis Altenses retulêre fragmen
Hoſpites pro teſte domum regreßi,
Gratiæ quo dona probare poſſent,
Seculi laudanda per omne tempus.

De fœmina, cui lapis in lingua excreuerat.

ODE MONOCOLOS TETRASTROPHOS.
Metrum Anacreontium Hypercatalecticum; Conſtans Anapæſto, duobus Iambis & ſemipede.

Mulier ferebat ore
Lapidem tenente lingua,
Fluidis humoribus qui
Fuit ortus indecenter.
Ea venit ad ſepulchrum,
Sua vota martyri dans;
Sed vt oſculatur aram,
Cadit ore lapſa petra.
Remeabat inde læta,
Memorando ritè laudes
Sibi præſtitæ ſalutis.
Populus ſtupet fidelis;
Celebratur hic QVIRINVS,
Sua tumba prædicatur
Medicina ſingularis,
Bona ſpes neceßitatum.

De Energumena liberata.

ODE MONOCOLOS. METRVM ADOnium constans clausula Heroici.

DÆmonis atri
Fraudibus olim
Fœmina capta
Venit ad aram
Martyris almi,
Atq; repentè
Pressa sopore
Vocibus altis
Terruit omnes.
Nec mora, sana
Euigilauit:
Et referebat
Hæc sibi visa;
Flore gemellos
In iuuenili,
Parte sepulchri
Interiore
Progredientes,
Eius ab ore
Forcipe bina
Æthiopem tunc
Elicuisse.
Dum stupuerunt
Aspicientes
Æcrius illam
Vociferatam.
Nobile signum,
Concelebratum
Laude frequenti,
Comperit aula
Tunc ducis, & mox
Cæsaris almi,
Qui sacra condens
Munia sedis
Pontificalis
Monte, Babe cui
Nomen adhæsit,
In Novichinga
Vbere villa,
Principe cœtu,
Auspice cura,
Publica iura
Pacis habendæ
Prospiciebat.
Curia tota
Perpete dignum
Laude QVIRINVM
Magnificabat.
Inclitus isdem
Deniq; Princeps,
Qui diadema
Ordine regum
Teutonicorum,
Floruit, atq;

Gloria summa
Catholicorum,
Martyris ædem
Est veneratus
Supplice voto;
Id studiosa
Dum prece soluens,
Vndiq; sacras
Circuit aras,
Scanderat ipsa
Ardua templi
Concamerata,
Quæ Michaëli
Ante dicata
Iam tenuisti
Virgo Ioannes;
Quo pius hic Rex
Crebrius orans,
Mira refertur
Lumine mentis
Spirituali
Addidicisse:
Sæpius vnde
Commemorabat,
Quàm graue pondus
Criminis illi
Incubuisset,
Qui loca clara
Martyris huius
Rebus honoris
Iuris auiti
Destituisset.

De Matrona, quæ Ecclesiam B. QVIRINI intrare non potuit

ODE MONOCOLOS TETRASTROPHOS.

COmpta magnificentius,
Septa militibus suis,
Optima facie quoq;
Præminens hera venerat.
Martyris celebri die
Ingredi cupiens sacras
Illa cum populo fores,
Impedita repellitur.
Vis superna tenens eam
Introire vetat ream.

Quæ

Quæ putans quod in hoc sibi
Præter obuia crimina
Sexus obfuerit minor,
Inter agmina plebium
Fortius reprimentium
Se gerens sine viribus.
Tentat addita pluribus;
Ianuas patulas adit:
Obstat alma potentia,
Denegans aditum sibi.
Quam leuant humeris viri,
Ac ferunt aditum propè,
Nec valent sub eo leui
Fasce limina transgredi.
Clara lumina cerei
In manu capit vtraq;,
Sed nec his meruit tamen
Compos esse sacri loci.
Quæ pudore magis dolens,
Optat hospitio foras
Anxiata recedere;
Fixa perstitit vt petra,
Nec mouere valens gradum
Ante siue retro suum,
Mœsta Presbyterum vocat,
Confitens sua crimina.
Rursus appetit ingredi
Lumen in manibus ferens,
Nec sinit Deitas eam
Sacra limina transgredi.
Confitens iterum probat
Cæcos pariter gerens,

An sibi pateant fores,
Arcet hanc aditus patens.
Tertio studiosius
Confitetur, & accipit
Per flagella salubria
Pœnitens humilem modum.
Vouit omnia deniq;
Spontè crimina tergere:
Vix abhinc meruit sacri
Particeps fieri loci.
Inde gloria Martyri
Singularis & ardua,
Ac sacro timor in loco
Creuit & reuerentia.
Disciplina potentior
Nobili data fœminæ,
Clara forma modestiæ
Fit scienda fidelibus.

De nouem Energumenis, cæco, contractoque sanatis. Et de fœmina cui chirotheca manu rigente detracta est.

ODE MONOCOLOS TETRASTROPHOS.

EVecti Latio festa QVIRINI
Plaudens concelebrat Norica dum gens,
Ter terni laqueo dæmonis acti,
Attracti fuerant spe medicinæ,
Qui cuncti pariter, munere grato,
Diris hospitibus sunt vacuati;
Elatis crucibus, laude sonante,
Lætis Ecclesiam plebibus intrant.
Cæcus præterea lumine gaudet.

Contra-

Contractus miseros corrigit artus.
Inferrata diu soluitur vlna
Altari stolidæ. Tunc quoq; sacro
Votum fœmina fert in chirothecis;
Illi continuo palma rigescit,
Ne prorsus retrahi posset ab ara;
Cum non visa rapit vis chirothecam
Ac suspendit eam desuper aram,
Præsentes vt eam cernere possent;
Postremo residem suscipit Altar.
Cum palma rigida fœmina perstat,
Votorum studio nisa resolui.
Spondet perpetuò concelebrare
Festum ritè diem Martyris huius,
Vt ieiuna prius luce sequente
Eius honore vacet nil operando.
Votis explicitis palma reducta
Flexu se plicuit sana priore.
Congaudens populus mira resultat
Quæ pro teste suo Christus adimplet.
Clarus Regis honos, militis est laus.

De ea quæ veſpere ſabbathi balneum parare niſa, diuino igne cremabatur:

ODE MONOCOLOS. METRVM ANAPÆsticum Catalecticum. Ex tribus Anapæstis & syllaba.

MVlier lauacrum cupiebat
Sibi vespere Sabbatha quod dant,
Lapidum celerare calore.

Silices manibus capiebat,
Positura foco cumulato;
DEVS omnipotens ferit illam
Sua iura nimis temerantem:
Silices digitis coälescunt,
Sed & irresolubiliter sunt
Miseræ manibus sociati,
Cruciantq́ cremando tenentem.
Sua vestis ei fuit ignis,
Et ea spoliata sub inde,
Alijs cooperta minus nil,
Vel ab his doluisset adusta.
In eo cruciamine longo
Petijt veneranda QVIRINI
Piè limina questa laborem;
Ibi sensit opem pietatis,
Et atrox sua pœna soluta,
Perijt, Domino tribuente.

De milite Captiuo per merita Martyris erepto.

ODE MONOCOLOS TETRASTROPHOS.
Metrum Iambicum Dimetrum, Catalecticum
quod & Anacreontium.

IAcebat vrbe captus
Miles grauis cathenis
In carcerem retrusus
Bogisq́ strictus arctis.
Erat triumphalis nox,
Qua Martyrem peregit

Cælo beans QVIRINVM;
Captiuus hoc sciebat,
Et anxius petebat
Dari sibi leuamen.
Obdormit inde tractans
Videt virum decorum,
Qui taliter compellat:
Si deferes cathenas
Istas meo sepulchro,
Te vinculis resoluam.
Votum libens agebat
Adhuc sopore pressus,
Et mox pedi soluta
Cathena pendet vno.
Quies remota cessit,
Timorq; cogitantem
Subit, foris custodies
Qua permearet arte.
Victus sopore rursus
Videt virum priorem,
Qui præcipit fidendum,
*In ante perge * condonens*
Mollis quies abibat,
Surgens manu bogam fert,
Qua pes tenetur vnus;
Fores adit patentes:
* *Stans in his videbat*
Per plurimos custodes
In arma præparatos,
Nec audet egredi iam,
Vbi morans, videt se
Repente trans custodes

Situm

Situm, DEO iuuante,
Mariá transferente,
Portas petebat vrbis;
Illæ licet seratæ
Receperant fugacem:
Ad vsq; fossas ibat,
Quæ muniere castrum;
Vbi morantur illum
Ablata ligna pontis,
Properat fugam vetandam
Per arbores traiectas,
Transit tamen fossata;
Cui primitus cathenis,
Pes alter est solutus.
Liber ferenda dorso
Reiecit ille vincla,
Currens gradu citato,
Vt damna rete vitans.
Custodibus soporem
Vincentibus, reprensus
Abisse, quærebatur,
Canum fugax odore.
Videbat insequentes
Inuisus illis ipse;
Canes ei propinqui
Refugerant tenendum.
Ad flumen hæc sequela
Peruenit amputanda;
Sequens enim decursum
Fraudat canes odore.
Sic odientibus se
Ereptus expetebat

Sedem

Sedem piam QVIRINI,
Graues gerens cåthenas.
In se peracta narrat
Diuina dona mira,
Laudemq́ Martyri dans,
Bogas refert ad aram.

De eo qui terminos possessionis inuaserat.

ODE MONOCOLOS PENTASTROPHOS.
Metrum Dactylicum, Trimetrum Catalecticum & tribus Dactylis & syllaba.

MIles auarior absq́ modo
Proxima rura sibi solitus
Subdere quæq́ potente manu,
Sæuus agros violenter agens,
Alme QVIRINE, tuos rapuit,
Quos Orientis habet regio,
Flumine nobilis Erlafiæ,
Carmine Teutonibus celebri,
*Inclita * Rogerij Comitis*
Robore, seu tetrici veteris.
Cænobij tamen Oeconomi,
Propitiis vbi iudicibus,
Iura loco petiêre suo,
Pandere prædo coactus erat
Vel sua rura vel Ecclesiæ.
Limitis vt daret indicium,
Certius vtraq́ qui dirimat,
Quoue loco sua desinerent,

* Rogeri Marchio Austriæ, Hungarorũ irruptionibus oppositus á Conrado Imperatore, Anno 913.

O Eccle-

Ecclesiastica, ius caperent
Indubitabile perpetuò,
Vectus equo celeri properat,
Raptor agros penetrans auidè;
Et socians Saliena sibi, Fort. Aliena.
Limitis arua sui nimium
Tendit in attiguas segetes.
Dehinc hunc proprius sonipes
Intolerabiliterq; ferit,
Vix sibi vita fuga fuerat,
Vix sine debilitate domum
Verberibus domitus redijt.
Cœperat hinc resipiscere iam,
Ecclesiæq; remisit agros,
Quos tulerat dominante manu.
Gloria Martyris aucta viget,
Laus & in hoc sibi digna datur.

De quodam Præfecto Ratisponẽsi. qui Decimas S. QVIRINI tulerat.

ODE MONOCOLOS. METRVM GLYCONIum, constans Spondeo, Choriambo, Pyrrichio.

SAnctorum loca visitans
Dum princeps Hyatospolis
Vrbanus Comes exijt,
Tolli pabula iusserat
Ex quadam decimaria
Curti Martyris incliti;
Illinc cuncta necem simul
Pauerunt animalia.

Iam nocturna quies abit,
Lux pandebat heris viam,
Stratores vt equos parent
Pastos è stabulis eos;
Sed traxere cadauera
Admiranda. timent DEVM,
Experti venerabilis
Mirabilia Martyris.

De equo ad murum Ecclesiæ religato in rabiem verso.

ODE MONOCOLOS EX DACTYLO ET duobus Trochæis.

ANnua dum coluntur,
Festa pij patroni,
E Latio paterno
Baiariam petentis,
Ad Boreale muri
Quod latus in forum fert,
Ecclesiæ QVIRINI
Exterius cymitron
Miles equum ligarat
Tyro, volens eadem
Arma die subire,
Huic sonipes furebat
Fræna ferox reuulsit,
Indomitosq́ passim
Asper agit rotatus,
Nec requieuit ante
Quam sibi vita morte
Perdita cum furore
Sacra timenda suasit,
Ac reuerenda tanti
Martyris esse templa.
Immaculata sedes
Sacra decent per æuum.

De illo qui Dominica die sepem reficiens paralysi dissolutus est.

ODE DICOLOS HEPTASTROPHOS. Metrum Trochaicum Archilochium. Vno versu Acatalectico, altero Catalectico.

RVsticus dirupta sepis
Conresarciens die
Qua DEVS mortem triumphans
E sepulchro prodijt,
Vindicem plagam ferebat;
Corpus omne decidit;
Se trahit solo miser.
Lineas cruore duxit
Tota desuper cutis
Horrido nitens colore.
Martyris petit tumbam
Languidus, dolentibusq;
Promouendo flexibus
Supplicauit intimè,
Vt pius QVIRINVS illi
Obtineret à DEO
Criminis remißionem
Ac doloris exitum.
Plurimis dehinc diebus
Pœna perstitit rei,
Insolubilis diu.
Hoc per omne tempus autem
Sedulò petens opem,
Sede Martyris ab alma
Promeretur erigi,
Paululum leuans humo se,
Pectus vt muro queat

Applicare proximo.
Diligenter incboata
Dona postulans DEI,
Baculo regente cæpit
Ambulare debilis,
Orat integram salutem
Claudicans breui mora
Sospes exilit gradu.
Obsequens loco remansit.
Postmodum vir hic diu
Gratias agens fideli
Seruitute Martyri:
Ad sacrum dehinc sepulchrum
Exulauerat DEI,
Plurimos eò sequens.

De furibus marsupia desecantibus.

ODE MONOCOLOS TETRASTROPHOS.
Metrum Iambicum Dimetrum ex duobus Diiambis.

D*Ie sacra qua Norico*
Se Martyr inclitus dedit,
Frequens caterua plebium
Templum suum repleuerat.
Mixti duo fures ibi
Fecere damna pluribus,
Sectis rei marsupijs,
Et sacra defraudauerant.
Qui dum volunt recedere,
Tenetur vnus exitu
Patente, clausis artubus,

Nec egredi permittitur.
Elapsus alter hæserat,
Planaq; restitit via,
Qua fons salubris exijt
Sub Martyris sarcophago.
Postremò cuncta proditi
Vterq; rapta proferunt,
Confusionis ebrij
Rubore, dant pedes fugæ.
Qui venerant ditescere
Raptis, inanes exeunt.
Laudatur hîc potentia
Latè QVIRINVS eminens

De Matrona, quæ vino de Ecclesia sublato, Dæmone correpta est.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. METRVM vno versu Iambicum Anacreontium, altero Pherecratium.

MAtrona sæua fratrum,
Iussit tollere vinum,
In monte Strenienſi.
Hoc ex Ecclesia mox
Cum tolleretur, illa
Facta protinus amens
Acri furore fertur;
Crines dilacerabat,
Toruum caput rotabat,
Prauè lumina torquens,
Sub qua feroce plaga,
Sic percussa remansit,

Vt matre deferente,
Templum Martyris intrans,
Et commorans ibidem,
Multo tempore nullam,
De lectulo QVIRINI
Persentire medelam
Deuotione matris
Commendata valeret.
Vitam misella demum
Sensus indiga clausit.
Sexum, genus, laborem
Quiuis commisereri
Debebit hic fidelis,
Et plagam revereri.
Nam Germanus eius olim
Sibodus Comes extat,
Ac nobilem maritum
Eoa regione
Sortita præminebat.
Quam tunc, vindice dextra
Tangens DEVS *potentes,*
Hæc cunctis metuenda
Exempla ferre iussit,
Plectendis violentis:
Quo frater interim tunc
Defensor Comes acer
Sacri loci videret
Iram quam meruisset,
Et exitu sororis
Tali commonitus se
Exinde leniorem
Præberet populis &

Quan-

Quandoq; terminandis
Causis Ecclesiarum.

De Clerico qui locum sibi subijcere affectauit.

ODE MONOCOLOS TETRASTROPHOS.
Metrum Phaleucium Hendecasyllabum. Ex spondeo, Dactylo, tribus Trochæis.

QVidam clericus, altiore stirpe,
Regi proximus, atq; principali
Aulæ Cæsareæ loco potitus,
Clarâ sede tua QVIRINE tumbæ
Oppressâ, sibi mancipare cœpit
Res, & tollere quod libuisset omne:
Campanum quoq; vas tulit sonorum,
Daninga lare quod suo recondit,
Fratris id refer....eo remoto

Fort. Fratres id. referunt.

Iras exerit ille dum redisset,
Vas ipsum iubet ocyus reduci,
Parebant homines sui iubenti,
Millenis propè passibus reuectum
Vas; portantibus imminebat ipse
Compulsor grauis & ferus coactor.
Amissa subitò furore mente,
Diro circuitu diu rotatur,
Vitam mors celer improbam recidit.
Qui gessere domus sacræ rapinam
Nec procedere præualent in ante
Nec deponere vas, viaue flecti:
Quò plus progrediendo niterentur,
Retrorsum magis impotes feruntur,
Donec rapta loco sacro reportant.

Law-

Laudem Martyris omnium canit vox,
Qui sic propitius premit potentes,
Obsistens violentia potenter.

De Nauigantibus in die S. QVIRINI à tempestate liberatis.

ODE MONOCOLOS TETRASTROPHOS;
Ex spondeo, Bacchio, Choriambo, Pyrrichio.

QVondam marinis obruta fluctibus,
Quærebat vrbem glorificam Crucis
Præclara gentis copia Noricæ,
Deuotione longius exulans;
Sanctum sepulchrum, quo iacuit DEVS,
Mortem resurgens victor vbi fugat,
Clarente Paschæ tempore proximo,
Voto salubri cernere destinans.
Neptunus acri se rabie mouet,
Quem Rex tumescens Æolus excitat;
Horum * thecis dum prælia fugerat,
Nunc alta cœli, nunc petit infera.
Cœlis relapsa texit aquis ratem,
Aut eleuando nubibus inditam
Demisit infra regna Plutonia.
Commissa ligno spes hominum tremit.
Instabat almi passio Martyris,
Anni recursu festus erat dies,
Cœlo QVIRINVM clarior inferens,
Quod nauigantum pars bona nouerat;
Quorum sacerdos vnus amans DEVM
Surrexit, atq; pluribus instruens

Hierosolymam.

P Ver-

Verbis ſalutis corda pauentia,
Poſtremo dicta ſic ſua clauſerat:
Sciatis, inquit, eſſe diem Sacram
Magni patroni Boiarici ſoli;
Hunc inuocantes experiemini
Præſente vobis propitium via.
Nec dum loquenda presbyter edidit,
Nomen QVIRINI *plebs rapit anxia,*
Conclàmat illum mox prece flebili,
Solamen vt ſit rebus in extimis.
Non demorata ſæua maris lues
Nomen refugit nobile Martyris;
Optata ſeruit ſpontè ſerenitas,
Blandis feruntur carbaſa flatibus.
Prouexit omne proſperitas iter,
Tàm permeantes quàm reduces ouant,
Condigna plaudit gloria Martyrem,
Cuius reduxit gratia ſupplices.

De vidua paupercula, cuius domus per merita S. QVIRINI ab incendio ſeruata eſt, totâ villâ concrematâ.

ODE MONOCOLOS TETRASTROPHOS.
Ex Trochæo ſiue Spondeo conſtans.

V*ILLÆ quædam rapta*
Flammis, eſt aduſta;
Nata pauper illic
Clamat ad parentem:
Mater inuoca nunc
Martyrem QVIRINVM,
Quem pium patronum
Omnium ſonat vox.

Illa de-

Illa deprecatur:
Sancte nos QVIRINE,
Adiuua misellas,
Ignibus repressis:
Ecce non habemus
Prorsus adiuuantem,
Tu misertus affer
Spem necessitati.
Vix sonus precantis
Imbuebat auras,
Ventus eleuatos
Fortis arcet ignes,
Quos ab æde tollens
Fœminæ fidelis,
In alteras domos
Fert vltro citroque.
Pagus ille totus
Arsit, vna mansit
Hæc domus superstes,
Martyris tutelâ.
Incolæ mirantes,
Hunc larem QVIRINI
Nominarunt inde,
Quòd tutarit illum.

De naui, quæ trecentis viris immota, à quinquagenis leuiter ENO immissa est.

ODE DICOLOS HEXASTROPHOS.
Metrum Trochaicum Archilochium.

PLEBS *tuis* QVIRINE *festis*
Affluebat alacris,

Quam iocunda fouit æstas,
Dum sacram petit tumbam
Ianuamq́ gratiarum
Quæ patescit omnibus.
Diues angit agmen, ENO
Vt nouam ratem vadis
Inferat; sed in regressu
Hoc agi spoponderant,
Ac DEO *prius studebant*
Sacra vota reddere.
Attamen viri trecenti
Substitere circiter,
Et graui labore vanè
Applicare dum student
Proximis aquis carinam,
Illa fixa perstitit.
Quinquies deni reuersi
Post soluta Martyri
Vota, tædio repressos
Qui remanserant vident,
*Tunc trahendo * pauci*
Nomen inuocant pium.
Martyr inuocatus audit;
Nauis acta labitur,
In fluenta fertur vltro;
Clamor intonat simul.
Laus boni sonat patroni
Ore plebium frequens.
Iustá disciplina claret
Vota negligentibus,
Puniens reos labore;
Euidensq́ gratia

Vota comprobat peracta.
Gloria decus Deo.

De milite Babinbergense, qui caballum vouerat.

ODE DICOLOS TETRISTROPHOS.
Metrum duobus versibus Asclepiadeum, Tertius Pherecratius. Constat Spondeo, Dactylo, Trochaeo.

QVidam miles erat captus ab æmulo,
Inclusus tenebris sederat anxius,
Omni re miserandus,
Passus vincla diu spe dubitauerat,
Cunctis auxilijs deficientibus
Illi consilijsque.
Atrox hostis ei clauserat omnia
Spiramenta spei, quem sepeliuerat
Intra carceris ima.
Tandem commemorans mentis in abdito,
Quantos eripuit casibus asperis
Clemens sæpe QVIRINVS;
Huic deuouit equum, qui fuerat domi
Conseruatus ei fortis & aptior,
Si se liberet inde.
Non dilata diu gratia; prodiit
Vinctus liber, abit nexibus erutus,
Membris sospes & acer.
Qui deuotus equum Martyris ad sacra,
Sicut proposuit limina deferens,
Valuis nectit habenas.

Is verò sonipes carus erat sibi,
Quem nisus precium dando reducere,
In dono solidum fert.
Stabat fixus equus, frena tenent fores;
Argentum duplicat, lora nec explicat;
Æs parcè triplicabat,
Non soluens animal; dona quadruplicat,
Stat rursum sonipes; nec nisi septimo
Dissoluit solido se.

De Romipeta, qui equum S. QVIRINO deuouit.

ODE DICOLOS HEXASTROPHOS.
Metrum Trochaicum, vno versu Acatalecticum, altero Catalecticum.

ALTER *expetebat vrbem,*
Qua tenentur incliti
Principes Apostolorum,
Vouit equum quo sedit,
Si reduceret valentem,
Ferre dono Martyri.
Duxit & reduxit illum
Sospitem leui gradu:
Venit ad templum QVIRINI,
Ad fores equum ligat,
Pro redemptione cuius
Sex Deo siclos dedit.
Exiens equum ligatum
Ianuis resoluere
Tentat, & non præualebat:
Obtulit quod & prius;

Frena

Frena tractat eruenda,
Nec datur solutio.
Quatuor siclos ad aram
Deferebat ultimo;
Subiugale tum resoluit:
O QVIRINE, dixerat,
Magnus adiutor, & acer
En negociator es.
Præsuli Turonico par
Iste Martyr extitit,
Ille Chlodouæo regi,
Bella dum Gothis parat,
Victor & redit, caballum
Reddit siclis ducentis.

De Clinica sanata in Ecclesia Parochiali Beati QVIRINI.

ODE MONOCOLOS TETRASTROPHOS.
Duobus Iambis, & syllaba, duobus Dactylis constans.

INfirmitate pressa perenniter
Primis ab annis fœmina debilis,
Delata passim per loca plurima,
Nullum leuamen languida senserat.
Plebana perstat Basilicæ domus
Ab Affrico quæ proxima terminat
Possessionem Martyris incliti,
Parochiam qui continet alteram,
Sed illa sedi subdita Præsulis
Quam monte Babe Rex prius edidit,
Ac regalium compsit opum bonis,
Vetus reseruat nomen Hagaria

Ab huius

Ab huius isti plebe genus fuit
Paupercula, quæ strata fouens diu,
Frustraq; sacra circuiens loca,
Ædem QVIRINI *viderat vltimo;*
Hæc colle supra Danubium sita,
Plebes regit, cui CELLA *vocabulum*
Eò propinquis illa ferentibus
Delata supplex in Quadragesima
Iacebat orans, vota Deo dabat,
Vt sanitatis munia redderet,
Ligata morbis membra resolueret,
Ac debitis hæc officiis daret.
Iam sabbatho dum Missa peredita
Moneret addi ritè Synaxeon,
Cui vesper affert nomen in ordine,
Se dirigebat clinica lectulo;
Primumq; fessi singula corporis
Sic membra sensim tendere cœperat,
Vt sana tandem surgeret eminus,
Mirando turbis illachrymantibus.
Diuina clerus carmina cecinit,
Sonant QVIRINVM *cantica plebium,*
Deuotionis gaudia dulcia,
Fletu remiscent organa cantuum.

De puero languente, qui gleba pensatus apud fontem B. QVIRINI, in triduo defunctus est.

ODE MONOCOLOS TRISTROPHOS.
Metrum Dactylicum, Quatuor Dactylis Constans.

L*AVDE salubris aqua miseris pia*
Mira recenseo, Martyris optimi,
Clara Camœna fideliter insonet.

Fons

Fons patuit medicabilis omnibus,
Subsidium populis cupientibus,
Corporeis super anxietatibus.
Martyr vt huc Latio venit exulans,
Hæc voluit dare flumina gratiæ,
Gleba potens vbi nocte quieuerat.
Ille latex licet vbere munere
Languida membra frequens reparauerit;
Iura tamen tenet hæc specialia,
Quod puerilia corpora morbida,
Si fuerint ibi cum prece sedula,
Pensa solo, sequitur reparatio.
Non ita septima lux aderit sibi,
Quin miseros reparata salus leuet,
Aut pia mors requiem placidam ferat.
Id quoque tempora nostra probant satis,
Dum modo gratia se vetus innouat,
Cuius ibi duo mira recenseo.
Fœmina trans TEGRIENSE *fretum manens,*
Languiduli, cruciata doloribus,
Sex, pueri fuit anxia, mensibus;
Cui laticis memorando senes viri
Mira peracta sub anterioribus
Ritè monent ibi quærere gratiam.
Paruit exhilarata monentibus,
Portat eò puerum miserabilem,
Huncq; soli propè pondere pensitat.
Spe vegetata bona rediije domum;
Tertia lux animam pueri beans,
Dat requiem miseræ mulierculæ.

De eo qui ablutus in fonte B. QVIRINI, diutina infirmitate infra triduum absolutus est.

ODE MONOCOLOS TRISTROPHOS.

Metrum Anapæsticum Pindaricum.

TITVLVS Sixti Martyris almi
Romani quoque ſtat Pontificis,
Cui ſunt occidui Tegrienſes,
Vbi Guuernerius, ſcribæ frater,
Iacuit vi deficiens febrium
Glandibus inguine tangens nimijs,
Cruciamine longo preſſus homo
Subeunte putredine perdidit
Acri delapſa virilia morbo,
Immodicisq; doloribus actus
Clamoribus altis reſonabat;
Neque luce ſibi, neque nocte quies.
Ita feſſum tâm fortibus ægrum
Languoribus annus agit geminus,
Dum ſpes nulla foret medicinæ.
Aliquando tamen ſopor hunc tenuit;
Atque Deo miſerante monetur,
Diluat vt ſe fonte QVIRINI.
Bona ſpes alacrem lecto releuat,
Baculo fultus ſequitur ſocios,
Laticemq; ſalutarem petijt.
Panibus & caſeolis ibi ſe
Penſans, diſtribuebat egenis;
Lotus clara voce perorat:
Pie Sancte QVIRINE Dei Martyr,
Si viuere debeo corpore ſemi,
Nolo diaria viuere ſeptem:
Mihi tu bone propitius tribuas
Dolor vt meus hoc ſpatio pereat,
Si niſi ſoſpes redit integritas,

Remeans

Remeans nihil inde fuit dubius,
Quin precis effectum mox caperet:
Soluit lux triduana dolores.

De fœmina quæ calculo liberata est.

ODE MONOCOLOS TRISTROPHOS.
Metrum Iambicum Pindaricum: recipiens Spondeum, Anapæstum, Tribrachyn præter legitimos.

EX pago Norici, quem Vaganam dicunt,
Ad Martyris mulier deuenerat tumbam,
Quæ calculi morbo periclitabatur;
Incommodo tali biennium ducens,
De more parturientis intumescebat,
Penitusq́; sibi fœtum tumor prætendebat:
Ea crebrò supplicans frequentarat templum;
Clemens patronus obtinenda differebat,
Donec meritum fides instantiâ captet.
Tandem precibus incumbens illa sedulis,
Quadam die repente gratiam sensit,
Ex intimis se viscerum lapis soluit.
Festina mox discessit ædibus sacris,
In limine considet nunc præualens vltrà,
Quam matronæ leuantes educunt fessam.
Grates agens Deo petram iecit duram,
Ouo propè comparem fibrisq́; concretam,
Quam forfice matronarum desecant cura.
Sospes rediit domum Sanctiq́; collaudat
Magnalia Martyris QVIRINI *præclara,*
In se manifestius probata contestans.

De peregrino, qui ob cædem auunculi, circulis ferreis constrictus, sancta nocte Paschali absolutus est in in Ecclesia B. QVIRINI.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. PRIOR versus Asclepiadæus, alter Pherecratius.

QVidam cæde reus strauit auunculum
Spernens iura propinqui.
Inferratus ob hoc nexibus asperis
Ibat per loca sancta.
Quærens & veniam criminis ipsius,
Et nexus quoque solui.
Hic dum tenderet, vt Saxonia pium
Quæsisset Gotehardum,
Abbas ante fuit qui Tegriensibus
Vno nec magis anno,
Apparens senior canitie mera,
Affatur peregrinum:
Quæras Boiariæ, vir bone, finibus
Sancti templa QVIRINI,
Qui martyr situs est corpore nobili
In claustro Tegriensi.
Illuc perge citus, nec dubitaueris,
Quin soluaris ibidem.
Respondens miser hic; non sibi cognitum
Hunc callem memorabat.
Cui rursum senior: Nil remorabere,
Nec quicquam verearis,
Rectam nempe viam certius inuenis,
Pergens ad loca sancta.
His dictis monitor visibus excidit.
Surgit præmonitus vir,

Promißúq;

Promissúq; bonis fisus iter petit
In terras alienas,
Quamuis lingua sibi cognita Norica
Via vtcunque fuisset.
Demum perueniens attigerat sacram
Clari Martyris ædem,
Iocundi celebris tempore Sabbathi
Quod fert gaudia Paschæ:
Nocturnalis vbi fine Synaxeos
Christi laudibus astans,
Dum, Surgens, canitur, victor ab inferis,
Læto carmine plebis,
Hausit glorificæ munera gratiæ,
Almi laude QVIRINI.
Ferri prosiliunt denique circuli
Viua carne sepulti,
Quod cernens populus, tunc numerosior
Ob Paschalia festa,
Laudes conduplicat multimodas Deo,
Crescunt vota patrono,
Qui tutor miseris, spes pia pauperum,
Audit vota precantum.

De alio itidem inferrato, qui ante valuas Ecclesiæ B. QVIRINI resolutus est.

ODE MONOCOLOS DISTROPHOS.
Metrum Anapæsticum Paremiacum, Ex Dimetro Catalectico, hoc est, tribus pedibus & syllaba.
Recipit omni loco Anapæstum vel Spondeum.

A*LIVM parili vice strictum*
Ferri torques onerabant.

Aderat venerabile festum,
Renitens in fronte Nouembris.
Iacuit miserabilis isdem
Vir in hospitio requiescens,
Et ab apparente monetur,
Vt ad Ecclesiam properaret;
Vbi donandam medicinam
Sibi certam non dubitaret.
Nihil inde miser remoratus,
Petijt sacra limina templi.
Stetit orans æger ibidem
Pietatem Martyris almi,
Quatenus dignetur ei iam
Cruciamina soluere longa;
Subitò ferri resoluti
Nexus procul exiliêre,
Cute qui mersi moribunda
In corpore delituere:
Dolor acer vulneris illum
Cogebat vociferari.
Titubans etenim cecidisset,
Deus hunc nisi continuisset,
Inuisibilis sibi visus
Astare comes vel amicus,
Ad se stringebat eundem,
Donec bene conualuisset,
Gemitus iam vociferantis
Reticent grates resonarunt
Medico celeri tibi Martyr,
Qui semper ades miseratus
Dignis precibus miserorum,
Soluens numerosa perîcla;

Nec fons

Nec fons vnquam pietatis
Tibi deficit omne per æuum.

De illo, qui bouem compatri furatus, nummos eidem cum marsupio præcidit, meritis Beati QVIRINI diuinitus propalato.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. METRVM Iambicum Archilochium tribrachum. Prior versus Trimeter, secundus Dimeter Acatalecticus.

VBIQVE fraus in orbe latè dum furit
In proximos & cognitos,
Quidam bouem tulerat furatus compatri,
Fidem minus vel fas tenens;
Vterque post ad Ecclesiam celebri die
It, actor & questor rei:
Vbi dum populi frequentia se densans premit,
Et hi duo propiant sibi,
Fraudi manus apta sacculum præciderat
Cum ter decem denarijs
Prænominato supra compatri suo,
Furti cauillatus lucro.
Quod non diu potens patronus pertulit,
Sed ocyus prodit reum:
Solemnibus peractis plebs redijt domum;
Remansit ille solus hic,
Sacri laris perlustrans omnes exitus;
Tenent eum pansæ fores.
Nec vllus huic aditus patuit obnoxio,
Quem Martyr alligat reum.
Sacrista transiens spaciari peruidet
Incognitum templo virum.

Quid hic

Quid hic agis, inquit, homo? claudendæ sunt fores.
Exi citò Dei domo.
Is denegat exitum sibi dari foras,
Per Martyris potentiam.
Quidnam Dei pro nomine contigit hîc tibi,
Vt hinc negetur exitus?
Refert per omnia crimen ille reus suum,
Furtum bouis seu sacculi.
Quæsitus inuenitur isdem compater,
Quæ damna culpa læserant,
Ei datur optio tandem de bis sex bubus,
Sibi deligendi quem velit.
Redduntur & nummi malè possessi dolo.
Tibi laus QVIRINE personat.

De duobus leprosis, qui vno tempore ad Ecclesiam B. QVIRINI venientes diuerso loco & dispari exitu, ambo tamen curati sunt.

ODE MONOCOLOS TETRASTROPHOS.
Metrum Glyconium ex Spondeo, Choriambo, Pyrrichio.

SPARSIT lepra duos simul:
Hi tumbam pariter sacram,
Festo Martyris incliti,
Disiuncti tamen, expetunt.
Ambo dissimili modo
Senserunt piè gratiam,
Detersi maculis suis
Hora dispare seu loco.
Vnus dum precibus studet
In Cryptæ positus lare,

Lassum

Lassum somnus eum rapit,
Et grata requie souet:
Quem cum deseruit sopor,
Sudor plurimus occupat,
Ipsum sordibus eluens,
Cui mox pulchra redit cutis.
Exurgens alacer fugit,
Decedensque loco sacro,
Velox inde petit domum,
Nil gestæ memorans rei.
Hunc miles probus agnitum,
Causam dicere iusserat,
Confessumq; reduxerat,
Vt grates ageret Deo.
Tandem protulit omnia
In se facta benignius,
Sospes stans ope Martyris,
Ac sic lætus abit domum.
Aliter pressus ea lue,
Vt venit, remeauerat
Æger, vota precum dolens
Quod fudisset inaniter:
Quæsiuit tamen exiens,
Qua fons Martyris effluat;
Hoc à prætereuntibus
Addiscens, ibi se lauat.
Confestim recipit color
Illum lætus & optimus,
Laudatur celeberrima
Almi gloria Martyris.

De Clinica, quæ ad tumbam Martyris veniens obdormiuit, & quendam vidit pedem comprehensum trahere, & dirigere. Vnde euigilans sanata est.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. METRVM Sapphicum, adiuncto Glyconio.

MOrbidis quædam religata neruis
Venit fæmina debilis,
Cui pedum pars ima retorta creuit
Ægro . . . . . fæmine.
Illa dum procumberet ante tumbam,
Somno vincitur ocyus,
Et videt clari iuuenem decoris,
Se prensam pede tendere.
Nec diu somnum capiens, repente
Sanam se vigil expauet.
Plaudit insueta sibi sospitate;
Demum membra recorrigens
Incipit vestigia rectè ferre,
Etsi ponere nesciat.
Intonat carmen populi QVIRINVM
Tutorem miseris pium,
Atque languentum medicum potentem
Vox gaudens canit omnium.

De raptoribus, qui sæpius panes & cibaria fratrum & lagenam vini tulerant, excæcatis.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. METRVM vno versu Phaleucium, Altero Dimetrum Dactylicum, Archilochium, duobus Dactylis, duobus Trochæis.

FRATRVM seruitio ferenda vina,
Tarda via mora præpediuit.

Solers œconomus reperta rure
Pocula detulit vsibus dans.
Andreæ celebri die fidelis
Obsequio tribuenda fratrum;
Dissensere viri studendo bellis;
Mutua cædes vbique feruet;
Discurrendo ferunt metuntq; mortes:
Turma latrociniis cibatur.
Omni nempe die tulêre, quicquid
Cœnobio fuit apparatum,
Et potus rapuêre partem
Primitus est vt equo remissa.
Iam solemnis Apostolo fuit lux,
Ac propè tertia lucis hora;
Elata cruce Martyris sepulchrum
Circuiêre precando fratres,
Prædonum violentias repelli
Ritè patrociniis QVIRINI.
Hinc & mysterium canendo Missa,
Causa Deo precibus refertur.
Exin nocte sequente vindicatur
Continuata rapina fratrum.
Qui vinum tulerant, ab hoste capti,
Luminibus spoliantur octo.

De Guernerio Ameone, qui ostium Ecclesiæ B. QVIRINI securi percussit.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. METRVM primo versu Iambicum Archilochium, admittens quandoq; Anapæstum; altero Elegiacum.

PROCAX *agebat hostem insequens ......*
Martyris ille piam fugit in Ecclesiam.

Qui turre contutatus interim latet,
Donec dura dies transit & hæc rabies.
Sed insecutor dum non inuenit viros,
Hos crebro quærit, claustra secure ferit.
Vacuus redit tamen prorsus nihil ferens.
Vindex ira Dei fit comes acris ei:
Nam mente captus dum redire cœperat,
Sacrilegum rapuit mox furor, vt meruit.
Domum relatus infortunijs cadit,
Corporis & rerum damna premunt miserum.
Pœnæ reum viuum consumunt debitæ,
Quem sepelire parat plurima pestis arat.
Tandemq; notior vindicta criminis
Cum latè patuit, mors grauis hunc rapuit.

De arreptitio, qui dum trahitur ad templũ, se proripiens effugit in montem, ibiq; curatus est.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. METRVM vno versu Asclepiadæum, altero Iambicum dimetrum.

CAPTVS dæmonio cum trahitur ferus
Ad Martyrem pro gratia,
Extorsit manibus se retinentium
Cursuq; syluas appetit:
Montis nempè subit celsa cacumina,
Quem nominant Albarium.
Illic cura gregum detinuit viros
Tunc plurimos in alpibus:
His Energumenus fortè cohæserat
E saltibus pulsus fame;
Pastores casulis se refouent focō.
Demens eis hic astitit.

Qui labens

Qui labens subitò mergitur ignibus,
Partimq́; flagrans læditur.
Cum magno vomitu dæmon eum fugit,
Cui sana mens statim redit.
Et palam retulit lætior omnibus,
Quid gratiæ tum senserit.
Lucem conspicuam vidit ab æthere,
Lapsam per auras eminus.
Hæc dum clara meat montis acumine,
Transitq́; verticem viri.
Dæmon sternit eum cælica non ferens;
Diuina sentiens abit.
Nam Martyr sub eo se radio sacer
Terris QVIRINVS *intulit,*
Conducens duplici luce Georgium
Ad gratiæ decus pium,
Quorum diffugiens ocyus improbus
Non pertulit præsentiam.
Vir sanus repetit Martyris atria,
Laudans Dei clementiam,
Qui semper miseros propitius iuuat
Per Martyrum suffragia.

De eo, qui procaciter indignando requirens, quis esset QVIRINVS, obmutuit.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. METRVM vno versu Alcmanium, Dactylicum, Tetrametrum Acatalecticum; altero Iambicum dimetrum.

R*VRICOLAM dum seruitij sui*
Tædet, vagus petit fugam:

Is ditioni subditus exteræ
Liber colonus extitit.
Dedita sanctis munia deserens,
Agros reliquit publicos,
Obsequio qui Martyris inditi,
Fratrum coluntur vsibus.
Ergo fugax isdem remanens diu
Extra sui iuris viam,
Sulbaciensis heri fuit accola
Pago sedens Boiariæ.
Viderat hunc Dapifer probus
Guernerius loci sacri.
Hic quid agis? famulabere iustius,
Ait, QVIRINO Martyri.
Præpositus comitis responderat,
Quis est QVIRINVS hic tuus?
Hic meus est: mihi seruiet à modo.
Quod vt procax edixerat,
Mutus in æternum manet ille vir:
Hoc vltimum verbum sibi.

De luce in Ecclesia B. QVIRINI, noctu diuinitus ostensa, cum suaui concentu.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. METRVM vno versu Alcmanium Dactylicum Trimetrum Hypercatalecticum, è tribus Dactylis, & syllaba. Altero Pherecratium recipiens prima regione pro Spondeo Anapæstum.

F*OEMINA religiosa dominum*
Venerans memoratur

Expetijsse

Expetijsse locum sanctum,
In quo Martyr habetur.
Hac sero requietura
Ad templum prius ibat,
A longè qua prospiciens
Claras luce fenestras,
Fulgureo splendore domum
Plenam cernit ab intus.
Praeterea resonans audit
Suaui carmine voces.
Ecclesiae portas adijt,
Offenditqúe seratas.
Pluribus ostendens eadem,
Cunctis mira videbat.
Vndique circumijt templum
Dum sit ianua clausa:
Et quasi sol foret inclusus
Lux extra radiabat.
Nec splendor defecit ibi,
Neque concentus amœnus,
Donec post modicum sonuit
Solito fusile signum.

De Abbate Vdalscalco, qui iniustam sententiam contra B. QVIRINI familiam approbare nisus, paralysi in triduum obmutuit.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. METRVM Trochaicum Alemanium, ex quatuor Trochaeis, &c.

Anno Domini 1102.

CAVSA dum foret gerenda
Quondam complacitata,

Approbare

Approbare nisus Abbas
Cuidam noua iura,
Quæ super plebes iniquè
Sanxit Martyris almi,
Vsum perdidit loquelæ
Subita debilitate;
Qui rem gesserat sinistrè
Contra iura priorum.
Sic tribus diebus illum
Constrinxit paralysis,
Vt nihil prorsus valeret
Effari super hac re.
Tertia die remittens
Iactis nutibus illam
Immitem sententiam, mox
Linguæ vincla resoluit.

De Vdalscalco Præcone familiarium B. QVIRINI in HALLE villa Salinaria, qui damna Ecclesiæ reticens obmutuit.

ODE MONOCOLOS DISTROPHOS.
Metrum Phaliscum, ex tribus Dactylis & Pyrrichio.

PRÆCO *datus socijs ferus erat,*
Ecclesiæq; suæ sine fide
Res agitans; aliena studuit
Inde iuuare negotia magis,
Præmia suscipiens malè data,
Iustitiæ stetit obuius ibi,
Quo reditus salis omne refertur
Negotij variabile lucrum;

Cœnobij

Cœnobij quoque damna reticens,
Plus sibi cognita, noxius erat,
Indicibus famulans maleuolis,
*Exposuit socios vafer * eris.*
Res ea, quam refero, noua patet,
Visibus hanc memor ipse recolo.
Seruitij veteris facile ius
Dum melior famulatus ageret,
Ogdoa pars geminata salis hic
Vendita clàm reperitur alijs,
In varijs manibus dubia stans,
Martyris ex ditione perijt.
Quod scelus ille sciens, neque volens
Indicium dare, perdita quis hæc
Tunc habuisset, vt inde repeti
Res potuisset abacta nequiter,
Dum ratio sibi nulla valuit
Consuluisse rei dare viam,
Perdidit eloquij miser opem,
Quam malè gesserat, impiè negans
Commoditatibus hanc tribuere,
Testificando loci bona sacri.
Quæ tamen edita post patuerant,
Ciuibus excipientibus ea.
Hi quoque vendita qui tenuerant
Nominibus patuere proprijs:
Mutus at ille remansit & egens,
Corpore debilis atque tremulus,
Mortis adusque diem miser ea
Clade notabilis omnibus erat.

De iudice Altahensi, qui apud Torndorff in Cœmeterio Ecclesiæ B. QVIRINI domum ædificauerat.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. METRVM Phaleucium, ex Spondeo, Dactylo, tribus Trochæis. Alter versus Elegiacus.

CIRCA Danubium QVIRINVS olim
Notus ab Ecclesia claret honore suæ,
Qua signis varijs frequens coruscat
Ritè patrocinij gloria diua sui,
Genti Boëmicæ manet celebris,
Quæ laris atque rei vota dat omnis ei:
Altensi populo patet verendus,
Quique plebeiam continet Ecclesiam.
In cuius cimiterio sacrato
Structa fortè domo pulsus agebat homo.
Qui iudex socijs tamen rebellans
Victus cessit eis à laribus proprijs.
Ruptis Ecclesiæ vir ille muris,
Hospitio tacitum fecerat introitum.
Cessarunt ibi signa gratiarum
Martyris ipsius munere crebra prius.
Indignata salus manum retraxit,
Immeritosq; sequens, rara fit, ante frequens.
Quod non improbus iste pertimescens,
Vix anni spacio mansit in hospicio.
Nec plenè reuolutus ibat annus,
Martyris ex ira fit domus vsta pyra.
Nunc stultus reparare non veretur:
Quæ malè structa fuit rursus ab igne ruit.
Insensatus eam refecit ille:
Sed plectebat eam tertia flamma ream.

Iam

Iam quarti sceleris pudor recessit
Durata facie, ne via sit venia.
Nam quartò reparata flagrat ædes.
Victrix vindicta crimina soluit ita.
Tandem quippe recogitans QVIRINVM,
Tot vicibus vetitum deserit introitum.
Interrupta repletur ora muri;
Crescit adacta foco gloria digna loco.
Sed non dissimili furore fertur,
Filius eiusdem ædificans itidem,
Annis quæ geminis Deo rebellis
Bis frustra reparat bis quoq; flamma vorat.

De paralytica sanata in præfata *Ecclesia.*

ODE MONOCOLOS TETRASTROPHOS.
Metrum Dactylicum Archilochium Tetrametrum, recipiens pro spondeo vel Dactylo Anapæstum.

M*ATER plebani fuit ægra*
Paralysi sic iam religata,
Vt nisi sella proueheretur
Nusquam prorsus progrederetur.
Ea voto supplex delato
Ad præfatam Martyris aulam
Questa dolorem mente fideli
Speratam petijt medicinam.
Quam cum deuota prece poscens
Munus deposuisset ad aram,
Mox nerui morbo resoluti
Cœperunt sensim solidari.

Pedibus læta suis repedabat
Quam deportarunt alieni;
Cum populo laudes resonabat
Sospes meritis Martyris almi.

De Bernoldo Altahensi, qui nimietate languoris amisso visu, octo annis cæcus, apud eandem Martyris Ecclesiam curatus est.

ODE MONOCOLOS TRISTROPHOS.
Metrum quod supra, absque Anapæsto, quem in eo Boëtius ponit contra regulam centimetri.

CAptus febre ministerialis
Longâ Mauritij Ducis alti
Perdidit omnem luminis vsum;
Sic annis octo sine luce
Conuersans vitâ miserandâ
Damnatos circumtulit orbes.
Demum venit spe medicinæ
Ad memoratam Martyris ædem,
Iunctus plebi tempore festo,
Ac fidei duce lumine lumen
Amissum repetit prece firma
Per pia sancti dona QVIRINI.
Accipit ille fidelia vota,
Et reserantur lumina clausa,
Immissa. *Lux tenebras* in Missa fugauit.*
Tum resonarunt cantica plebes.
Ductorem spernens remeabat,
Ante manu pertractus ad aram.

De Equis

De Equis, qui Cœmeterium supradictæ Ecclesiæ ingressi, post horam mortui reperiebantur.

ODE MONOCOLOS TRISTROPHOS.
Metrum Iambicum Dimetrum Hypercatalecticum.

VEnatione militares
Viri feruntur occupati
Versus domum sacram QVIRINI;
Deuotione debita se
Demiserant equis citatò
Et supplices templum petebant.
Sed negligentius caballos
Liquere stantes ante valuas,
Ac liberos custode nullo.
Dum nemo detineret illos,
In atrium simul ruerunt,
Ibi malignè pabulandi.
Mors est eis locus sacratus
Præsumptus insolenter illis,
Ex quinque nullus est superstes.
Vt exière militantes,
Inuenerant equos iacentes.
Creuit timor loco verendo.

De saxo secus eandem Ecclesiam.

ODE MONOCOLOS TETRASTROPHOS.
Metrum Pherecratium continuum, ex Spondeo, Dactylo, Spondeo constans.

MIRAM vindicis iram
Claras omnipotentis

Res gestas habet omnis
Sacri pagina scripti.
Non ignes Sodomorum
Vxoris ue Lothææ
Fœcundam sale petram
Ignorare licebit.
Nec pauper Deus ira
Fert ostenta sceleslis,
Quamquam gratia diues
Venâ nunc patet almâ
Etsi tempora nostra
Iam sint plena periclis,
Vt Paulus memorabat,
Non nos gratia liquit,
Donans supplicibus se,
Ac duros nocuosq́ue
Crebro vindice pœna
Plectens siue coërcens.
Res hæc quam referemus
Dum sit conscia paucis
Præpollentibus æuo,
Formam sacrilegis dat.
Iuxta præmemoratam
Clari Martyris ædem
Demonstratur ad Austrum
Quadam parte remota
Saxo forma Caballi,
Frenum sellaq; cui sit,
Tanta proprietate,
Ac si vixerit olim.
Ascensor propè paret
Tanquam desiluisset

Retrorsum

Retrorsum fugiturus
Totus saxeus ipse.
Hæret pes sibi dexter
In strepa, latet alter
Sub terra, neque corpus
Cernes vsque sub alas;
Pressus mole caballus
Fixis cruribus altè
Vasta desidet aluo
Nitens semper in ima.
Sed quid res ea signet
Ex verbis seniorum
Hæc comperta canemus
Diua laude QVIRINI.
Supra sæpè relatæ
Dum res Ecclesiæ fur
Conuasando tulisset
Iumentumq́ grauasset,
Sedit desuper ipse
Durè calcibus vrgens,
Et persensit equum mox
In petram riguisse;
Cum statim celerando
Dextrorsum resiliret,
Transit postima dorsi,
Vix tangens pede terram;
Confestim lapis extat;
Nec vindicta reliquit
Factis digna fugacem
Bruto cœpta caballo.
Ne sententia summa
Neglexisse merentem

Posset

Posset iure videri
Dum punit pecus innox.
Si quem res inopina
Et tàm mira mouebit,
Sollers audiat acta
His non dissona multum;
Et quæ per loca certa
Ac vicina valebit,
Si gnarus datur index
Præsens noscere visu.
Austro Norica tellus
Cisalpestribus oris
Florens Ecclesiam fert
Lindensis sibi nomen.
Qua tres munere panes
Oblati super aram,
Sublati quoque furto,
Iam sunt saxa per æuum.
In Busenkaimena
Perstant Ecclesia nunc
Petræ, dispare mole,
Omnes bis geminæ sunt,
Et quædam cubitales,
Aut binis cubitis sunt,
Seu parum minus aut plus,
Ac ceræ color his est;
Omnes interiore
Strictim parte foratæ
Lychnum sponte fatentur
Quod ferrent aliquando,
Nec longo memoratur
Res hæc gesta sub æuo,

Viuo

Viuo teste repleuit
Aures, indice visu.
Sollers Arthemius vir
Et clarus Tegriensis
Miles robore pollens
Hanc ædem renouarat,
Nam templum memoratum
Muro consolidauit,
Quod lignis prior ætas
Instruxisse refertur:
Intactam tamen aram
Seruarat, quod eandem
Antistes sacer olim
Vdalrice sacraris.
Hac ara steterant hi
Ceræ denique trunci
Sublati, reparandi
Cera plure coacta.
Quos ex ædicula fur
Raptans editiore,
Sacratas ibi vestes
Structorisque tulit rem.
His dum tendit onustus
Effugisse laborans,
Præco circuit illic
Longa nocte dieque;
Nec decedere campo,
Nec deponere prædam
Vlla sorte valebat,
Constringente Deo se;
Confessus male rapta,
In pagumque reductus,

Vestes reddidit omnes.
Petras cera crearat.
Iuxta Danubium stant
Pagi, VVinsteuiam quos
Dicunt Cleminiamque;
His confinia iuncta
Discernuntur iconâ
Quæ fert saxea saccum
Distentum satis, æquè
Saxi pondere durum.
Hinc plebs accola narrat,
Quod furis sit imago,
Vecors Ecclesiam qui
Vicinam spoliarit,
Sacram nomine Petri
Ac villâ memoratâ
Quæ rurense forum dat
Pro tutamine structam.
Id terra simulachrum
Axillas. *Ascellas propè mersum,*
Fertur vi nec ab arce
Sursum posse moueri.
Inter crebra salicta
Callis ducit ad vrbem
Turbas Cureatensem;
Hic rupes stat equina,
Petrinusue caballus
Sella nudus habetur;
Quem sessore perempto
Dum traxêre latrones,
Seu casi pietate,
Seu virtute superna,

Fertur diriguisse,
Aruo mersus & ipse.

De altera in rure Danubij Ecclesia B. QVIRINI, quæ cum possessione, ad quam pertinet, ab Arnaldo quondam Duce, in beneficium data fuit.

ODE MONOCOLOS TRISTROPHOS.

Metrum Pindaricum continuum, duobus Dactylis, duobus Trochais constans.

D*Anubius fluuijs datus rex,*
Fert ratibus decies duces sex;
Septifidusq; Thetin coronat:
Illius in gremio QVIRINVS,
Seuit agros prius obsequentes;
Fagus habet locus is notamen:
Ecclesias spolians tyrannus,
Hæc tulerat bona, dans habenda
** Imbripolis Comiti potenter;* *Ratisbon.
Quæ nouiter Comes vrbis eius
Vt properi dedit arua iuris,* *proprij.
Rus placitum sibi cambiendo;
Hinc vetus hic ager est receptus
In tua iura sacer GEORGI
Cœnobio tibi dedicato.
Ecclesiam prior hoc patronus
Rure piam miseris habebat,
Ac populo celebrem fideli:
Perdita qui cupiunt rescire,
Hactenus huc veniunt precantes,
Vota ferunt nihil hæsitantes,

Quin triduo capiant abacto
Certius indicium suorum
Aut procul aut propè perditorum.
Curtis holus nimium peribat,
Et vacuum remanebat aruum,
Fure domi cumulante porrum;
Oeconomus sua vota tandem
Ad tua sacra QVIRINI *defert*
Limina, conqueritur rapinam:
Certior inde silet querelam.
Tertia lux venit, & repente
Fur aderat, malè rapta gestans:
Omne rei facinus fatetur,
Reddidit integra quæ tulisset:
Nam nec in vsibus hæc redegit.
Præterea retulit patenter,
Martyre durius imminente,
Talia se mala pertulisse,
Vt sibi vita comes futura
Dum maneat, nihil ex QVIRINI
Rebus eum libuisset vltra.

De milite, qui inimicum suum in prænominata Ecclesia combussit.

ODE MONOCOLOS TRISTROPHOS.
Metrum Phaliscum continuum, constans extrema Heroici Tetrapoda.

I*Nsectans animosius hostem*
Miles in Ecclesiam ruit illam,
Qua fugiens se clauserat intro.

Multa

Multa vi terroreque nisus
Hunc à sede repellere sacra:
Nil, conando, proficiebat.
Ignes iniecit ferus ædi,
Quæ flammas citò lignea cepit;
Nec mora, conflagrant sacra tota.
Ambustus qui fugerat illuc,
Se Sanctis commendat eisdem,
Ad quos est sua iuncta fauilla,
Quò iungant animam sibi, corpus
Dum secum voluere cremari;
Saluus vt est Domini Cruce latro.
Cessit non impunè triumphus:
Namque breui lætatus iniquus
Sensit dignam Martyris iram.
Dum remeare domum celeraret,
Mens non sana rapit properantem
Ac pontem transire volentem.
Lapsus equo, casu grauiore,
Elisit femur impare gressu,
Quod posthac sibi debile mansit:
Delatusque domum tenuari
Totus, & euanescere cœpit
Sensim, corpore morbidus omni.
Ingratam dura nece vitam
Finiuit demum miserandus
Sacrilegus, pœnas sceleris dans.

FINIS ODARVM QVIRINALIVM numero LX. Quæ totidem metri generibus editæ sunt.

PROLOGUS IN BUCOLICA QUIRINALIUM.

Carminibus clari, quondam soliti redamari,
Læta magis potuêre canentes verba tenere;
Nec laudes vanæ fuerant, nec carmen inane,
Quando rependebant meritum, quoscunque canebant:
Dum fuit Augustus iudex in carmina iustus
Riui Minciadæ quem vaticinantur & Odæ,
Cui viuo memores præmaturantur honores:
Nondum diuinus fuit exul ab vrbe Lasinus,
Metro seu prosa, re certa siue iocosa;
Vrbs studijs florebat enim, liuore carebat,
Et quicunque studebat, eum flos vrbis habebat
Inter primatum semper Collegia gratum.
Nunc facies rerum senio mutata dierum
Omnia peruertit, mentes in praua reflectit,
Vsu lucrorum placet omne genus studiorum,
Vt diuersorum poterit modus ingeniorum,
Ingenijs mox bella minuta dedêre lucella,
Alternans dudum facit hinc vbi captio ludum,
Regnarunt fraudes & diripiunt sibi laudes.
Illas dum plectit, colubrum Dialectica nectit,

Aut obluctatus stabit Rhetor galeatus;
Hæ tollunt artes modo causarum sibi partes,
Hæ turbis gaudent & in omne licentius audent,
Hæ satagunt certò, quia depugnant in aperto;
Sudant obscuro reliquæ lucroq́ futuro.
Sed quota pars vatum plus clareat est dubitatum,
Carmina quid poßint, quid in hæc cõmercia prosint,
Non satis apparet, nisi Musa domum remearet,
Aonios montes, vbi Castaliæ quoq́ fontes
Obuersans, flores legeret biberetq́, sorores,
Pegaseas venas, claras fundendo Camœnas;
Nunc peregrinatur, nunc ingratis operatur,
Liquit Apollineas procul exiliata choreas.
Ars vbi rarã pũtatur, in externos spatiatur,
Qui nihil altorum norunt in ea meritorum,
Nec vires operum, nec tædia longa dierum,
Qui piper atq́ salem faciunt precio socialem,
Aspernantur eburna, velut sunt vasa colurna.
Scilicet arguti debent ita rebus abuti,
Vt capiant spernendo, quid amisere studendo.
Rerum contemptor sic est & callidus emptor.
Ast ego nec vendenda fero, nec proijcienda;
Nil aspernanti tribuam, famulabor amanti:
Quæ nullum lædent, nobis in carmina cedent.
Mira rei gestæ viuenti profero teste.
Curas multimodis humanas diximus odis
Hinc Bucolica cura boum nobis canitura,
Fraudes cum pœna referet subeunte Camœna.
Ora tui digne vatis moderare QVIRINE.

ECLOGA

ECLOGA I. BVCOLICORVM QVIRINALIVM.

De vitula elegante, quæ à rustico promissa voto B. QVIRINO, sed à Domino illius armentis iuncta est. Vbi vna nocte omne, præter eam, armentum deperijt.

Tityrus Allegoricè Tegriensis est receptor animalium, quæ voto deferuntur. Melibœus quidam olim detractor B. QVIRINI, qui est in vltima Ecloga paralysi percussus & curatus inducitur.

Melibœus. *TITYRE tu magni recubans in margine stagni,*
Syluestri tenuiq; fide pete iura peculi;
Nos patriæ fines & dulcia linquimus arua:
Et nostri pecoris tua dura replebimus arua.
Expectes frustra nos Tityre lentus in vmbra.

Tityrus. *O Melibœe, Deus nobis hæc ocia fecit,*
Qui curas hominum propè nos pecorum quoque fecit.
Nobis nempe bonus semper fuit ille patronus,
Votiuum munus cui felix attulit annus;
Ille boues superare luem permisit, & aræ
Inscriptam plebem tribuit sperare salutem.

Melibœus. *Non hoc inuisum, magis id mirum mihi visum:*
Grandine cur & peste ferit nos aura frequente?
Exanimes illos retulisti nempe gemellos,
Qui sedere vagi flagrante sub arbore fagi
De cœlo tacta. nunc est vbi gratia tanta,
Cuius opem iactas, cuius bona mira retractas?
Quî timidis saltem liceat sperare salutem?

Tityrus. *Quas populi doluere, Dei plagas meruere*
Munera spondentes sanctis & non ....

Dum

Dum venerabantur sancti, dum vota dabantur,
Omnia læta fuêre, procul mala cuncta fuêre,
Temperies anni nil pertulit inclita damni,
Sol terras refouebat, opes tellus pariebat,
Ætas crescebat, nec quid sit grando sciebat.
Ex quo sanctorum iam gloria nulla locorum
Conducit populos, fors anxia deterit illos,
Temperie mæsta vix arcta ferens alimenta.
Ecce solo sterili pallescunt lumina cœli,
Mors plebi pecoriq; frequens incumbit vbique.

Melibœus.

Et quæ causa tibi suberat loca sacra videndi,
Numquid vt offerres, magis aut oblata referres?

Tityrus.

Libertas, mentes quæ fert ad vtrumq; volentes,
Muneris expertem me non adeò, nec inertem
A puero canos respexerat vsque sub annos,
Vt nos argueres iustè, quocunque cadet res,
Et prius à vita quam morte relinquar ab ista:
Præmoriar gratis dum stabit gloria Sanctis.
Sed dicis verum: præsens mutatio rerum
Omnia præcidit, quæ pristina copia vidit;
Dum res pollebat, seu mens me læua tenebat,
Liberæ spes vulgi, quod abest, nec cura peculi,
Causa fuit magnos non formidare tyrannos.
Seu pax florebat, mens & me læta gerebat,
Quid cantaret heros regio lætißima veros,
Quàm votiua meis exibat victima septis:
Pinguior & sacræ veniebat caseus aræ;
Plurima tempus adusque meum sexus vtriusque.
Ex atauis pensum soluebat dextera censum.

Melibœus.

Mirabar neglecta quod improperas sacra festa.
Patroni tanti per secla diu celebrati,
Cui miro digna pendere sub arbore signa

Scis sanatorum varia cura miserorum.
Cum referas talem famulatum tàm specialem,
Quem veterum pietas nec præsens deserit ætas,
Dic quos culpabas votiq; reos memorabas,
Ob quorum facinus foret aër & ipse malignus;
Quæ promisisset tellus mentita fuisset.

Tityrus. *Sic illum testor iuuenem tibi cælice rector,*
Testem condignum rutilante cruore QVIRINVM,
Sic eius curas populis pecoriq; futuras,
Sic eius sacram signis clarentibus aram,
Nobis æterna lustrandam ritè lucerna,
Quam votis magnis cumulabimus ecce quotannis,
Nil me fallaci verbo ne referre procaci,
Nil dubiæ cecinisse rei; sic me iuuet ipse.

Melibœus. *Fortunate senex, etsi tibi parua supellex,*
Ampla fides credi dat, si quid habes referendi,
Res iam procedunt: ergo tua rura manebunt,
Et tibi magna satis, quamuis agris breuiatis,
Plura lapis nudus teneat, limus quoque crudus,
Ac fessis vdis squalens tegat vlua paludis.

Tityrus. *Hoc inquam flendum quis denegat atque dolendum?*
Quis vetet hoc quæri, si det Deus id retineri?
Credo diu multum scelus hoc non ibit inultum,
Quod pridem latis aruis sine limite raptis,
Pro tanto sine iure tenendo denique rure,
Quæ voto debentur, ea iam fraude tenentur:
Vt vindicta satis pateat super his data Sanctis.

Melibœus. *Mens hominum si dura recordetur sua iura,*
Hoc sollers agito quid crimine noris ab isto.

Tityrus. *De grege vota bonus tibi danda* QVIRINE *colonus*
Secernens vitulam, dederat pastoribus illam
Pratis pascendam, post hæc in vota trahendam.

Qua

Quæ bene .... formosaq́ue sic adoleuit,
Vt nec in armento fuerit similis sibi toto;
Sanctis inuidit dominus gregis, hoc vbi vidit;
Hanc tolli iussit, meliorandis quoque iunxit
Armentis reliquis, lucris persuasus iniquis:
His vna dum nocte fuisset iuncta, repente
Mortua sunt iumenta sequenti luce reperta,
Vt quod speraret nil præter eam remaneret:
Redditur extortis tunc demum bucula votis;
Hanc Melibæe sacris fero vix, ita fortis & acris.

Melibæus. *Me trahit ipsa magis, cur non peruertere ...... ?*

Tityrus. *Vix teneo captam, nec enim sibi vincla remittam.*

Melibæus. *Nocte mane tamen hac, clausum stabula pecus illac.*
Cœnabis mecum, tua ferto viatica tecum.

ECLOGA II. QVIRINALIVM.

De bucula formosa, quam voto promissam, & biennio retentam lupi discerpserunt die S. QVIRINI.

Corydon est voti debitor, de quo loquitur auctor.

DVM monisse pedes sacras vult pastor ad ædes,
Anxius armenti Corydon à clade recenti,
Quo successus ei bonus & fuga perniciei
Esset, pestifera subeat si morbus ab aura,
Vouerat electam forma præstante iuuencam,
Quæ cornu pœnas dabat & pede sparsit arenas,
Deliciæ pecoris totius opima decoris;
Hæc votis aptata viget campis spaciata,
Et capit incrementa sui per pascua læta:

Vestes reddidit omnes.
Petras cera crearat.
Iuxta Danubium stant
Pagi, VVinsteuiam quos
Dicunt Cleminiamque;
His confinia iuncta
Discernuntur iconâ
Quæ fert saxea saccum
Distentum satis, æquè
Saxi pondere durum.
Hinc plebs accola narrat,
Quod furis sit imago,
Vecors Ecclesiam qui
Vicinam spoliarit,
Sacram nomine Petri
Ac villâ memoratâ
Quæ rurense forum dat
Pro tutamine structam.
Id terra simulachrum
Axillas. *Ascellas propè mersum,*
Fertur vi nec ab arce
Sursum posse moueri.
Inter crebra salicta
Callis ducit ad vrbem
Turbas Cureatensem;
Hic rupes stat equina,
Petrinusue caballus
Sella nudus habetur;
Quem sessore perempto
Dum traxêre latrones,
Seu cæsi pietate,
Seu virtute superna,

Fertur

Fertur diriguisse,
Cruo mersus & ipse.

De altera in rure Danubij Ecclesia B. QVIRINI, quæ cum possessione, ad quam pertinet, ab Arnaldo quondam Duce, in beneficium data fuit.

ODE MONOCOLOS TRISTROPHOS.

Metrum Pindaricum continuum, duobus Dactylis, duobus Trochæis constans.

DAnubius fluuijs datus rex,
Fert ratibus decies duces sex,
Septifidusq; Thetin coronat:
Illius in gremio QVIRINVS,
Seuit agros prius obsequentes;
Fagus habet locus is notamen:
Ecclesias spolians tyrannus,
Hæc tulerat bona, dans habenda
** Imbripolis Comiti potenter;* *Ratisbon.
Quæ nouiter Comes vrbis eius
Vt properi dedit arua iuris,* *proprij.
Rus placitum sibi cambiendo;
Hinc vetus hic ager est receptus
In tua iura sacer GEORGI
Cœnobio tibi dedicato.
Ecclesiam prior hoc patronus
Rure piam miseris habebat,
Ac populo celebrem fideli:
Perdita qui cupiunt rescire
Hactenus huc veniunt precantes,
Vota ferunt nihil hæsitantes,

Quin triduo capiant abacto
Certius indicium suorum
Aut procul aut propè perditorum.
Curtis holus nimium peribat,
Et vacuum remanebat aruum,
Fure domi cumulante porrum;
Oeconomus sua vota tandem
Ad tua sacra QVIRINE defert
Limina, conqueritur rapinam:
Certior inde silet querelam.
Tertia lux venit, & repente
Fur aderat, malè rapta gestans:
Omne rei facinus fatetur,
Reddidit integra quæ tulisset:
Nam nec in vsibus hæc redegit.
Præterea retulit patenter,
Martyre durius imminente,
Talia se mala pertulisse,
Vt sibi vita comes futura
Dum maneat, nihil ex QVIRINI
Rebus eum libuisset vltra.

De milite, qui inimicum suum in prænominata Ecclesia combussit.

ODE MONOCOLOS TRISTROPHOS.

Metrum Phaliscum continuum, constans extrema Heroici Tetrapoda.

INsectans animosius hostem
Miles in Ecclesiam ruit illam,
Qua fugiens se clauserat intro.

Multa vi terrorequé nisus
Hunc à sede repellere sacra:
Nil, conando, proficiebat.
Ignes iniecit ferus ædi,
Quæ flammas citò lignea cepit;
Nec mora, conflagrant sacra tota.
Ambustus qui fugerat illuc,
Se Sanctus commendat eisdem,
Ad quos est sua iuncta fauilla,
Quò iungant animam sibi, corpus
Dum secum voluere cremari;
Saluus vt est Domini Cruce latro.
Cessit non impunè triumphus:
Namque breui lætatus iniquus
Sensit dignam Martyris iram.
Dum remeare domum celeraret,
Mens non sana rapit properantem
Ac pontem transire volentem.
Lapsus equo, casu grauiore,
Elisit femur impare gressu,
Quod posthac sibi debile mansit:
Delatusqúe domum tenuari
Totus, & euanescere cœpit
Sensim, corpore morbidus omni.
Ingratam dura nece vitam
Finiuit demum miserandus
Sacrilegus, pœnas sceleris dans.

FINIS ODARVM QVIRINALIVM numero LX. Quæ totidem metri generibus editæ sunt.

PROLOGUS IN BUCOLICA QUIRINA.

LIUM.

CArminibus clari, quondam soliti redamari,
Læta magis potuêre canentes verba tenere;
Nec laudes vanæ fuerant, nec carmen inane,
Quando rependebant meritum, quoscunque canebant.
Dum fuit Augustus iudex in carmina iustus
Riui Minciadæ quem vaticinantur & Odæ,
Cui viuo memores præmaturantur honores:
Nondum diuinus fuit exul ab vrbe Latinus,
Metro seu prosa, re certa siue iocosa;
Vrbs studijs florebat enim, liuore carebat,
Et quicunque studebat, eum flos vrbis habebat
Inter primatum semper Collegia gratum:
Nunc facies rerum senio mutata dierum
Omnia peruertit, mentes in praua reflectit;
Vsu lucrorum placet omne genus studiorum,
Vt diuersorum poterit modus ingeniorum,
Ingenijs mox bella minuta dedêre lucella,
Alternans dudum facit hinc vbi captio ludum,
Regnarunt fraudes & diripiunt sibi laudes.
Illas dum plectit, colubrum Dialectica nectit,

Aut

Aut obluctatus stabit Rhetor galeatus;
Hæ tollunt artes modo causarum sibi partes,
Hæ turbis gaudent & in omne licentius audent,
Hæ satagunt certò, quia depugnant in aperto;
Sudant obscuro reliquæ lucroq; futuro.
Sed quota pars vatum plus clareat est dubitatum,
Carmina quid possint, quid in hæc cōmercia prosint,
Non satis apparet, nisi Musa domum remearet,
Aonios montes, vbi Castaliæ quoq; fontes
Obuersans, flores legeret biberetq; sorores,
Pegaseas venas, claras fundendo Camœnas;
Nunc peregrinatur, nunc ingratis operatur,
Liquit Apollineas procul exiliata choreas.
Ars vbi rarā pūtatur, in externos spatiatur,
Qui nihil alterum norunt in ea meritorum,
Nec vires operum, nec tædia longa dierum,
Qui piper atq; salem faciunt preciosocialem,
Aspernantur eburna, velut sunt vasa colurna.
Scilicet arguti debent ita rebus abuti,
Vt capiant spernendo, quid amisere studendo.
Rerum contemptor sic est & callidus emptor.
Ast ego nec vendenda fero, nec proijcienda;
Nil aspernanti tribuam, famulabor amanti:
Quæ nullum lædent, nobis in carmina cedent.
Mira rei gestæ viuenti profero teste.
Curas multimodis humanas diximus odis
Hinc Bucolica cura boum nobis canitura,
Fraudes cum pœna referet subeunte Camœna.
Ora tui digne vatis moderare QVIRINE.

ECLOGA

ECLOGA I. BVCOLICORVM QVIRINALIVM.

De vitula elegante, quæ à rustico promissa voto B. QVIRINO, sed à Domino illius armentis iuncta est. Vbi vna nocte omne, præter eam, armentum deperijt.

Tityrus Allegoricè Tegriensis est receptor animalium, quæ voto deferuntur. Melibœus quidam olim detractor B. QVIRINI, qui est in vltima Ecloga paralysi percussus & curatus inducitur.

Melibœus. *TITYRE tu magni recubans in margine stagni,*
Syluestri tenuiq; fide pete iura peculi;
Nos patriæ fines & dulcia linquimus arua:
Et nostri pecoris tua dura replebimus arua.
Expectes frustra nos Tityre lentus in vmbra.
Tityrus. *O Melibœe, Deus nobis hæc ocia fecit,*
Qui curas hominum propè nos pecorum quoque fecit.
Nobis nempe bonus semper fuit ille patronus,
Votiuum munus cui felix attulit annus;
Ille boues superare luem permisit, & aræ
Inscriptam plebem tribuit sperare salutem.
Melibœus. *Non hoc inuisum, magis id mirum mihi visum:*
Grandine cur & peste ferit nos aura frequente?
Exanimes illos retulisti nempe gemellos,
Qui sedere vagi flagrante sub arbore fagi
De cœlo tacta. nunc est vbi gratia tanta,
Cuius opem iactas, cuius bona mira retractas?
Quî timidis saltem liceat sperare salutem?
Tityrus. *Quas populi doluere, Dei plagas meruere*
Munera spondentes sanctis & non ....

Dum

Dum venerabantur sancti, dum vota dabantur,
Omnia læta fuêre, procul mala cuncta fuêre,
Temperies anni nil pertulit inclita damni,
Sol terras refouebat, opes tellus pariebat,
Ætas crescebat, nec quid sit grando sciebat.
Ex quo sanctorum iam gloria nulla locorum
Conducit populos, sors anxia deterit illos,
Temperie mœsta vix arcta ferens alimenta.
Ecce solo sterili pallescunt lumina cæli,
Mors plebi pecoriq; frequens incumbit vbique.

Melibœus.

Et quæ causa tibi suberat loca sacra videndi,
Numquid vt offerres, magis aut oblata referres?

Tityrus.

Libertas, mentes quæ fert ad vtrumq; volentes,
Muneris expertem me non adeò, nec inertem
A puero canos respexerat vsque sub annos,
Vt nos argueres iustè, quocunque cadet res,
Et prius à vita quam morte relinquar ab ista:
Præmoriar gratis dum stabit gloria Sanctis.
Sed dicis verum: præsens mutatio rerum
Omnia præcidit, quæ pristina copia vidit;
Dum res pollebat, seu mens me læua tenebat,
Liberæ spes vulgi, quod abest, nec cura peculi,
Causa fuit magnos non formidare tyrannos.
Seu pax florebat, mens & me læta gerebat,
Quid cantaret heros regio lætissima veros,
Quàm votiua meis exibat victima septis!
Pinguior & sacræ veniebat caseus aræ;
Plurima tempus adusque meum sexus vtriusque
Ex atauis pensum soluebat dextera censum.

Melibœus.

Mirabar neglecta quod improperas sacra festa
Patroni tanti per secla diu celebrati,
Cui miro digna pendere sub arbore signa

Scis sanatorum varia cura miserorum.
Cum referas talem famulatum tàm specialem,
Quem veterum pietas nec præsens deserit ætas,
Dic quos culpabas votiq; reos memorabas,
Ob quorum facinus foret aër & ipse malignus;
Quæ promisisset tellus mentita fuisset.

Tityrus. *Sic illum testor iuuenem tibi cælice rector,*
Testem condignum rutilante cruore QVIRINVM,
Sic eius curas populis pecoriq; futuras,
Sic eius sacram signis clarentibus aram,
Nobis æterna lustrandam ritè lucernã,
Quam votis magnis cumulabimus ecce quotannis,
Nil me fallaci verboue referre procaci,
Nil dubiæ cecinisse rei; sic me iuuet ipse.

Melibœus. *Fortunate senex, etsi tibi parua supellex,*
Ampla fides credi dat, si quid habes referendi,
Res iam procedunt: ergo tua rura manebunt,
Et tibi magna satis, quamuis agris breuiatis,
Plura lapis nudus teneat, limus quoque crudus,
Ac fessis vdis squalens tegat vlua paludis.

Tityrus. *Hoc inquam flendum quis denegat atque dolendum?*
Quis vetet hoc quæri, si det Deus id retineri?
Credo diu multum scelus hoc non ibit inultum,
Quod pridem latis aruis sine limite raptis,
Pro tanto sine iure tenendo denique rure,
Quæ voto debentur, ea iam fraude tenentur:
Vt vindicta satis pateat super his data Sanctis.

Melibœus. *Mens hominum si dura recordetur sua iura,*
Hoc sollers agito quid crimine noris ab isto.

Tityrus. *De grege vota bonus tibi danda* QVIRINE *colonus*
Secernens vitulam, dederat pastoribus illam
Pratis pascendam, post hæc in vota trahendam.

Qua

Quæ bene .... formoſaq́ue ſic adoleuit,
Vt nec in armento fuerit ſimilis ſibi toto;
Sanctis inuidit dominus gregis, hoc vbi vidit;
Hanc tolli iuſsit, meliorandis quoque iunxit
Armentis reliquis, lucris perſuaſus iniquis:
His vna dum nocte fuiſſet iuncta, repente
Mortua ſunt iumenta ſequenti luce reperta,
Vt quod ſperaret nil præter eam remaneret:
Redditur extortis tunc demum bucula votis;
Hanc Melibœe ſacris fero vix, ita fortis & acris.
Me trahit ipſa magis, cur non peruertere ...... ? Melibœus.
Vix teneo captam, nec enim ſibi vincla remittam. Tityrus.
Nocte mane tamen hac, clauſum ſtabula pecus illac. Melibœus.
Cœnabis mecum, tua ferto viatica tecum.

ECLOGA II. QVIRINALIVM.

De bucula formoſa, quam voto promiſſam, & biennio retentam lupi diſcerpſerunt die S. QVIRINI.

Corydon eſt voti debitor, de quo loquitur auctor.

DVM moniſſe pedes ſacras vult paſtor ad ædes,
Anxius armenti Corydon à clade recenti,
Quo ſucceſſus ei bonus & fuga perniciei
Eſſet, peſtifera ſubeat ſi morbus ab aura,
Vouerat electam forma præſtante iuuencam,
Quæ cornu pœnas dabat & pede ſparſit arenas,
Deliciæ pecoris totius opima decoris;
Hæc votis aptata viget campis ſpaciata,
Et capit incrementa ſui per paſcua læta:

Rusticus vt cernebat eam, quia proficiebat,
Dono quod vouit pecudem fallendo remouit,
Perfidus atq; tenax tantillo munere mendax,
Quæ dum pascebat sub frondibus, hic veniebat,
Et secum tacita sic mente reuoluerat ista:
Heu mea præpollens ô bucula, cur ego tollens
Te mihimet cuiquam fatuus te largiar vnquam?
Inuideam ne mei pecoris te progeniei?
Non ita stultus ego tam pulchra stirpe carebo.
Non datur hoc munus. solus manet ipsemet vnus,
Qui non sic vlli cupiat sicut sibi soli.
Hæc ait: & voti cadit omnis cura remoti,
Spes quoq; diuinæ fidei, tibi prompta QVIRINE:
Hinc absistebat, nec quid speraret habebat,
Assiduè mentem relegens diuersa tuentem;
Reddere vota volebat, & hoc itidem renuebat,
Cordis inops, mœstus, super ereptos sibi quæstus,
Si munus soluisset ei qui cuncta dedisset.
Ah Corydon Corydon quæ te dementia cepit?
Ah voti fallax, quæ te verecundia cepit?
Munificus parere voles, nulloque carere?
Sit promittendo satis actum, non tribuendo,
Si quibus arte datæ fidei quid restat apud te.
Sin aliter scires, aliter tractanda Dei res.
Rusticus hic, quid nosset enim, quid noscere posset?
Rusticus est Corydon, nec munera prouidet aræ.
Rusticus est qui non votum studet accelerare.
*Is dum cunctatur dare bis * annum replicatur;*
Quæ retinebatur species bouis amplificatur,
Os tornum, tauri caput, & pilus hirtior auri,
Et latus immensum longè, palearéq; tensum,
Cornua gessit obunca, sub his ingentia cuncta,

Incedens

Incedens panda transit vestigia cauda,
Pro cuius forma iuris decedere norma
Sponsor persuasus, duros adigit sibi casus.
Martyris instabat nox quæ cælos penetrabat:
Iam clara surgente die, grege prata petente,
Bis gemini venere lupi, pecus insiliêre,
Voto debentem reddi, medio gradientem,
Armento rapuere, minutatim secuere,
Non contingentes hanc vltra sed fugientes:
Nec nocuere gregem reliquum, quo noscere legem
Vindictæ cælestis eis posses documentis.
Inde fides adoleuit, ob id reuerentia creuit
Alme QVIRINE *tibi, valuit correptio plebi.*
Vota reus perfert, quæ rarò quis bene differt,
Emendatq́; moræ culpam subeunte pudore.

ECLOGA III. QVIRINALIVM.

De boue, quem quidam vouit, alter furto ablatum, nullatenus valens iungere, & vsui habere, pretio redemit, quod sponsor in votum obtulit. Bos dum arctius stringitur, emptore vulnerato, se loris excussit, & ad B. QVIRINVM decurrit, quem insecutor non prius, quàm ante templum Martyris assequi potuit.

Damœta est emptor, vel insecutor bouis; Menalca, qui vouerat, cuius seruus, vel procurator pecoris Ægon.

Menalca. D*IC mihi Damœta, cuium pecus hac tibi meta*
Damœta. *Venerit? Ægonis? Non id mihi vendidit Ægon.*
Menalca. *Infelix animal bos. argenti dedit albos,*

Vt requieuisset, duros calles nec inisset.
Assuetum loris genus est patiensq; laboris.
En emptor fœnus petit hic custos alienus,
Qui venit indigne; non hoc patiare QVIRINE.

Damœta. *Cautus ab incerto conuitia tanta sileto;*
Nouimus & qui te norint, tot habet locus iste:
Si sanum saperes, nec in hæc te iurgia ferres,
Iuris vt in morem præsens ferat hospes honorem.

Menalca. *Et quid habebit honoris, quid gessit mihi moris,*
Dum quem fraudauit, frustra taurum sibi pauit,
Gramina tondentem, iuga ferre sed impatientem?

Damœta. *Exolues tandem, iusto mihi iudice fraudem,*
Qua deportasti precium, pecus exagitasti;
Aut reddes nummos, aut me sectare meus bos.

Menalca. *Hoc debes veri sub iudicis aure fateri,*
Hic prius indemni me quod tibi ius coëmendi?
Parcebam mitis pridem cedendo petitis.
Prodidit en culpam DEVS *& non siuit inultam.*

Damœta. *Crimen vt imponis, simul excusamina ponis,*
Quos accepisti nummos in vota dedisti;
Te magis infamas, dum me pro fraude reclamas.
Si tibi vendendi fuit, & mihi ius coëmendi.

Menalca. *Tu ius appelles? Sed enim non quod tibi velles;*
Luminibus captus, trabis aut super alta coactus.

Damœta. *O meliora* DEVS *clemens causa dabis huius,*
Non adeò sum iuris inops, vt crimine furis
Hactenus ex facili me perdere congruat vlli.

Menalca. *Non ego narrantem te reste bouem laqueantem*
Aduerti, prisca gressum latrante Lycisca?

Damœta. *Ni fugis omnis ego rationis iure tenebo,*
Nunc te distraxisse bouem, me digna dedisse,
Pro boue, quæ nunc ipse Deo poteras tribuisse.

Te ne

Menalca.

Te ne miser fugerem, quem deprensum retinerem?
Nec capto cedam furto partam tibi prædam.
Ius opponat in omne tibi iusta ratione,
Hinc tribuam pignus, si iudex sit mihi dignus.

Damœta.

Ergo progrediamur, & hic nos experiamur,
Hunc tam præclarum prior en ponam tibi taurum,
Quod tibi, si vincar, pignus restare pacifcar;
Tu simul è contra nobis tua pignora monstra.

Menalca.

Opposuisse boui quicquid non vtile noui.
Quæ declaratum voto licet appreciatum
Abs te iam dominus voti tulit ecce QVIRINVS;
Nempe via distante venit nullo comitante
Hoc animal raptante Deo cunctis dominante.
Rem sed vtrisque bonam fessis, duo pocula ponam,
Hæc tibi plena meri poterunt in pignus haberi.

Damœta.

In ius si cedet mihi bos, pro pignore cedet,
Qui tibi si cedet, te non hunc tollere tædet;
Dum taurum spectas, nihil est quod pocula præstas.

Menalca.

Quod proprium non est, certum pro pignore non est,
Et patet incerto certum præstare profecto,
Maius ab incerto tu fers, ego paucula certo.
Anser adhuc in spe satis est gallo minor in re.

Damœta.

Incertum quod emo penitus faciet mihi nemo,
Dum me decertas incertum non bene certas,
Nec mihi nec tibi, fraude mihi, verum tibi clade,
Nam mihi mercatum taurum tollis tibi pactum.
Sit meus hic vel non, iudex discerne Palæmon.

Menalca.

* *Arbite læsus egon verear te chare Palæmon?*
Tu causas iuris præsentibus atque futuris
Dicendas nosti, tibi laus est maxima iusti;
Iudice te posito procedet res mea tuto.

Palæmon.

Dicite dum tempus vacat; audit amœna iuuentus:

Incipe

Incipe Damœta, tum ritè sequere Menalca:
Versibus alcernæ geminentur vtrinque Camœnæ.

Damœta. *Principium Deus est, orbem Deus ambit & implet;*
Excelsis regnans, humiles rector pie cernas.

Menalca. *Principium Christus iudex in secula iustus,*
Nostri factus imago; tui saluemur imago.

Damœta. *Heu malo petit Eua virum, dans fercula sæua,*
Et fugit in frondosa prius, tum fœmina visa.

Menalca. *At spinas instans lambit sacer ignis amictas;*
Qualis vt hinc noris fons inuiolatus amoris.

Damœta. *Ferales vndæ siccantur ab ore columbæ;*
Quæ pacis diuam clausis congessit oliuam.

Menalca. *Aurea sunt mandata decem quasi mala relata.*
Syluestri de monte Sina Domino tribuente.

Damœta. *O quoties & quanta loquens sapientia sancta,*
Simplicibus parens, regum peruenit ad aures?

Menalca. *Exuperans Amalech fortissime iura dabas hæc:*
Bellator, custosq; rei, quo diuidat æquè.

Damœta. *Dum testamenti fuit arca feræ data genti,*
Hanc reuehunt vitulæ; mactantur ab Israel illæ.

Menalca. *Ruth petit * desert, nolens cum nepte reuerti;*
Fleuit amore socrus, hinc est agnus Patris ortus.

Damœta. *Triste dedit chari Ionathæ casu viduari.*
Triste Ieremiæ mors immatura Iosiæ.

Menalca. *Dulce salus viuis, oculis lux, gloria diuis;*
Dulce quies lassis, cæli spes èxtima passis.

Damœta. *Hymnidica Musa quondam gens Israel vsa.*
Fulsit rege dedit qui cat mina summus amauit.

Menalca. *Imò cantorum Rex ac dux Theologorum*
Vatis iure dedit modulans Musam renouauit.

Damœta. *Suaue dedit qui carmen amans regaleq; germen,*
Nunc & ibi regni succrescat iure perenni.

Qui non

Qui non odit Ama poterit laudasse Caiphan, — Menalca.
Ipseq́ iungat apros, & arans sale seminet agros.
Qui roseos flores, vernos captatis amores, — Damœta.
Noscite, spinarum latet illic vulnus amarum.
Qui nuper runcata tenes Syluestria prata, — Mena'ca.
Coge gregem versus villas, iam murmurat vrsus.
Cur virides ripas toto pastor grege stipas? — Damœta.
Fons patet, agnellos fuge de ripâ vnda tenellos.
Sol cremat infestus, pecori nimius nocet æstus: — Menalca.
Succedant vmbris, vbi lenior aura salubris.
Heu pleno bos iure meus rapitur mihi durè, — Damœta.
Iudicijq́ palæstra sinistra facit mea dextra.
Non speculans æquum, visus tibi fascinat æquum, — Menalca.
Vt ius non cernas hominum, diuinaq́ spernas.
Dic quid nascatur bis, quid moriendo creatur, — Damœta.
Et quasi diuinus sis tauri munere dignus.
Dic quid rure satum patrem cupit inuiolatum, — Menalca.
Et tibi me de re nulla cessisse fatere.
Lege pari dites iam longas scindite lites; — Palæmon.
Ius vobis æquare licet, non fas violare:
Bos erat hic vtriusq́, Deus quem tollit vtrisq́,
Dum tu vouisti, tu iungere non potuisti,
Ferte Deo morem quòd vtriq́ tenetis honorem.

ECLOGA IV. QVIRINALIVM.

De Bucula præstante, quæ voto destinata, dum ob elegantiam diu retinetur, enixa est vitulum æquè formosum, quo adulto sine præduce ad templum Martyris cum prole decurrit.

SIcelides Musæ transite lacus Arethusæ,
Conregionales vobis . . . . Latiales,
TEGRINEOQVE SENI *date remos carmine leui:*

Hic opus insigni vobis de laude QVIRINI
Cantabit; virtutis opem, curamq́ue salutis,
Sacræ thesaurum glebæ, gratum super aurum
Seclis pandetis; nam mira sui referetis,
Quæ fert iumentis in ius per vota receptis,
Detentor sortis, variæq́ue potens vice sortis.
Deuotos solatur, ab his dum ritè vocatur,
Insidos prodit, mendaces vindicat, odit.
Bucula dum charæ formæ promittitur aræ
Sic incrementis anni fuit aucta sequentis,
Nil iumentorum foret vt sibi par aliorum;
Sponsor crescentem videt ac specie renitentem,
Primaq; votorum permutat verba suorum.
Dum specie clara danda mens nutat auara,
Bucula sic retinetur, vt hac soboles generetur:
Iam noua progenies maculis insignis, & albo
Ac niueo miscens orbes nigros quasi carbo,
Aut rutilo fulgens pecori decus addidit ingens:
Iam redit & largo data pignore matris imago.
Incipe taure tener mugitu noscere matrem,
Incipe, votiuamq; Deo comitabere matrem.
Spectabant lætum pagi collegia fœtum,
Præconabantur, quòd in annum læta sequantur,
Prouentu rerum, niteantq; serena dierum,
Nempe senes & anus, si friuola non referamus,
Et quibus hæc cura super euentu genituræ,
Auguriabantur quæ mox ventura putantur;
Hi dum conuenere frequentes, hæc retulere,
Tractantes anni prognostica rustica magni:
Clades præteritas sequitur felicior ætas;
Lege sub æterna redeunt Saturnia regna,
Ordoq; seclorum venit æui sorte bonorum;

Exspet

Exspes quas luges, venient, regio, tibi fruges,
Brumas multa domi refouebit copia pomi,
Promptior vbertas quam mittit & aptior æstas,
Profluet egregio simul omnis terra Lyæo,
Liber & alma Ceres sic lætas prospicient res,
Vt nec honesta Venus generis neget vtile fœnus;
Tota sui sit festa comis & florida Vesta,
Ac sterilis nusquam feret vndiq; quod creat vsquã;
Cui Lucina solo fauet, id vegetabit Apollo:
Tum referent magni menses ea quæ prius anni,
Sublimes fructus decuplo dabit annus onustus.
Si quid fraudauit labes prior aut vitiauit,
Hi qui succedunt prouentus sponte replebunt,
Nec simplum reddẽt quod reddunt, sed superaddẽt:
Semina quæq; cadent in terram, centupla surgent,
Quin sine cultura fruges, vinum sine cura
Per syluas & prata feret tellus inarata:
Frumenti spicas dat campus vt ante myricas,
Spinaq; florescens fit vitea stirps adolescens,
Vuam portabit quæ dulcia musta creabit,
Pax erit annorum quoq; gloria summa piorum,
Non leo non vrsus, non quæuis bellua prorsus
Egressus hominis vel pastus obsidet agnis:
Nosse tamen laudis, priscæ vestigia fraudis,
Nullus vt in saltum mittat pecus incomitatum;
Examen vulgare solens hæc commemorare,
Seruari cautè mandat præsagia tantæ
Vbertatis, vtrumq; pecus, matrem vitulumque:
Sic indeuotum sponsorem frangere votum
Persuadent, leuiter quod & egerat ante libenter;
Nec memorabantur per quem bona contribuantur,
Obliti sua iura Deo tandem reditura

 Semper

Semper ab ingratis, si nolint hinc dare gratis,
Ac fieri damno iam læto sæpius anno,
Quod domino clarum fraudant munus decimarum,
Sanctis votorum retinentes dona suorum.
Nam post tempora multa parens soboli coadultæ
Gessit corpus enorme nitentis bucula formæ,
Dum mens polliciti pecoris memor excidit isti,
Martyr promissæ sibi dona rei tulit ipse;
Bucula prole sequente fugax agitata repente
Proruit armentis ignoto calle relictis;
Quam consectatur sponsor suus vt capiatur;
Sed non attingebat eam, donec veniebat
Ad templi valuas, iterum hoc sine præduce calcans.
Votum mente reuoluit, & id demum quoque soluit
Vir satis admonitus, nolens sua vota secutus.
Laudarunt dignum cælesti laude QVIRINVM,
Cantica multarum cum plebibus Ecclesiarum,
Quarum vota suam celebrabant publica tumbam
Ex diuersorum resonam turmis populorum.

ECLOGA V. QVIRINALIVM.

De vacca, quæ voto promissa B. QVIRINO, ob viæ longitudinem ad S. Georgium ducebatur.

Hic Menalca Abbas Tegriensis, Mopsus est Abbas S. Georgij, qui ipsum miraculum enarrauit, &c.

Menalca. *CVR operis pro posse nihil gerimus bone Mopse?*
Tu res exorsus gestas memores, ego versus;
Dum curis vacat hora, quieta resoluimus ora.
Mopsus. *Tu maior, domus est tua, subijciar tibi, ius est;*
Dictis parebo, quæ posces acta monebo.
Hic tibi sub tecto placet eloquar, aut in aperto?

Præcipis

Præcipis accedam quo vis, iussusquè recedam.
Nulli credendum magis ex hoc plusúe sciendum. Menalca.
Qui præsens aderam, potui rem noscere veram. Mopsus.
Incipe Mopse referre, datum tibi tanta videre; Menalca.
Dic si quid cordi seruant tua mira Georgi,
Si quid diuinæ laudis tua signa QVIRINE,
Aut simul amborum ferat hoc munus quod honorum,
Vni quod spretum noras, alijquè retentum.
Id planè recolo monitus verbo quoque solo, Mopsus.
Quod clarè gestum satis omnibus est manifestum,
Hoc inquam narrabo, Dei nec mira negabo;
Id mihi scire licet, qui norit cætera dicet. Menalca.
Incertum certis cadit vt saliunca rosetis,
Ambiguùm vox viua premit, salices vt oliuæ;
Non est te præsente labor reliquo mihi teste.
Montanæ regionis homo, quæ finditur omnis Mopsus.
ENO, *per valles frangente vagos sibi calles,*
Vouerat ad claram pretiosi Martyris aram,
Pro cura pecorum vitulam donare suorum,
Quo sis certa, QVIRINE, *petenti spes medicinæ:*
Tæduit immensi callis, per quæ Tegriensi
Hoc pecus adduxisse loco vir debuit ipse:
Consilium cupiebat, & hoc tandem capiebat,
Nil voto distare, sacri nomen variare,
Si quid vouerit huc; quisquam persolueret illuc,
*Tantundemquè valere, pares fructus * redi.....* fort. redhibere,
Dicta QVIRINE *tibi caperes si vota Georgi,*
Ambos in regno sociales esse superno,
Æthre coæquandos, cur hic fore dissociandos,
Nil æternorum distantes dote bonorum,
Munere votorum, nihil hic differre sacrorum:
Ille sequebatur, simul vt suadela dabatur;

 Bos per

Bos per cornua vincta laborat in ardua ducta,
Qua Monachis pia castra dat arce Georgius arcta,
Tracta super pontem quo scandunt agmina montē,
Dum sua vota ferunt, animæ suffragia quærunt,
In medio restabat & hinc transire negabat,
Verberibusuè coacta vel omni robore tracta;
Ipse vocabar ego, mirandaq; cernere pergo:
Rursus me præsente trahebant fune rigente,
Plagis tundebant, nec eam mouisse valebant,
Sternere quam possent, non vltra ducere possent:
Hanc meditans ego forte ligatam dæmonis arte,
Protinus aspergi benedicto fonte sategi;
Rursum conati sunt à vitula superati.
Quæsitus tandem sponsor, qui vouit eandem,
Prodidit absque mora, confessus vota priora:
Quadrupedem brutam mox præcepi, resolutam
Ire sinant, dimissa feratur quò libet ipsa;
Illa fuga præpes se iecit in infima præceps,
Qua mōtes iungens vallis barathrum patet ingens,
Sicq; Deo tutante ruebat in aspera cautè,
Vt nil membrorum doluisset læsa suorum,
Non inquirentes expectans seque sequentes,
Vallibus emergit syluas sine præduce pergit;
Vix fuit incomitata viam flexisse notata,
Martyris ad tumbam primis votis adeundam:
Cursor eam scitus sequitur nemorisq; peritus,
Et vestigando non attigit ac properando,
Donec transmittens inter syluestria montes
Pascua vicini petit & noua culta QVIRINI,
Vnde sacræ propiora domus adiisset in hora.

Menalca. *Vt lassabundis sopor, vt fontes sitibundis,*
Sic carmen fert læta tuum diuine Poëta,

Liceat

Litem Sanctorum referens in dona piorum,
Dum sua quisque volunt & ab his discrimina tollunt.
Id fieri rectæ rationis habet via iustè:
Vult Deus ipse sibi sua, Cæsaribus sua reddi. Mopsus.
Illud in imparibus positum, magis est paribus ius,
Si regi secum ius dat summus Deus æquum
Vt sua iustus vbique sciat dare ciuis vtrique,
Dum sit firmandum nihil esse Deo similandum.
Par decet æquatis voti ius reddere Sanctis,

ECLOGA VI. QVIRINALIVM.

De Boue pestilente, qui mactādus dum voto destinatur, repente exiliuit, & viduæ pauperculæ venditus est: precium in cera commutatum ad tumbam Martyris oblatum.

COEPTA Syracusis nos iungant carmina Musis,
Syluestrique via pudeat nihil alma Thaliæ,
Quin pecorum cura dignè recinas tua iura;
Nos te sectemur, nec enim dux diua veremur
Diuinis humana nouis rebus veterana,
Quamlibet alterno tamen ore peracta moderno
Ornamenta creare docet nos legifer hac re:
Sic declarari sacra sic hostes superari
Vt Memphæorum varijs opibus spoliorum
Israël armetur, sedes sacranda paretur;
Victor iunctus & ipse thoro placet Æthyopissæ
Vindice cui lepra soror emendat sua probra,
Præsul ob hoc supera nec transit liber ab ira,
Post superans reges & prælia dans quoque leges,
Nobis rursus in hāc rem dux sacer instruit aurem,
Captiuam tonsam mandans ita ducere sponsam
Vt cæsis vnguis crinisque prius moribundis,

Sit

Sit sociale thoris viui de:us omne nitoris.
Pulsis errorum iam turmis Barbaricorum,
In Romanarum prior agmine chordicinarum
Risit clarisonis modulus mihi Musa Maronis,
Hanc acceptaui puer, & crescens adamaui,
Qua cum despondi, victoris iure totondi
Cuncta prophanorum resecans moribunda Deorum,
Cætera quæque iuuant & amore perennia viuant.
Innocui flores flagrent Deitatis honores.
Non timeam sacra spolium ponens superata,
Si quid ab hac præda dignum raperet mea scheda,
Ex deuictorum spolijs dedit Allophilorum
Sanxit opus templo toto mirabile secto.
Viderat ingentem vir peste bouem recidentem,
Vir pecoris sollers & agresti munere pollens,
Languida tendebat bos membra soloque iacebat,
Quem vouit dominus; si sanet peste QVIRINVS,
Ipsius sacram deduci munus ad aram:
Bos non surgebat possessor vt hæc referebat.
Caulas ergo iubet quo verna cadauere mundet:
Audit iussa lanista capitque paratior ista,
Exerto cultro taurum superastitit vltro,
Et parat inualidum pecus impiger aggrediendum,
Attactus leuiter bos exilit impatienter,
Inde fuga rapiente petit rus curte patente;
Rusticus hunc sectatur, eum seruus comitatur:
Ad mirum signi plebs è lare cursitat omni;
Hic cruciamine plena superueniebat egena,
Anxia natorum famis improbitate suorum,
Quos aluit viduata viro, rebus tenuata
Martyris hæc sub honore Deique petebat amore
Ad ter dena sibi taurum numismata vendi:.

Largius oranti pius hic precium breue danti
Sic pecus indulsit, domui quod læta reduxit,
Nummos taxatos in ceræ merce redactos
Detulit almigeni secum pro laude QVIRINI.
Ipsius hinc tumbam sponsor properans adeundam
Ponit munus ibi: rem narrat ab ordine totam,
Martyris ex virtute viæ causam sibi motam,
Qui languens animal pietate potens reparauit,
Ex cuius precio sacris hic dona parauit:
Cantu plebisono reboat laus digna QVIRINO.

ECLOGA VII. QVIRINALIVM.

De boue, quem morbo pestilentiæ prostratum, & voto curatum sponsor sex annis detinuit, qui trabe percussus interijt.

SORTE minus tutâ, fracto boue, lis fit acuta,
Certat hero seruus, probrorum surgit aceruus
Quæ dum prodemus tua gesta QVIRINE *canemus;*
Tu modo propitiate faue patrone beate,
Ingenium menti cumula tua mira canenti,
Tu laudes dignare tuas ita clarificare,
Quo radius virtutis ab æthre valenter euntis
Non obscuretur vitro per quod iacietur.
Ecclesiæ sanctæ pandendus carmine latè,
Cordibus inspergas rorem, nos crimine tergas,
Vt claras clarè valeam res commemorare;
Hæ sub personis dictæ Thyrsi Corydonis
Dant contendentem cum præceptore clientem.
Forma pollebat bos, quem mala pestis habebat;
Sollicitus cura Dominus iam morte futura
Spondet vota QVIRINE *tibi prospe medicinæ:*
Si per te sanatur, ait, tuus hic habeatur;

 Martyr

Martyr sancte Dei da finem perniciei.
Rusticus hoc vbi dixit, ab atra morte reuixit
Taurus: & exiliebat, & hinc sanus remanebat.
Possessor senis hunc fortem detinet annis,
Nec voti memoratur quo reus attineatur;
Oblitum vindex non transit Iustitiæ lex;
Nam biga voluente trabem de monte ferente,
Arbor in ante iacet nimis, & tergum bouis arcet,
Cui spinam fregit, miserum residere coëgit:
Multus consuetè plaustro fit sermo cadente,
Incusat famulum dominus, seruus magis illum;
Ac sic cœpit herus, primatus iure seuerus:

Corydon. *Nunc me formator nostri benedicat & auctor,*
Quod mihi solamen confert hic quodue iuuamen?
Vt non hærentes thalami malè conuenientes?
Sic bigâ iunctâ malè, labes tanta secuta.

Daß mich Gott behüt vnd gesegne.

Thyrsis. *Aspiciant cuncti plaustri compagine iuncti*
Si quid neglectum, si quid non ordine rectum:
Iratum frustra, nec causa te mihi iusta,
Impubes pueri poterunt quicunque fateri.
Non ego deliqui, tibi cerne quod obstet iniqui.

Corydon. *Heu quid enim? noui, quod & hunc taurum tibi voui*
Iam dudum digne tribuissem magne QVIRINE,
Eius delicti durè me commonuisti;

Si placidè gereres, en ipsum munus haberes.

Thyrs. *Si quid vouissem, nunquam prorsus tenuissem,*
Dum pauper rerum pascar mercede dierum;
Non mihi conclusus quod vouero detinet vsus.
Prompta Deo reddunt qui vota, per omnia crescunt.

Corydon. *Heu quid agam, talis, quo non mihi par, animalis*
Casu perculsus? cultura iacet mea prorsus;
Impedior damno grauiore, pudoreque magno,

Olim

Olim dilatum perdens malè munus amatum.
Quis pandet verbis, Sardis vt amarior herbis Thyrs.
Sic stimulus mentis se corde tenus comedentis;
Cuiq; dies vnus quam totus longior annus,
Dum reus optat obire malum delicta perire.
Musc.osi fontes refouent astu sitientes, Corydon.
Quos circa supraq; virens somno fauet vmbra:
Solstitium venit, Deus in præcordia venit,
Pœnitet errorum, turgescit gemma bonorum.
Tæda domi pinguis superest & plurimus ignis, Thyrs.
Siccans agrestes vdos, pluuiam fugientes;
Flamma timet quãtum stipulas, ego frigora tantũ.
Fluctuet vnda foris, calor æstuat intus amoris.
Stant vlmus, buxus viui fontis propè fluxus, Corydon.
Fert abies perpulchra trabale cacumen in æthra,
Spina stat, hac tacta flebis puerilia facta,
Lignaq; virtutum præbebunt hæc tibi cultum.
Sylua virens floret, vicio moriens ager aret, Thyrs.
Non modo decliui colles dant pocula vini.
Iam redeat virgo prior vt reuirescat origo
Aruaq; deserti fontis liquor vndet aperti;
Nauta potens almam vitem fert, Debbora palmã, Corydon.
Rex sacris cedrina parat, dux ante Sethina,
Ad templi valuas Salomon præcidit oliuas;
Hic virtus victrix agit, istic gratia nutrix,
Israël in salices suspenderat organa deflens, Thyrs.
Carmina dum captis Babylonicus exprobat hostis;
In res solemnes salicum fert munera torrens,
Dum celebrat cœtus sacra scenopegia lætus.
Littus amat myrtus, prægnantibus vnica virtus Corydon.
Præ multis rerum curas medicans mulierum;
Stans inter myrteta vir exprimit omnia læta.

De reditu gentis donoqúe Dei miserentis.

Thyrſ. *Subdita decreſcunt corylo, pino . . . .*
Tollitur infractis fortißima fraxinus hastis,
Malus ſcire dedit mala, quæ mortem prior edit.
Ad lignum Vitæ ſaluandi quiqúe venite.
*Hos inter ſe * memini ſimul oppoſuiſſe,*
Et Corydon tibi Thyrſis habetur maior in istis.

ECLOGA VIII. QVIRINALIVM.

De boue quem quidam vouit, alter furto ſublatum nec occidere, nec vendere potuit.

Hic Damon & Alpheſibœus agunt.

PAſtorum Muſam ſuper abducto boue fuſam
Martyris in laudes mea fiſtula dicere gaudet:
Tu mihi ſiue Dei frueris ſpeculo faciei,
Et cæli ſuper alta quieſcis ſede beata;
Seu noſtros cernes curſus, clemensq́; gubernes,
Des placitum quicquã tibi proloquor: en erit vnquam
Vt pateant dignè per me tua facta QVIRINE?
A te cœpit opus, tibi deſinet, omneq́; corpus,
Hoc te multigena reſonet per ſecla Camœna,
Quæ tua mira feret, te laudum munere quæret;
Ne cui virtutum ſucceßit gloria multum,
Deſuerint operum tibi carmina vera tuorum;
Cumqúe coronatum cælis & clarificatum
Eccleſiæ noſcant, tua quæ ſuffragia poſcant,
Obſequio tumbam norint non prætereundam,
Quam varijs clarè ſignis ſoleas radiare;
Hanc hederam lauro iungant, gemmas velut auro,
Schedula quas offert, tua quæ miracula profert,
Vt niteat tua dextra potens, ô Martyr ab æthre,
Vnde polo terriſqúe micans celebraris vtrinque,

Et car-

Et carmen generale tibi sonat ac speciale;
Illud ab æterna meat, boc virtute moderna,
Qua pius es miseris, duris metuendus haberis.
Dum pestem pecudum mens præuidet anxia dudum,
Cultor deuotare bouem decreuerat aræ
Martyris in laudem, quo dimoueat sibi cladem.
Taurum furatus proprios trahit alter in actus;
Huic lis apta rei Damonis & Aphesibœi,
Illinc raptorem statuit bouis, inde datorem;
Carminibus qui digna ferent de Martyre signa.
Iste domum ducto boue, qui cessit sibi furto,
Dum lucrum cupiebat & ob culpam metuebat,
Plurima tractabat, sed quid faceret dubitabat:
Cum solus remoratur, apud se sic meditatur:
Hunc taurum mactabo, cutem, carnes preciabo, **Damon.**
Sic occultabo melius, sic lucra parabo,
Ne boue pascendo labor instet siue trahendo;
Si res procedet, satis actum: sin, malè cedet.
Credo QVIRINALIS *res est mihi iudicialis.*
Audis quid curem? velox mihi præbe securem,
Accelera, cultrum maiorem defer acutum.
Curre citò quid stas? meat hora quieta nec instas?
Heu tardè procedit opus, quo fine recedit?
Credo QVIRINALIS *res est mihi iudicialis.*
Tu retineto ferum, dum stabit ego leuo ferrum.
Hæc penetrare potest pellem. quid dæmonis hoc est?
Ecce tene rursus: melius conabor adorsus.
Ei quam dura cutis! plagis manet integra cunctis.
Heu quid portenti fortuna parabit agenti?
Credo QVIRINALIS *res est mihi iudicialis.*
Frontem pulsabo tamen euentumque probabo,
Grandius aduertens & acumen in vtile vertens,

Attritum mulctabo caput, sic fortè necabo.
Proh resilit duris impulsibus acta securis,
Nec quicquam cerebro noces incussu quoque crebro,
Ceu lapis obiectus sic ad omnes defugit ictus.
Credo QVIRINALIS *res est mihi iudicialis.*

Vincar adhuc vtrumne, videbo, da mihi cultrum;
Numquid non moritur si decidam sibi guttur?
Cornibus acceptum teneas, dum subrigo mentum.
Quis dæmon talis sub pelle lates animalis,
Quod non mactari pateris ferroue secari?
Aut hoc si non est, miror mihi qui furor obstet.
Credo QVIRINALIS *res est mihi iudicialis.*

Sed cur despero, cur non noua commoda quæro?
Vno confusus reliquos prudens petit vsus.
Si non iumentum licet abscondisse peremptum,
Maturè vendam, mea ne compendia perdam.
Vei na bouem ducta: cadat in commercia iusta:
Ni fallor, nunquam venit inde boni mihi quicquã.
Nunc age festina, taurumque foro trahe, mina.
Credo QVIRINALIS *mihi res est iudicialis.*

Quis volet hic aratroue bouẽ, seu iungere plaustro?
Ecce satis fortem, sub vtramque dabo sibi sortem,
Nec precio facili quisquam melior datur illi:
Hoc mihi iumentum media dat parte talentum,
Sic, quicunque volet, sic me constat mihi, tollet.
Ei quid ago? res sunt: hominesque foro propè dites
Assunt qui vendant, nec sunt qui digna rependant.
Credo QVIRINALIS *res est mihi iudicialis.*
Sed condescendam coëmentibus, vt citò vendam,
Ne si non vendo, boue sit labor hinc retrahendo.
Res vt quæratur, sic venum prostituatur;

Ilos

Ibo si saltem mediam precij fero partem.
Ac ne bos retrahatur, id ipsum dimidiatur.
Nec plus nec minus est, qui per commercia praestet.
Quo tandem pacto tardabo? reuertar in acto.
Credo QVIRINALIS *mihi res est exitialis.*
Quod tuleram gratis, compellor reddere gratis.
Me miserum quid agam? diuinam sentio plagam,
Restituam promptus, quod cogar reddere captus,
Ne iustis vinclis tradar, vitaeq́ periclis.
Accipe clementer famulaturum tibi semper
Clade reum tanta: tua suscipe sponte relata:
Laudis erit si parcet homo sibi quem Deus arcet.
Oro QVIRINALIS *mihi res fiat venialis.*
Haec Damon referebat, vbi Deus hūc reprimebat.
Musa refer quid ei calamus canat Alphesibaei.
Plura gerant plures, omnesq́ decenter eunt res.
Effer aqua sacra vas, & laris atria lustra, Alphesib.
Post prunis pura testa iace mascula thura,
Ter dum spargetur domus & ter thurificetur;
Vt nos dignanti sit suauis odor Deitati,
Ducite rure boum iam signis nobile votum,
Ducite condigno votis pia dona QVIRINO.
Martyris expertus referam praeconia certus,
Vise quàm mira sua gratia pandit & ira,
Circa votorum raptus vel dona suorum
Sunt varijs exacta modis insignia tanta,
Vt nemo numerum concludere posit eorum.
Ducite condigno votis pia dona QVIRINO.
Et patet hoc donum latè populis regionum,
Si non iratis sint obuia crimina Sanctis,
Virtutes cessant, homines quas quaerere cessant.
Quae si rarescunt, nihil his nisi carmina desunt,

Laude

Laude sacris digna, quæ promant pristina signa.
Ducite condigno votis pia dona QVIRINO.
Carmina grata Deo, ritus probat in Iubilæo:
Buccina dum septena procul resonabat amœna,
Cantu sacrarum Iericho cadit alta tubarum:
Dona Dei cecinere pij quæ promeruere,
Cantica signantes Hymnosquée Deo modulantes:
Nos etiam veneramur eum quo sæpe iuuamur.
Ducite condigno votis pia dona QVIRINO.
Carminibus contexta recensentur sua gesta,
Paucula de multis, quasi ponti gutta fluentis.
At qui factorum numerum complere suorum
Ne dicam clarè modulis velit æquiparare,
Ante solum faciet mare, vel Thetis arida fiet,
Quàm sciri possit sacer hic quàm plurima gessit.
Ducite condigno votis pia dona QVIRINO.
Stabit & hoc factum cum laude sibi memoratum,
Quod furto direpta requisiuit sua vota,
Dum vult, dignatur, ne rem voti patiatur
Sub manibus furis peruersis cedere curis.
Ducite condigno votis pia dona QVIRINO.
Multoties damnosa suis sumptu preciosa
Auferri seu clade sinit sibi seu quoque fraude
Clandestinorum, vel apertorum spoliorum,
Et repetit cum laude minuscula perdita fraude;
Non cupidum rerum, fraudi sed iure seuerum
Se monstrans. in re non est minor illa minore.
Ducite condigno votis pia dona QVIRINO.
Festi præteriêre dies, plebes abiere,
Quæ contutatæ turmis & conglomeratæ,
Martyris vt petiêre patrocinium, retulêre.
Non ego procedam solus, nec me dabo prædam;

Exponam

Exponam voti munus non amplius hosti,
Quod cuncti mecum sine spe laudare receptum.
Ducite condigno votis pia dona QVIRINO.
Non ingratus ero neque sensu mentis aberro,
Quin reddam gratis votorum munia Sanctis,
Martyre iumentum sed suffragante receptum
Qua re cunque valebo sacris inferre studebo,
Fur illud neu prædo trahat per cuncta cauebo.
Ducite condigno votis pia dona QVIRINO.
Hoc animal vendam, precio mea vota rependam.
Et melius leuis ibo minusque pericla subibo,
Sic nil longarum grauat anxietudo viarum.
Ducite condigno votis pia dona QVIRINO.
Suscipe votorum munus patrone meorum,
Quod mihi sublatum, per te cognosco relatum:
Quæ tibi seruasti, cape dona; faue famulanti.
Ecclesiæ cætus tua fert magnalia lætus,
Virtutis præsentis erit per secula testis.
Soluite condigno meritis pia vota QVIRINO.

ECLOGA IX. QVIRINALIVM.

De boue, quem Intalensis quidam, cum coniuge sua peste recidentem B. QVIRINO deuouit, & conualescentem anno retinuit, qui rursus prostratus voto sanatur & redditur.

Hic agunt Mœris & Lycidas.

QVO te, Mœri, pedes? an quo via ducit? MOER. *Adades.*
O Lycida, quid habes, quod me nunc assore gaudes?
Eia dic quid ago, quid curandum properabo, Lycid.
Vt tanto dignam damno capiam medicinam?

Z *En mo-*

En moritur mihi peste iacens bos optimus iste,
Quo iumentorum robur stetit omne tuorum.
Dic siquid nosti curæ pro nomine Christi.

Mœris. *Non aliud tantum noui tàm sæpe probatum;*
Si tauro vitam de morte cupis repetitam,
Fac promittatur languens hic si reparatur,
Olim diuino medico per secla QVIRINO.

Lycid. *Magne patronorum pater, exemplumq́ piorum*
Nunc nobis carum reparans habeas tibi taurum,
Clare QVIRINE *polis radians præ lumine solis.*

Mœris. *Martyr fallere nescit, & en tibi bos reualescit:*
Tu modo pro voto reddendo promptior esto.

Lycid. *Numquid opus nostris rebus credam fore sanctis?*
In regno lucis nihil indiguere caducis:
Nos quæ lætamur per eos reparata, fruamur.
Ipsi quippe sciunt quod opus nobis ea fiunt.

Mœris. *Sic age, iumentum doleas ne forte retentum,*
Quod videas dirè sub eadem clade perire,
Quem pietas Domini soluit, meritumq́ QVIRINI;

Lycid. *Non adeo magnum scelus est, si seruo per annum.*

Mœris. *Fac quodcunq́ voles; sequitur, quod, vt æstimo, noles.*

Lycid. *Nos quocunq́ cadit res, bos tamen iste iuuabit.*

Mœris. *Heu Lycida quid agis? fies obnoxia plagis*
Iræ cælestis, votis sine lege retentis:
Bos non est oblatus adhuc, meat annus abactus:
Quàm tibi formido, casu plangas malefido!

Lycid. *Tu nimium curas res auguriando futuras;*
Sors homini quàm dura nocensq́ superflua cura:
Quando DEVS *parcit curis, nec tunc homo parcit.*

Mœris. *Aspice verna foras mens fortè quid anxia noras.*
Nescio quid causæ resonat tinnitus ab aure.

Lycid. *De fama tristi nunquam requiescere nosti.*

Qui

Qui malè confidunt ipsi sibi prælia fingunt.

En vt dicebam tibi non frustra metuebam, Mœris.

Quos duros casus ferret temerarius ausus;

Colluctans in morte iacet bos ille repentè,

Quem ferit eiectis oculis acerrima pestis;

Extremum tantum suspirat pectore flatum.

Ei quid aut? ridesne? scio terrere studes me. Lycid.

Surge vide quid agas; hæc sunt ioca quæ memorabas. Mœris.

Vernula curre citò pro cereolo benedicto, Lycid.

Hunc properans accende, bouis per cornua tende.

Signatus boue Luca iuua iumenta caduca.

Ab magis hæc obsunt, iam nulla precamina prosunt, Mœris.

Reddentur si vota, fugit mors sponte remota.

Si viuet, digne tuus hic est Sancte QVIRINE, Lycid.

Solues ergo precamur, eum, dum non mereamur.

Votiuus pridem tibi bos dignoscitur isdem.

Quàm non prudentes morti dedimus retinentes;

In saluum dones, & pignus eum tibi pones,

Amodo votorum nil nos retinere tuorum.

Pridem vouisti quod damno detinuisti; Mœris.

En hoc iumentum gaudes de morte receptum,

Cladibus hinc edocta stude tua reddere vota.

Sedula conabor, nec in hoc vltra remorabor. Lycid.

Cum boue nempè quis ibit, eum qui pellere quibit

Per montanarum syluis implexa viarum?

Oeconomus vini Latij de iure QVIRINI Mœris.

Id conducturus, propè nos remoratur, iturus,

Huic votum mittamus & hinc nos expediamus

Acri tantarum magnoq́; labore viarum.

Hoc placet, hoc faciam, taurum transmitto sibi iam. Lycid.

Gartio, præpositum scrutatus ab hospite dictum,

Quo lare versetur quandoue redire putetur,

Fer sibi iumentum nece bis præsente receptum,
Commendans votum dic euentum quoque nostrum.

Gattio. *Dant vobis dominus meus istud & hospita munus;*
Indicio signi duplicis per dona QVIRINI,
Bis deuotatum, bis morte graui reuocatum.

Oeconomus. *Patrono grates agimus, sua dona probantes:*
Bos tamen hac sibi curte manens deseruiat iste;
Nos sua dum veniemus ad ipsum mira canemus.

ECLOGA X. QVIRINALIVM.

De bucula, quæ apud Torndorff in muro Ecclesiæ B. QVIRINI se defricans interijt. Et de Rhomberto Altahensi Abbate paralysi percusso, & ibidem sanato.

EXtremam complere manum, numerumque tenere,
Per Bucolica, qui res egit agit mihi vires;
Pars restat pauxilla, bouem fert Cantianilla,
Danubij villa muliercula sederat illa
Cui malè curatum pecus ibat quærere pastum,
Discursuque vago dum circuit omnia pago,
Attigit incautè domui loca proxima sanctæ,
Atria lustrando circa muros spaciando;
Hac te vicinæ regiones sede QVIRINE
Patronum cepere, perenniter excoluêre;
BOEMICÆ *genti, votis illuc venienti*
Est adeò celebris tua signis gloria crebris,
Vt cumulent magnis ibi donis sacra quotannis.
De specie pecorum munus fert quisque suorum,
Et viuens quicquid se possedisse domi scit,
Pro numero capitum tutat pecus omne redemptum,
Confidens certè nihil hinc se perdere peste.

Hic

Hic lar multarum princeps est Ecclesiarum,
Plebs ALTANORVM *quo concurrit populorum,*
Cui claustro memorata subest domus illa sacrata;
Ius fert Abbatis tibi MAVRICI *famulantis,*
Margine ripensi fluuij procul in mare tensi
Qui rex cunctorum fluuiorum Teutonicorum,
Inuidiam Rheno cursu conflauit amœno.
Is locus vt fundatus, ab his mox est cumulatus,
Qui satis impensè statuere decus TEGRIENSE,
Et ROMÆ *primum nacti virtute* QVIRINVM
Toti BOIARIÆ *simul* ALTANISQVE *dedere.*
Bucula dum sacrum propè cursitat improba murum,
Terga petulca fricat, vaga nam latus abside tricat,
Quæ medio compar cyclo circumtegit altar;
Protinus illa fricata cadit flatu spoliata;
Fert murus setas, prostrata crimina testans:
Fama volat facti, currunt ciues stupefacti,
Creuit ab exemplo tali reuerentia templo;
Villula diffamat mirum, prouincia clamat,
Abbas ROBERTVS *tutor regionis honestus,*
Euentus signi dum fertur ab æde QVIRINI
Et complura prius miracula Martyris huius,
Ingens hoc pecudum cognouerat edita dudum.
Lusit in vrbane non vtiliter sibi sanè
Lucrari multum memorans huiusce bubulcum
Virtutis, sacris qui defensor foret acris.
Ediderat verbum vix hoc tamen ore superbum,
Atque reos artus paralysis agens ferit intus,
Vt sibi nulla foris sint vsus iura prioris.
Mensque recognoscit quid verbis prodiga poscit,
Obuia quæ sanctis iam cælo clarificatis,
Hoc se deiecit probro quod in æthera iecit.

 Sic

Ecclesio: Eccli. 27.

Sic male iactantes lingua notat Ecclesiastes,
Qui lapides sursum iaciet, recident super ipsum.
Tandem prostratus proprios gemit ille reatus,
Ac pro placando sibi Martyre iam meditando,
Quam retuli pridem languens petit ipsius ædem,
Trasterna vectus qua stratus erat sibi lectus,
Correxit dignè supplex deliquia linguæ,
Munere pensauit se, fletu crimina lauit,
Vires membrorum recipit per vota suorum,
Quas prius amisit dum linguæ fræna remisit,
Pro sacris actis fundens conuitia Sanctis.

M. C. L X.

Ex scholio pag 41. corrigendũ M. L X. nisi numerum M. C. L X. ad scriptorem nõ ad auctorem referas.

ERRATA.

Fol. 2. versu 12. leg. ambos. 20. 2. amet. 30. 19. Michaëlem Metropolitanum, & populum assiduum, Abbatem, Calistumque gloriosum candidatum ad constituendam n. p. & f. atq; c. h. d. in C. c. l. t. m. dilectio, veluti in specula positi 80. 14. germano. 125. 27. facilitate. 227. 14. editi multis partibus auctiores. 359 17. Hartmutum anno 872. electum & 883. siue sequenti resignasse. 549. versu vltimo omissa sic restitue: in Baioariam rediit & Fratri Ludouico partem suam de regno Lotharii reddidit.

In carminibus fol. 1. versu 6. dele, Frisingensi, & lege: ex m, s. Sangallensi. 14. 8, pro Frisingensi lege: Sangallensi. 91. 14. celeri,

HEN-

HENRICVS CANISIVS LECTORI.

NOTAS, quas copiosas dare voluimus, omittimus verius quàm libamus; & illud libentius: quia ijs tibi, erudite Lector, minimè opus. Typographus plus dare non potuit ad has Autumnales nundinas. Ad vernas autem habebis Tomum I I. in quo præclara Antiquitatis monumenta, nusquam vnquam visa, te, si voles, manent. Si (vt in bibliothecis, & in sinu eruditorum multa latere scio) habes quædã, quæ huius Tomi I. auctores illustrare queant, communica quæso: vides candorem, quo peto. Experieris, te & nominis tui, & historiæ publico bono dedisse. Vnum excuso, quod iure accusare possis. Temporum ratio in dispositione horum opusculorum non habita; quia nimirum opuscula simul non habuimus.